This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

~~UNS 166 g. 14~~

TAYLOR INSTITUTION

DOMINUS ILLUMINATIO MEA

Vet. Ital. III A.16

I 7

CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

TOMUS OCTAVUS.

FLORENTIÆ. M.DCC.XXI.
Typis Regiæ Celſitudinis, apud Joannem Cajetanum
Tartinium, & Sanctem Franchium.

Superiorum permiſſu.

TAYLOR INSTITUTION LIBRARY
UNIVERSITY OF OXFORD

CATALOGUS

ITALORUM POETARUM

Tomi Octavi.

Q

QUercus Franciſcus. pag. 1.
Quintianus Joannes Franciſcus. 2.

R

RAjus Flaminius. pag. 31.
Rainerius Antonius Franciſcus. 54.
Renerius Antonius. 64.
Rinuccinus Alexander. 68.
Robertellus Franciſcus. 77.
Romitus Antonius. 77.
Ronconius Julius. 78.
Rondininus Natalis. 87.
Roſcius Julius. 97.

Roſ-

Roſſellus Alexander. pag. 102.
Rota Bernardinus. 109.
Rotinus Georgius. 181.
Rubeus Hieronymus. 185.
Rufinus Jacobus. 187.

S

SAbæus Fauſtus. pag. 196.
Sabellus Marcus Antonius. 225.
Sabinus Marcus Antonius. 226.
Sabinus Floridus. 228.
Sadoletus Jacobus. 228.
Sala Theſeus. 246.
Salina Hieronymus. 247.
Salneſius Alfonſus. 248.
Salvatorinus Joannes Baptiſta. 260.
Salutatus Coluccius. 293.
Sanga Joannes Baptiſta. 300.
Sanleolinus Sebaſtianus. 301.
Sannazarius Actius Syncerus. 323.
Saxus Pamphilus. 474.
Scala Bartholomæus. 489.
Scaliger Julius Cæſar. 492.

CAR-

CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

FRANCISCI QUERI

[illegible]

De Victoria Naupactica.

TUrcarum [illegible] eſt [illegible],
Quid nunc [illegible] ille Selim?
Non Hiſpanorum [illegible] Roma,
Non manus Hadriacum [illegible].
Pugnavit certum [illegible],
Victa cadunt ſubito [illegible]
Quid faciam? conver[illegible]
Hoc modo grex [illegible], paſtor & [illegible]

JO: FRANC. QUINTIANI
STOÆ BRIXIENSIS.

Ad Annam Galliarum Reginam.

SUſcipe magnificis, Regina decora triumphis,
Noſtra ſalutari munera parva manu.
Dent alii torques, fulgentia vaſa, corollas;
Aureaque immixtis pocula jaſpidibus.
En damus ingenii præſentia munera noſtri,
Culta ſub Auſoniæ Pallados obſequium.
Aurea dona cadunt minimo ſub tempore, noſtrum
Munus in æternas vivet Olympiadas.

Vitæ humanæ ærumnæ, & inſtabilitas.

Quantis vita malis noſtra revolvitur!
O mundi inſtabilis ſumme dieſpiter
Princeps, & ſuperi luminis arbiter,
Hinc bella horriſonis ducta tumultibus
Vaſtant, quod cumulat perpetuus labor:
Illinc inſidiæ, rixa, furor, doli,
Humanum exagitant, ac lacerant genus
Actum perpetua ſollicitudine.
Si quis præteritos perſpiciat dies
Annorum enumerans omnia ſecula,
Nullos inveniet, quos mala fugerint,
Et fortuna quibus ſæva pepercerit.

Sit quamvis oculis pluri videntibus.
Quid prodeſt animos ſtringere in hoſticas
Junctis in cuneos quadrupedantibus
Turmas? & valido milite conſequi
Victorum innumeris nomina mortibus?
Jactatis facibus quid juvat urbium
Muris, nobilium porticibus, foris,
Et tecta, & rutilas urere jaſpidas?
Quid prodeſt variis claſſibus æquora
Calcare? atque hominum littora ſanguine
Humectare? hominem quid juvat aureis
Oſtentare ſuum ſtemma palatiis?
Vires Theſſalici dic ubi Achillei?
Oſtendas Priamum, Neſtora, Ulyſſea
Utentem eloquii fulmine præpetis;
Atridas, Paridem; quemque potentia
Armis non potuit vincere Perſica;
Monſtres Scipiadas ſæva tonitrua
Bellorum; & Marium ſanguine perlitum.
Oſtendas varii nominis Herculem
Et quos conſtituit Græcia præſides:
Des Pœnum Hannibalem, ſaxa per invia
Ducentem ſcopulis agmina hiantibus:
Et quos Roma tulit Martia Cæſares.
Horum nil videas; nil, niſi nominis
Et vix fumigeris abdita nubibus.
An nunc invenies Troica Pergama?
Thebas? doctiloquæ mœnia Pallados?
Urbis divitiæ nunc ubi Romuli?
Tot thermæ, tot aquæ per fora penſiles,
Arcus conſpicui, balnea, porticus?
Noſtro ævo invenies an Capitolium
Auratum, & ducibus nobile regiis?
An templum Solymi Regis, & aureas,
Qua ſpargit Babylon mœnia, imagines?
Ite ite ô miſeri quærite quomodo
Volventur rotula clara volubili
Aſtra, & quæ tonitrus cauſſa nives, gelu,

Imbres egeneret, fulmina, chaſmata.
Quid quod ſub dubio pendula ſtamine
Conſtet vita hominum: nec tamen impia
Mortis luctificæ ſpicula cernimus.
Vivamus ergo conſcii
Sortis labantis undique;
Ne quando nos ex tempore
Mors imparatos occupet.

Ad Deum.

Te Deum cœli colimus parentem,
Te Deum ſummum dominum fatemur,
Te patrem terræ veneratur omnis
Lingua docuſcum.
Tu moves ſummi rutilas Olympi
Lampades: ſervit tibi Solis ingens
Lumen; & ſanctis manibus rotatos
Concutis axes.
Fulminum crebris ſtrepitus micantum
Commoves magni dominator orbis,
Imbribus miſſis ſegetes peruſtas
Sole remulces.
Serviunt ſtellæ tibi: ſummus æther
Concinit laudes: tibi terra cantus
Congerit: vaſto tibi læta rident
Æquora ponto.
In tuum nomen volucres ſuſurris
Dulcibus ſilvas reſonant per altas;
Te colunt ſpiris variis retortis
Vocibus angues.
Sub tuo nutu parit alma flores
Terra: predulces generat racemos
Vitis: & fœtu graviore campis
Uva renidet.
Arbor ingentes tibi mittit umbras;
Blandulos flatus tibi mittit aura:
Sub tuo venti reboant ſub antris
Numine opacis.

Quid

Quidquid à cœlo regitur profundo;
Quidquid in ſeſe tenet alma tellus;
Quidquid immenſis pelagus ſonorum
Fluctibus ambit,
Numen obſervant: pecus omne campis
Ludit adſultans teneris ſub herbis;
Et reflorenti graciles capellæ
Valle recumbunt.
Te tremunt ſævæ Stygis in profundo
Dæmones centro; metuuntque divi
Numinis, ſanctæ crucis & trophæum
Infera regna.
Tu diem pulſis tenebris nitentem,
Solis & claros radios reducis;
Mox ſuper terras agis atra nigræ
Tempora noctis,
Quam tamen Lunæ jubar occupatam
Sæpius clarâ facit enitentem
Lampade, & longas face prœmicanti
Comprimit umbras.
Tu ſalus mundi, via recta, & ingens
Numen, humano generi quietum
Ocium præſtas; velut innocentum
Corda fatentur.
Tu foves caſtos animos precantum,
Subvenis miti ſoboli, & querelis,
Amoves quidquid gravis hoſtis acri
Pectore fundit.
Submoves diri genus omne morbi,
Et referventes abigis tumultus;
Et tuo adventu, fremitu repoſto,
Bella recedunt.
Nauta ventoſis miſer in procellis
Te vocat triſti periturus unda,
Quum trahunt claſſes ſuper alta moti
Sidera fluctus.
Carcer effractis titubat catenis,
Carcer eruptis foribus pateſcit.

Jura diſtortum vitiata callem
Sancta relinquunt.
Æger extremo miſer in labore
Poſtus occultam recipit medelam:
Pauper excluſus fit ab invocato
Numine dives.
Te colunt omnes ſuperi canentes,
Quum tuum inſpectant decus expolitum;
Quum vident clarum jubar, & triumphos
Æthere in alto.
Num fuit magni monimentum amoris
Emori durâ cruce per cruenta
Vulnera? & largum proprii cruoris
Spargere fontem?
Tartarum ingenti rapidum triumpho
Mortis horrendæ referens trophæum,
Et repulſatam valide expuliſti
Dæmonis aulam.
Mox genus morbis variis peremptum
Limpidum cœli trahis ad cacumen,
Et ſacram reples animabus arcem, &
Limina cœli.
Nunc in extremis, pie victor, annis,
Segregas ſancto genus omne noxâm.
Diva gens cœlos: mala deſtinatum
Viſet Avernum.
Æthere in ſummo velut alma ſemper
Lux nitet, claras imitata gemmas;
Gaudium ſummum velut aula pulchri
Sentit Olympi:
Sic in obſcurâ tenebras gehennâ
Umbra dat furvas imitata noctes,
Sic cruentatos gemitus remittit
Dira vorago.

In Obitum Philippi Beroaldi, ad Geraldum Cadamuſtum.

Sunt quos bella movent crudi Mavortis, & arma
Pallados, & Triviæ tela pharetrigeræ.
Sunt quos plectra decent aurata, ſonantia flammas,
Quæ poſitæ hamatis ſunt ſub harundinibus.
Non me bella movent, non plectra ſonantia flammas,
Sed carmen cunctis triſte voluminibus.
Abſit Calliope, Daphneis fulta corollis,
Atque Erato pharetris alma Cupidineis.
Ah quoties dedimus laſcivæ noſtra juventæ
Carmina, pennatis plena Cupidinibus!
Ah quoties niveæ tenuerunt verba tabellæ,
Quæ legeret lætis Quintia luminibus!
Ah quoties uſtis rupit Venus oſſa medullis,
Et fixit telis pectora ſanguineis!
Nunc Venus, & Veneris flammæ, atque Cupidinis arcus
Abſint, & noſtris dulce melos fidibus.
Ergo age, Muſa, comas lugubri cincta cupreſſu,
Accedas, numeris pallida flebilibus.
Occidit injuſtâ Beroaldus lege Philippus
Fatorum, auratis dignus imaginibus.
Quod Jovis imperium, quæ triſtia fata, quis oro,
Perpetuum necis hunc miſit in arbitrium?
Non minus injuſtis ſunt legibus uſa Deorum
Fata, hujus patriæ dotis in exitio,
Quàm quum grandiloquum mors immatura Maronem
Abſtulit, injuſtis uſa miniſteriis.
Jamdudum erectos depone Bononia vultus,
Et jaceas ſumptis mœſta papaveribus.
Occidit ille tuus candor, tua gloria, nomen
Atque tuum: cuſtos, gratia, præſidium.
Tempora quid, Vates, conſumitis omnia, Martem
Dum canitis, turmas Martis & horriſonas?
Ferte, cives, calamos, date carmina, cuncta vocate
Numina, ferales promptaque ad exequias.

Sentiat ætheres gemitus chorus inclitus aulæ,
Sentiat & lacrimas Ditis Perſephone.
Triſtia ſi mulcent humanos carmina ſenſus,
Triſtibus horreſcant pectora carminibus.
Lugete Auſonii; depoſite mæſtæ veſtes
Infectas, poſito ſlete ſupercilio.
I, geſſe, triſteris quondam Beroalda propago
Læta; fuges viſis gaudia funeribus.
Nubite fœlices, funeſto nubite vultus
Palliolo, & furvis corpora palliolis.
Gymnaſia eruptis trabibus dent cuncta ruinam,
Atque fragor metas tranſeat empyreas.
Et, velut Enceladum, cæleſtia templa timeſcant,
Et timeat, ſævos ut, polus, anguipedes.
Phœbus anhelantes non amplius aſtra peroſus,
Educat poſito lumine quadrupedes,
Atque apud infernum Phœbe ſtet longius Orcum,
Et rumpat Fatis fœdera non meritis.
Emittant undæ flammas, dent ſidera montes.
Atque erret mediis cervus in æquoribus.
Det cœlum ſegetes, cœli via pervia nautis
Sit, rapidum timeant atque ibi naufragium.
Denique fulminibus triſidis elementa crementur,
Cunctaque perpetuas det Chaos in tenebras.
Fatorum quæ tanta fuit violentia? Fata
Ah fata immenſi neſcia præſidii.
Undique barbaricæ removebunt bella phalanges,
Atque adiment noſtro nomen ab imperio.
Barbarus ah quoties furor in Romana Gradivum
Ducet confertis mœnia militibus.
Heu domini immenſus quidquid labor obtulit, altis
Barbara detrudent turba cacuminibus.
Atque eadem invadet quæcumque volumina verbis
Barbarus antiquis edidit Hermoleos.
Quidquid & argutis mandaverit ipſe papyris
Angelus eroſis ſtabit in archetypis.
Soſpite, in iſtorum nullus dabit arma, Philippo,
Scripta virûm, infeſta promptus ad exitium.

Quo duce Barbaricas, mitior ô Beroalde, Phalanges,
  Evinces, periit jam ducis officium.
O funeſta dies, toto miſerabilis ævo;
  Quâ ceſſit ſtudiis lampas ab Auſoniis!
Non ſcelus hoc eſſet gravius, ſi tempora vitæ
  Degiſſet ſeclis proxima Neſtoreis.
Improba Mors nimium, nimiumque ſuperba, decebat
  Sæcula Cumanæ degere Deiphobes.
Luſtra decem hic tantum Beroaldus degerat, ô Sors
  Impia, & in tempus perfida perpetuum.
O marmor felix, cineres cui contigit hujus
  Contegere, ô Pario marmore nobilius.
O auro obryzo multum ſpecioſior urna,
  Mercibus & multum carior Arabicis:
In te clauduntur cineres, quo Ceſare, turmis
  Herbam Graja manus jam dedit Italicis.
Priſcorum hic fuerat cui cognita opinio, quamvis
  Hæc foret in tenebris condita Cimmeriis.
Sive opus Aonio deducere Numine carmen,
  Adſtantes fuerant undique Pierides:
Sive opus eloquio peſarare volumina preſſo,
  Semper in argutis plena fides calamis.
Hic auriga fuit, quo ſola Bononia currus
  In campos potuit ducere Romuleos.
Dic ubi Joannes, ac ille ſonorus agyrtes,
  Bentivole, atque ingens buccina, dic, periit?
Hannibal, immenſas cujus capit inclyta chartas
  Gloria, flens populos perge Calydonios.
Bentivolam Hyrcani atque Getæ, Thrax, Sarmata, gentes
  Norant, Euphrates, Rhenus, & Apidanus.
Alta licet ſuperent Trojana palatia gentis
  Bentivolæ, & ſuperent marmora Pyramidum;
Hoc tamen heu functo fulgentia ponere fas eſt
  Culmina, turritis maxima verticibus.
Roſcius incultis eat in ſua rura capillis,
  Contegat & velis ora cupreſſigeris.
Nunc ubi tantus amor, dic Attice, gratia tanta eſt
  Nunc ubi? [illegible] ubi conſilium [illegible]

)(5 Gens

Gens ubi, quæ referat tua Roſcia rura per orbem,
  Carmina conjunctis quique det articulis?
Francia majeſtas mediâ plus parte tuorum
  Rupta operum, ruptis Francia jaſpidibus.
Quæ infelix nimium Theodora prioribus annis,
  Hæc jam pullatas induat endromidas.
Sentiat aulâ Deûm formoſa Camilla gementem
  Te, extinctumque tuum flere Neoptolemum.
O vidua felix, ô triſtior omnibus, omni
  Quæ fueras nuper conjuge ſplendidior.
Nunc opus Orpheis eſſet concentibus, Orco
  Quum raptam turpi viderat Eurydicen,
Vel quibus exilio Naſo fuit uſus in ipſo,
  Dum cuperet mentes flectere Cæſareas.
Unica nox rapuit, quæcunque Philippus in ævo
  Condiderat, patrio primus in officio,
Hic eſt, qui nondum octonos ter viderat annos,
  Munia cum ſubiit publica gymnaſiis.
Cynthia formoſus fecit te nauta perennem,
  Hic junxit longis ſæcula temporibus.
Invia quæ quondam fuerant loca, pervia cunctis
  Nuper erunt noſtri carmine Callimachi.
Sed quid habet Latium, dempto duce? Cynthia flammis
  Lumina det lacrimis triſtia depoſitis.
Induperatores videat Suetonius ipſos
  Amplius eſſe ſuis nolle ſub hiſtoriis.
Eſt opus infelix, felix opus omne per ævum;
  Felicem prima fronte gerens titulum.
Occidit ille tuus vates Giſmunda, parentis
  Quam cauſſa infauſtum miſit ad exitium,
Heu heu demiſſa ſtes fronte Philippica, quondam
  Auctor obit noſtris janua cardinibus.
Nunc ſacer interpres periit, quo Cæſare Marcum
  Italicis tractat quilibet in ſtudiis.
Temporibus veſtes ponat felicibus aptas
  Servius, in totas ponat Olympiadas.
Nunc qui reſtituit fecialia jura, Philippum
  Et mors a ſuperis ſuſtulit omnipotens,

Lu-

Lucius antiquas plagas te interprete tanto
Depoſuit, Photis, Panthea, vel Meroë.
Ah quoties aſinum flevit Madaura, Philippum
Nunc fleat immenſum triſtis ut excidium.
Panthea defuncto cecidit tua forma Philippo,
Jam tuus obſcuris eſt amor in tenebris,
Ah dulces placidum Beroaldi carmen amicæ
Nolite in mediis figere viſceribus.
Nunc ubi rivalis tuus eſt Baptiſta? Quieſcit,
Dic Pic, lugubri conditus in tumulo eſt.
Plautius ornatos renuat Baptiſta libellos,
Et carmen juſtis concinat ominibus.
O Siculi interpres Diomedes Vatis, ocellos
Non ceſſes lacrimis rumpere continuis.
Scribere multijugoſque, Mari Grapalde, libellos
Ceſſes: dent gemitus pectora multijugos.
Ferales, Polydore, ſonent tua carmina cantus
Vergili, & inde tuæ nænia ſit citharæ.
Arboribus frondes, & culmina montibus, aſtra
A cœlis grandi rupta cadant ſtrepitu.
Solis hiems, egeat, compreſſa caloribus, undis,
Sitque æſtas nivibus frigida Caucaſeis.
Perpetuos omnes fletus uno ore quotannis,
Dent; heu jam noſtræ ſcripta linunt lacrimæ.
Turgidulos vultus revocat mea Muſa, timetque,
Ne fiam antiquus, pallida, Tereſias.
Depreſſis nimium parcas Gerarde Camœnis,
Preſſa etenim eſt viſis Muſa cadaveribus.
Nil ultra; aſtabit niſi jam quicunque, Philippi
Oſſa cubent, dicat, molliter in tumulo.

In eundem.

Huc huc Pieridum chorus,
Huc huc cum Charitum choro,
Cypris cincta Cupidine;
Philippus obiit.
Ah Fatum Fatum!

Beroal-

Beroaldus obiit.
Huc huc Apollo, crinibus
Strictis corona flebili.
Huc huc Minerva, livido
Pallore vultus obsita,
Extinctus ille.
Ah Fatum Fatum!
Peremptus ille,
Qui sacrata biverticis
Parnaſſi juga contulit,
Inter Romuleos lares:
Quo extincto Auſoniæ gemunt,
Gemunt Camœnæ,
Ah Fatum Fatum,
Pallent Camœnæ.
Lugete cuncta Numina,
Mecumque carmen flebile
Dictate: veſter nuncius
Diris ſepulchris occubat,
Sonent querelæ.
Ah Fatum Fatum!
Tonent querelæ.
Hic lucem tenebris dabat;
Infernæ ætheream Stygi
Lumen luminibus ſuis:
Auctorum reſerans loca
Oppreſſa lampas:
Ah Fatum Fatum,
Extincta lampas.
Linguæ ſalebras Romulæ
Lenivit urgens, Barbaros
Nodoſque ſolvit Gordii.
Mucrone ſcindens Theſſalo,
Obtuſus enſis.
Ah Fatum Fatum!
Corruptus enſis.
O plebs docta Bononiæ,
Lugenti cane tibiâ.

Tuque

Tuque ô Auſonium decus,
Adſis luctiſona chely,
Reſcinde vultus.
Ah Fatum Fatum!
Dirumpe vultus.
Det thura Cypris funeri,
Dicente carmen Pallade,
Spargente Phœbo myſticos
Fontes ſuper cadavere.
Doctum cadaver!
Ah Fatum Fatum!
Sacrum cadaver!
Supponant [illegible] ſibi
Lugubri pheretro novem
Muſæ, tres Charites regant
Pompam, [illegible] choris.
O digna pompa!
Ah Fatum Fatum!
Venuſta pompa!
Circum cupreſſos ordinet
Sylvanus, [illegible] congerat
Rogo ſagittas funebres
Cupido, & arcus flexiles.
Viduatus orbis!
Ah Fatum Fatum!
Volutus orbis!
Supponet celeres rogis
Flammas [illegible] Deus,
Mox condat cineres Venus,
Urnam dante Cupidine.
Illuſtris fumus!
Ah Fatum Fatum!
Sublime fumus!
Signent Camœnæ [illegible]
Scribantque [illegible]
Hoc ſub ſepulchro Palladis
Dormit [illegible],
Beroaldus ille,

Ah Fatum Fatum!
Beroaldus ille.
Aſta viator, hic jacet
Corpus Philippi: ſpiritus
Eſt raptus inter Numina,
Durante fama ſeculis.
Abi viator.
Abi viator.

In obitum Annæ, Reginæ Gallorum,

Quis dabit in lacrimas vires mihi, ſuggeret ecquis
  Salſa coloratis flumina luminibus?
Quis poterit noſtro præbere alimenta dolori?
  Quis poterit miſero vim dare cordolio?
Ecce coronati perfundere ſaxa ſepulchri
  Tempus adeſt, miſeri conſcia ſupplicii.
Dextra tremit, calami nutant, fuſcatque papyrus;
  Cor gemit, & lugent pectora, lingua cadit.
Phœbe, tuum roſei depone coloris amictum.
  Nec ſtent in digitis aurea plectra tuis.
Pone ſerenati renitentia lumina vultus;
  Nec dentur ſolitis carmina læta ſonis.
Triſtis honoratas abſconde, Minerva, coronas;
  Quas tibi dant ſummis Attica vota tholis.
Deſine luctantes freno compeſcere lyncas,
  Bacche, ſed in querulo carmine carmen habe.
Ecquid Atlantiadæ talaria ſancta renideant?
  Funerea incultas arbore necte comas.
Ite ſacroſanctæ procul hinc, procul ite puellæ,
  Non venit in gemitus læta Camœna meos;
Attamen emeritæ ſi vultis adeſſe papyros;
  Ferte ſepulchrales ad mea [illegible] modos.
Noſtra ſub Orpheo ducantur carmina plectro,
  Delatum eſt Stygii quale ſub umbra ducis.
Mœſta ſoporiferas cumulet Philomela querelas,
  Qualis inacceſſo robore plorat Ityn.

Talis erat gemitus, qualem Priameja conjux
Reddidit, ut Phthio victima facta duci.
Noſtra triumphales dimittant tempora lauros,
Nec mihi ſint faciles Bellerophontis aquæ.
Ponite mellifluos, mea barbita, ponite cantus,
Nec lepidum reſonet noſtra per ora melos.
At mea ferali coma ſit præcincta cupreſſu,
Noſtraque ſint lacrimis carmina tincta meis.
Eja age funeſtos plangens tuba concipe bombos,
Et triſtem Antimachi concipe lingua tonum.
Anna, Panomphæi proles decorata Tonantis
Occidit, ut patrios viſere digna lares.
Iſta Deûm merito fuerat data gratia terris,
Sidereo demum conſpicienda choro;
Quam melius fuerat non oſtendiſſe Tonanti,
Quam tam præcipiti præripuiſſe die?
Invida cur mundo rapuiſtis Fata quietem?
Cur generi humano rapta medela fuit?
Anna ſalutares numquam dabit inclita vultus,
Nec dabit alma linguæ verba modeſta ſuæ.
Anna, ubi formoſæ radiantia lumina frontis,
Anna, ubi colloquii dogmata ſancta tui?
Anna, ubi mortales tuus eſt adnutus in omnes,
Anna, ubi conſpicuæ ſceptra verenda manus?
Dic mihi bellipotens Rex ô Ludovice, quis auctor,
Et quæ reſtat tuæ forma ſalutis, erit?
Quo tuus armipotens candor, Ludovice, receſſit,
Dic quo abiit magni gratia præſidii?
[illegible], Ludovice, fidem, mentemque, decuſque
Conjugis: in ſolo funere cuncta jacent.
Quæ, tibi maternas oſtendet regula mentes?
Claudia, maternæ nobile cordis opus.
O nimium miſerè deſerta Renata, quis error
Dirupit ſacræ [illegible] parentis iter?
[illegible] ubi eſt, Franciſce? per ardua Mavors
Prœlia te miſerum nænia triſtis agat?
[illegible] conſpicuas [illegible] relicta triumphos,
Imponas capiti [illegible].

Quæ-

Quære tuos faſtos, rerum faſtigia, & alta
 Stemmata, tam magna ſunt tibi jura necis.
Des, precor, in mœſtum infelicia murmura carmen;
 Des, precor, in mœſtam murmura mœſta chelyn.
Non magis extincto doluerunt Hectore quondam
 Pergama, quam raptâ Gallia tota duce.
Vidi ego mortifero inferiora pericula ponto,
 Quum rapit inſtabili turbine ventus aquas.
Vidi ego ab ærumnis cruciata minoribus ora,
 Quum crepitant vaſtis corpora viva rogis.
Quam mea multijugo crucientur corda dolore,
 Quum Regina ſuum corpus inane dedit.
Sed quid inane feram? quùm frons, vultuſque, manuſque
 Demonſtrent vivi corporis omne decus.
Magnus Alexander poſt fata remanſit in illo
 Magnifico, quali vivus honore fuit.
Sic Anna omne genus virtutum oſtendit in ore
 Extincto, in vivo corpore quale fuit.
Qualibus Anna fuit virtutibus, Anna refulget
 Talibus, ut triſti morte perempta jacet.
Impia honoratum potuere extinguere corpus
 Numina: num famæ pignora grata ſuæ?
Nam quacumque ſuis Aurora refulget ocellis,
 Quaque ſub occiduas Cynthius intrat aquas,
Et qua tardus habet ſua frigida plauſtra Bootes,
 Atque ubi Libs pluvio flamine cuncta premit;
Nomen inextinctæ magnum venerabitur Annæ,
 Atque erit in cunctos gloria firma dies.
Hæc morum Regina dabat monimenta, modumque
 Juſtitiæ, & forti fortia facta fide.
Cœlorum interpres, mundi internuncia, portus,
 Pax, columen, rerum ſpes, caput, arbitrium.
Quam brevis hora tulit tot tot congeſta per annos
 Pignora cœleſtis non dubitanda Dei?
Inclita Mnemoſynes, memores mihi dicite, proles,
 An fuerint aliquo tam mala ſæva die.
Non, quum Roma ferum prope mœnia cerneret hoſtem,
 Qui toties Latio ſanguine tinctus erat.

Non

Non, quum Scipiadæ permerent Carthaginis arces,
Et quodcumque ſua Byrſa tenebat ope.
Triſtior iſta dies modo quâ Regina receſſit
Gallorum, & terræ condidit auxilium.
Ecquis ſuppetias tibi Gallia donet? amaror
Succeſſit: dulci præcipitata favo.
Ecce tiaratos fortuna miſerrima Gallos
Calcat, & occiduas mors violenta plagas.
Quidquid Græca loquax memorat facundia, quidquid
Faſcibus Auſoniæ traditur hiſtoriæ,
Eſt nihil, oppoſitis noſtræ virtutibus Annæ;
Nam Solare premit ſidera cuncta jubar.
Corpore ſub ſolo viguit Cleopatra, potentem
Juverit Actiaco Marte ſuperba ducem.
Iſta ſuam teneris patriam defendit in annis,
Et tulit in tenerâ bella virago manu,
Quanta Semiramio titubarunt caſtra lacerto,
Quum flueret rapidus ſub Babylone cruor.
Iſta reſurgentes compeſcuit Anna Britannos,
Quum gemuit vaſtâ ſub face grande fretum.
Olim Graccha ſuam oſtendit Cornelia prolem,
Magnificum ut patriæ ſtemma datura ſuæ.
Anna duas poſt ſe veluti ornamenta puellas
Liquit, ut aurati ſtemmata digna Laris.
Si quæras animi bona, nulla beatior umquam
Hac fuit, aut meritis promptior officiis.
Omnis in hoc fuerat prudentia corpore, firmum
Robur, amor, pietas, gratia, fama, ſalus.
Corporis innumeras dotes perpende, videbis
Omnia clara, manus, colla, labella, genas.
Quis bona Fortunæ numeret, quis maximus Argus,
Qui videat, quantis ſint bona mixta bonis?
Namque ſuos rexit Dux optima Britonas, & mox
Bis tulit auguſtâ bellica ſceptra manu,
Bis tulit, id nullo fecit tamen intervallo,
Atque experta duos, ſed ſine labe thoros.
In me volve oculos celeberrima Gallia, & iſtud
Carmen habe, atque tuis conſue pectoribus.

Hæc donec Regina fuit, pax alma, quieſque
Vivebant, pulſis ſollicitudinibus:
Aſt ubi paciferam rapuit mors effera palmam,
Proſpice, num circum Martia bella fremant.
Julia ut extincta eſt, periit Romana duorum
Gratia, Theſſalico conficienda ſolo.
Pompejana ruunt penitus faſtigia; Cæſar
Romulei ſedes occupat imperii.
Non tamen armiſonis metuenda pericula Gallis,
Quum Ludovicus agat fortia geſta manu.
Hic quoties voluit, nitido mucrone rebelles
Confecit magno nomine finitimos.
Oppida dirupit, vertitque minantia cœlo
Mœnia, & evictis jura dedit populis.
Iſta manus pacem gerit, & Mavortia bella:
Elige utrum mavis, hoſtica turba, dabit.
Quam vivente ſuâ fuit iſte beatior Annâ!
Conjuge erat felix, conjuge lætus erat.
Non fuit Alceſte ſpectatior ipſa, maritum
Quæ potuit fato ſuſtinuiſſe ſuo:
Nec quæ conjugii ſervavit jura fidemque,
Per nemora & montes uſque ſequuta virum.
Quæ bibit exhauſtos cineres poſt fata mariti.
Non fuit extremis dignior officiis,
Nec quæ ſponte ſua voluit pia corpore miſſo,
Conjugis extremos accumulare rogos.
Eja agite, auctorum relegamus ſcripta priorum,
Eloquii & veteres excutiamus avos,
Num ſit in antiquis exempla per omnia chartis
Tam fida exculti gratia conjugii.
An cupitis referam, qualis ſit opinio noſtræ
Mentis, & exacti linea judicii?
Non fuit æterno bene tam formatus ab ævo,
Nec qui fida magis fœdera haberet amor,
Quære pias Annæ placido ſub pectore mentes:
Sunt ubi, quos nullis juverit auxiliis?
Dives, inops, contentus erat; majora dabantur
Divitibus, faciles pauper habebat opes.

Exulibus quoties fuit auxiliaris, opemque
Attulit adſcriptis ſedula muneribus?
Flete Itali ingentem miſero ſub tempore ſortem:
Quis gravis exilii mite levamen erit?
Mecum innupta fleat, fuerat, quæcumque mariti
Spes, ubi devincta commoditate jacet.
O viduæ extructo ſeponite corpora lecto,
Quis dabit erepti gaudia connubii?
O quæcumque thoros habuit matrona jugales,
Imputet adverſis triſtia fulcra Deis.
Dicite Veſtales lugubria vota, ſacerdos
Contineat tremula fumida thura manu.
Illa obiit, tenues per templa cadentia myſtas
Quæ potuit meritis ſuſtinuiſſe ſuis.
Ah quoties largis altaria quaſſa refecit
Muneribus, ſacro fulta miniſterio.
Verte animum, & penitus ſcrutare arcana, videbis
Omne bonum in ſolo corpore habere locum.
Ah quibus auxiliis docili dedit alma juventæ
Ocia, ut Auſonium poſſet inire ſophos!
Quid juvat innumeras ſtudiis vigilantibus artes
Excolere, & longos pervigilare dies?
Quid juvat inſomnes nocte exantlare labores,
Et toties vetitis abſtinuiſſe cibis?
Quid prodeſt oculos tepido fraudare ſopore,
Nocturnumque pati dente tremente gelu,
Si periit ſacræ ſpes unica, & alma Minervæ?
Jam pallet miſeris pulſa Minerva locis.
Si nil bella valent ſine mentis acumine, Mavors
Perdidit infauſto caſtra ſuperba die.
Iſta referventes pacabat acumine flammas
Ingenii, & preſſis cornua rauca ſonis.
At ſi belliſonas inimica ſuperbia turmas
Duxerat, & miſeræ tela parata neci,
Hæc cito diſpoſitis, hoſtilia colla premebat,
Per mare, per terras, per cava ſaxa jugis.
Altera Pallas erat, quæ præſidet unica Muſis,
Præſides & ſtudio Mars violente tuo.

O quicunque tenes Ducis inſuperabile nomen,
Gaudia pone tui læta ſupercilii.
Miles inornatas ſuper altâ caſſide plumas
Ponat, & incultam det fera criſta jubam.
Tetra Senatores ornet toga; curia Patrum
Et minus aulæis ſit decorata ſuis.
Sit Procerum pullata cohors, lugente Senatu:
Torquibus intortis colla nec alba micent.
Non color armillas, nec curva monilia condat;
Aureus at nigro ſint lita cuncta ſitu.
Sancta Poëtarum commercia, frangite ſanctos
Jam calamos, veſtri Numinis aura jacet.
Amplius auratis crinitus Apollo capillis
Ne det honorigeræ carmina culta lyræ.
Non minus ingemuit trifido, Phaëtonte, recuſo
Fulmine, nec triſti morte Hyacinthe tua;
Quàm dolet extincta Phœbus lacrimabilis Anna,
Cujus ope occiduo ſæpe ſub axe fuit.
Nona dies Jani, ſub te perit Anna, quid ergo?
Augebis nigros connumerata dies.
Quum cita mors fuerit, ventus tamen horridus, ingens
Terribilis, reboans, omnia ſæva dedit.
Namque ſuo hanc celerem reſonanti flamine mortem
Detulit, & tantæ fata ſuprema ducis,
Per mare, per terras, per flumina lata, gregeſque,
Per cœlum, & montes, per juga, & omne nemus,
Nec fuit indignum, cùm myſtica gloria tantæ
Principis haud unum poſſet habere locum.
Non uno potuit Romana potentia quondam
Stare loco, in triplici diſſociata jugo.
Namque Aſiæ tumulo poſuit ſua corpora Craſſus,
Aurea quum rupit guttura dira ſitis:
Littore magnanimus jacuit Pompejus in Afro,
Grande nefas peperit cum violenta manus:
Cæſar in Europa jacet obrutus, impia ferro
Quum manus impegit membra cruenta neci.
Sic ubi noſtra perit Regina æquiſſima, corpus
Ut raperet locus, hic non ſatis unus erat.

Britones ergo pio cordi voluere ſepulchrum
 Condere, & aurato pendere cor tumulo.
Aurea quàm merito cor hoc tibi contigit urna
 Magnum, mite, decens, nobile, magnificum!
Urnula parva quidem es, ſed major honore renides,
 Quum teneas ſummæ pignora juſtitiæ.
Certe erat auratis dignum cor tale ſepulchris,
 Nec poterat condi ſplendidiore loco.
O aurum irradians, omni ſpecioſior auro.
 Clarior o cunctis urnula jaſpidibus.
Accipe, quod ſolum præſtem tibi nobilis urna,
 Hæc in fronte duo carmina noſtra tene.
Cor jacet hic cujus? Ducis inviolabilis Annæ.
 Cur niſi cor? vivens cor niſi tota fuit.
Hic ubi deceſſit, ſervantur viſcera, magnum
 Viſceribus tumulum Blæſia terra dabit.
Terra triumphanti Ludovico illuſtris alumno,
 Hoc in perpetuo marmore carmen habe.
Quiſquis es hoſpes, adi; dirumque tuere ſepulchrum,
 Nec ſiccis relegas carmina luminibus.
Viſcera magnificæ ſumus alta Virginis Annæ,
 Quæ tenuit miti Gallica ſceptra manu.
Viſcera miraris: cur tantum funus? in antro eſt
 Nobiſcum pietas, fama triumphus, honos.
Denique Parthiſii voluerunt, cetera haberet
 Ut Dionyſiaca corpus in æde locum.
Ferte faces querulas, crepitet quoque laurus in igne,
 Et clangat miſeris tibia cum lituis.
Quid facis urbs Gallo celebratior orbe? querelas
 Concipe, & his reſonet nænia temporibus.
Maxima gymnaſii quid agis facundia? mœſtis,
 Funerea, adde meis carmina carminibus.
Triſtia collacriment cunctis Epigrammata muris:
 Fixa gemat ruptis mœſta Elegia comis.
Multa fleat querulo gemebunda Monodia cantu,
 Adcinet & raucum quælibet oda melos.
Sylva Lycambeos ſecum aſpera ducat jambos,
 Et fleat immiſtis dactylus Alcaicis.

Si quis Pindaricum feras illacrimabile plectrum,
Det tamen infauſtæ conſona verba chely.
Sapphica flebilibus ſint carmina rauca trochæis,
Clamitet ad tumulum carminis omne genus.
Percelebrant Latiam juvenes quot in urbe Minervam,
Alta querelifonæ dent alimenta tubæ.
Quilibet ore fleat tragicos ululante cothurnos,
Quiſque agitet claſſes gymnaſiarcha ſuas.
Compita, porticibus domus unica quæque ſuperbis,
Quadrivia, & thermæ, templa, theatra, tholi,
Publica luctificas quæque ornamenta Camœnas,
Cumque ſuis habeat lata platea foris.
Occidit Anna, decus mundi, jacet Anna Deorum
Progenies, lætum eſt qua moriente nihil.
Amiſere ſuum Sol, ſidera, Luna nitorem.
Amiſitque ſuum terra relicta jubar.
Reginam en proprio condit Dionyſius Annam
In gremio, & veteri membra beata ſinu,
Et ne ſit Parium noſtro ſine carmine marmor.
Hoc noſtrum in tumuli marmore carmen erit.
Siſte gradum, qui pergis, in hoc jacet Anna ſepulchro.
Siſte gradum, an parvi nominis Anna tibi eſt?
Anna jaces? Jaceo, Quis te tulit Anna ſepulchro?
Mens pia, gratus amor, lex ſacra, priſca fides.
Quis tulit accenſas tædas, ſplendorque genuſque,
Quis thus, Pax dixit, quis pia verba choris,
Quis gemuit? Tellus, aër quoque, pontus, & æther.
Quis tecum in duro marmore? Nullus adhuc.
Anna quid exoptas, ubi Carolus? Æde ſub iſta eſt,
Alter inextinctus Rex mihi ſemper erit.
Extinctam extinctus teneat me Carolus, alter
Pignora cara mei vir Ludovicus habet.
Nonne vides, quantam de te Ludovice ſalutem
Concipiat celeri condita ſarcophago?
Vive diu felix, proferque patentia regni
Jura, dabit vires in tua cœpta Tonans.
Rumpe hoſtes facibus, bello, nece, milite, ferro:
Non remanent uno Fata inimica loco.

Non

Non ſemper reſonat pluvialis in æthere nimbus,
  Nec ſemper rapido eſt ſæva procella freto.
Sæpius at pulſis pacantur in æquore ventis
  Murmura, & impoſitum pax tenet alta fretum.
Sæpius & cœlo lampas Phœbæa ſereno
  Mandat in inferius lumina clara ſolum.
Quæ Fortuna parum fuit in te dira, feroxque,
  Mutabit verſis vela ſuperba rotis.
Præteritis, perpende, annis tua dextera quantas
  Vicerit hoſtili conditione plagas.
Si tua in extremis fuerit mutata diebus
  Sors, & veligeræ terga reflexa Deæ,
Non grave, quando tui prudentia pectoris iſta eſt,
  Quæ contra adverſos ſurgat opima duces.
Maxima ſollicitæ dedit infortunia menti
  Sors & ſanguineæ tempora militiæ.
At tamen omne leve eſt, tua quum ſanctiſſima conjux
  Extincta intulerit ſævius Anna malum.
Mors fera, cruda, rapax, violenta, ſuperba, moleſta,
  Invida, dura, minax, perfide, amara, ferox.
An decus egregium fuit, extinxiſſe nitentem,
  Terrarum erepta nobilitate, roſam,
Erige compoſitis volitantia ſigna trophæis,
  Mors cane in immenſis publica geſta tubis.
Ah ſcio, cur Gallum properaſti extinguere nomen,
  Et dare ſupremo corpora ſancta rogo.
Nolebas fieri vivam mortalibus Annam
  Numen; ob hoc tantum (proh ſcelus) auſa nefas.
Sed decepta tuo majora pericula juri,
  Cerneris adjunctis egenuiſſe malis.
Dum viva Anna fuit, ſolum mortalibus ægris
  Numen erat, magni Numinis Anna capax.
At nunc rapta ſuper cœleſtia ſidera, quantis
  Æterna adiiciet Numina Numinibus!

Epitaphium Reginæ Annæ.

Heus tu viator, qui tuum huc refers greſſum,
Morare paulum, marmor hoc rogat ſacrum,
Tuearis ut ſe: hîc Anna dormiens, cœli
Regina, lumen unicum, & jubar terræ
Jacet, viator cede, ſed prius dicas,
Quieſcat Anna in pace: jam Satis dixi.

Monodia in eandem.

Quò communis abit quies?
Certè concidit, ah potens
Mors! Fatum ah nimium ferox!
Abivit Anna.
Proh dolor, dolor!
Receſſit Anna.
Quo grata terrarum roſa
Abivit? in tetrum diem.
Extincta ſtella candida,
Lumen diei corruit.
Triſtemur omnes,
Pro dolor, dolor?
Fleamus omnes.
Quod vas accipiet meum
Fletum, quis lacrimis modus?
Quum flos nobilis occidit,
Totus per lacrimas eo,
Totus per lacrimas trahor:
Tument ocelli,
Pro dolor, dolor?
Gemunt ocelli.
Terræ columna concidit;
Cœli columna flebiles
Reliquit omnes: mortuum
Cœlorum decus,
Proh dolor, dolor!

Ter-

Terrarum decus.
Jam tota flebit Gallia,
Tanto relicto Numine.
Nec non gemiſcent Britones,
Ob fata tantæ Principis.
Superba Fata!
Proh dolor, dolor!
Moleſta Fata!
Cur Anna Regem deſeris,
Totumque regnum Galliæ?
Tecum ſepulta pax, fides,
Extincta tecum gratia.
Infauſta dies!
Pro dolor! dolor!
Funeſta dies?
Numquam vireſcent amplius
Flos, roſa, liguſtra, lilia,
Narciſſus, auratus crocus.
Quò quò receſſit priſtina
Rerum voluptas omnium?
Extincta tecum.
Proh dolor, dolor!
Sepulta tecum.
Intrent ocellos in meos,
Liger, Garumna, Sequana,
Rhenique fletus in meum
Deſcendat omnis verticem,
Ut flere poſſim,
Proh dolor, dolor!
Lugere poſſim.
Flete mecum, flete mecum,
Omnes funere viſo.

Eadem loquitur.

Extinctam proceres quid me ſpectatis, & altos
  Cur veſtra & querulos pectora dant gemitus?
Si qua mei fuerat quondam reverentia, fletum
  Ponite, & immotum ferte ſupercilium.

Vivo

Vivo ego inextincto ſub nomine: ſpiritus aſtris
Quum vivat, terris famaque: non perii.

Epitaphium Jacobi Scotorum Regis.

Hîc quis es? Hîc quartus ſum Rex Jacobus in antro.
Num loqueris? pro me fert tibi verba lapis,
Ille ego ſum Scotus per ſæva pericula Mavors,
Ille ego ſum patriæ gloria prima meæ.
Si quæras, quid agam, noſtræ do numina genti,
Tela, fidem, vires, jura, trophæa, manum.

De eodem.

Rex Jacobus in hoc Quartus jacet ecce ſepulchro,
Cujus perpetuum nobile nomen erit,
Nam quia rumpuntur cava marmora tempore, longis
Noluit erumpi nomina temporibus.
Unde ſacroſancto movit fera bella lacerto,
Adjungens regnis regna ſuperba ſuis.
Corpora mors rapuit rapiant ſi tempora marmor:
Vivet honos, probitas, gratia, fama, fides.

In eumdem.

Adſta viator, quidquid eſt ſcriptum, lege.
Jacobus iſto Quartus in tumulo jacet,
Rex Scotus, olim dexterâ fortis, fidem
Tutatus armis, nomen & noſtrum, fero
In Marte cæſus. Gallicæ parti favens.
Quid fles viator? flere non potes probè:
Quum noſtra virtus vivat æternum: Vale.

Margareta Scotorum Reginæ Monodia.

O coelum, ô ſuperi Lares,
Fatorum ô rabies trium!
An me conjuge propria.

Frau-

Fraudaſſe, egregium decus?
Quid agam unica?
Hei mihi, mihi:
Quid ſola faciam?
Sol qui perenni labilem
Metiris annum lampade.
In meme ocellos lugubres
Converte mœſtis fletibus.
Quid agam unica?
Hei mihi, mihi?
Quid ſola faciam?
Ille ille armipotens meus
Conjux, obſequiis favens,
Gallorum auxilium parans,
Hoſtili periit manu.
Quo me revolvam?
Hei mihi, mihi!
Quo me reflectam?
O vos qui ad iſtos curritis
Luctus, videte ſi dolor
Sit talis ante cognitus,
Qualem me oportet perpeti.
Quid agam vidua?
Hei mihi, mihi!
Quid agam miſera?
Quo quo dimidium meæ,
Quo quo pars animæ fugis?
Ne linquas, precor, adtrahe
Me tecum; veniam libens.
Poſſum venire.
Hei mihi, mihi!
Poſſum perire.
Quis me levabit amplius?
Quis me gementem leniet?
Ubi lepores blanduli?
Ubi duorum gratia?
Abjere tandem.
Hei mihi, mihi!

Abie-

Abiere procul.
Solus corpora præpotens
Stringebat duo ſpiritus,
Sed fati manus invidens
Nodi vincula conſcidit,
Conjuge cæſo,
Hei mihi, mihi!
Conjuge rapto.
O grata forma corporis!
O frontis alma gratia!
O grata linguæ comitas!
Oriſque candor ſplendidi!
Abiiſtis ergo?
Hei mihi, mihi!
Abiiſtis ecquo?
Jus fati nimium potens
Dirupit ſolidum jugum,
Quo numquam fuit arctior
Regis Theſſalici thorus.
Quæ dabitur quies?
Hei mihi, mihi!
Quæ dabitur ſalus?
Tali beato conjuge,
Sceptrum gerebam regium:
Viduata tali conjuge,
Feram cupreſſos lugubres.
Sic decet, decet.
Hei mihi mihi!
Sic juvat juvat.
Ornatus meus aureo
Splendore emicuit prius,
At nunc conjuge mortuo,
Teter me color obtegat,
Colorque pullus,
Hei mihi, mihi!
Colorque niger.
Meum coronis regiis
Cinxi nitentem verticem,

Nunc

Nunc vero nigris palliis
Caput tremiſcens induam,
Mutanda facies,
Hei mihì, mihi!
Mutanda imago.
Heu conjux meus occidit,
Qui Chriſti toties fidem
Tutatus fuerat, jugo
Subdens colla ferocia.
Surgent rebelles,
Hei mihi, mihi!
Surgent protervi.
Gentes ſuperbas ſubdidit.
Animos rebelles conterens:
Externà regna contudit,
Turmis ſubacta Martiis.
Tutela rapta.
Hei mihi, mihi!
Tutela fracta eſt.
O vir, cur placuit tibi
Occidit a patria procul?
Eſt dulce in patria mori,
Cognatum prope ſanguinem.
O triſte Fatum!
Hei mihi, mihi!
O triſte Fatum!
Saltem lacertis in meis
Corpus jaceret perditum,
Certe id ſepulchro lacrimis
Prius profuſis traderem,
Opus ſupremum.
Hei mihi, mihi!
Opus idoneum!
Ah cur non potui tuos
Attractare oculos manu:
Ah cur vulnera fletibus
Non lavi innumeris tua?
Erat hoc honeſtum,

Hei mihi, mihi!
Erat decorum
Quantum ſuperbus, & ferox
Auctor cruenti vulneris,
Qui corpus acri cuſpide
Tranſverberavit arduum,
O ſæva manus!
Hei mihi, mihi!
O ſæva dextra!
Cur non te penes adfui,
Quum mucro tulit impetum?
Certe pectoribus meis
Exceptura fui necem,
Moritura ſola.
Hei mihi, mihi!
Moritura ſola.
In me Britanni vertite
Et tela, & enſes impios,
Sum præparata demori,
Poſtquam receſſit ſpes mea,
Et omne robur.
Hei mihi, mihi!
Et omne bonum.
Si te non potero meis
Demandare rogis, tamen
Marmor conſtituam, velut
Corpus ſit tumulis tuum,
Spargamque fletu.
Hei mihi, mihi!
Spargamque thure.
Portate ſerta florea,
Roſeas coronas nectite.
Lychnos levate cereos,
Et vota ſancta ducite.
Hic eſt dolendum,
Hei mihi, mihi!
Hic eſt gemendum.
Hei mihi, mihi!

Quid

Quid faciam unica?
Hei mihi, mihi!
Quid agam vidua?

FLAMINII RAII
PRATENSIS.

Ad Baccium Valorium.

Valori, pater elegantiarum,
Candidiſſime, quot fuere, quotque
Sunt, & poſt aliis erunt in annis;
Dic nobis; abit illa febris, illa,
Illa febris amara, quæ miſello
Semimortua membra devorabat,
Ut nec te interea cibus juvaret,
Nec dulcis tegeret quies ocellos?
Illa (inquam) fera febris, illa febris,
Quæ mî cor, velut ignis, exedebat
Propter funera, quæ tibi imminebant?
At febris truculenta, febris atra,
Cur non exilium; impiaſque in oras
Is tortum populum impium, & ſceleſtum
Diris ſuppliciis? ſed ipſe quando,
Quando inviſero te valentiorem?
Quando Amice, tibi manum oſculabor,
Ut decet juvenes venuſtiores?
Ergo, ut convaleas, Deos precabor;
Verum, videro ſi ſatis valentem,
A te mî data ſumma tunc putabo.

In

In Novolim Fundum.

O rus Avitum cum dolore maximo
Mihi miſello pignori datum diu,
Dum feminæ diſſolvere has quas debeat
Pecunias, coactus jure ſum, parens:
Quot interim labores ſuſtuli graves,
Moleſtiaſque? namque liberos domi,
Domi docere civium mî opus fuit,
Quin nec labores, nec moleſtias modo
Jam ſuſtuli, quærebam dum cibum mihi.
Onus nam egeſtas ceteris grave omnibus,
Exitque ſaltu percitus lupus fame;
Vitæ ſubivi at ingens, heu, periculum
Magiſter Aula Cæſaris Trivultii
Firmi Joannis nobilis puelluli;
Sed innocentes optimus juvat Deus.
Salvum hîc, ſuperſtitemque reddidit meis:
At jam querelæ abeſte; quando cernere
Sinuque quando mî quieſcere in tuo,
Fruique, rus amatum, Coelites dabunt
Tuo lepòre, amœnitate vel tua?
Quotquot futura ſunt mihi tunc commoda?
Nunc juverit ſive ordine ulmis jungere
Vites feraces, ſive nunc ligonibus
Juvare, agelluloſque raſtris patrias,
Nunc inſerentem ſedula pyros manu
Gravare ramos plurimis pomis ſuis,
Quæ carpſero legenda poſtmodum mea
Manu: aſt honores hortulorum debitos
Reddam Priapo; mollis namque amaracus
Et menta, ſerpyllum, ocymumque creverit
Florens odore ſuavi, quod rigavero
Grato liquore, ſcilicet fimo juvans;
Tractare nec pudebit hæcce ruſtica;
Viſco fefellero ipſe ſæpe garrulas
Aves tenaci, gaudiiſque talibus

Vin-

Vincam inde Craſſum divitem beatior:
Sed, ne fugaces prorſus tranſeant dies,
Redire nemo retro vidit unquam eos,
Nec tranſeam ſilentio vitam irrito,
Infimium quod eſt, quod eſt inertium,
Quorum feræ inſtar cura ventri dedita eſt,
Muſas Etruſco ſuſcitabo carmine,
Tollamque magnis laudibus decus tuum.
Tunc pace ſuperem, literis, pecunia
Urbes Beatas: expetivero omnibus
Curis ſolutus hiſce vivere, & ſimul
Obire tecum ruſtice degens meum
Fatale tempus ad ſalutem. Hanc Romulus
Vitam excolebat, falciferque jam ſenex,
Aſtræa terras ante quam relinqueret,
Cum ſæculum florebat illud aureum.
Quo gens Deorum munere omni perfruens
Beata ab omni parte vixit; Juppiter
Ære inquinavit aureum donec. Vale,
Vale ergo, noſtri ruris & vivas memor,
Deo favente te cito reviſero,
Sitim hinc recedens expleam iſtic & tui.

Ad Hieronymum Rhamnuſium.

At quid vix mihi note ſed probande
In tantam impulerit repente curam
Noſtri, ut ſic mea ſcripta, meque tanti,
Rhamnuſi, faceres ſatis modeſtum
Modeſtum ſimul; & ſimul pudentem?
Num lepor bene cognitus, tuumque
Jucundum ingenium, benignitaſque?
Muſam o Flaminii nimis beatam
Viris talibus optime approbatam!
Sed quo mens mea fugit? ut paternos
Lares diſcupimus videre! Faxit,
Sic faxit Deus apperente vere
Littus ſit licitum videre Tuſcum

Et Florentia rura mi, relicta
Plane gente Boëmica, immeando
Fertilem Auſoniam expedito ab illâ
Cura, quæ impediebat, anxiantem:
Amoris vitio eſſe an hocce factum
Fato confitear meopte? verum
Interim ſinito impetrem, a tuo nunc
Amore, ut recolens me ames, tuiſque
Abſentem nimis, & nimis remotum
Juves officiis apud venuſtum
Tibi Parthenium intimum, elegantis
Ut dum Parthenii Camœna vivat,
Vivas Parthenii, memorque Raî.

De Carolo Sigonio in Livianas Hiſtorias.

Olim pulchra Titi numeroſa volumina Livî
  Languebant formæ caſſa decore ſuæ,
At moles velut indigeſta, rudiſque jacebant,
  Undique dum ſævus barbarus arma ciet;
Latius haud damnum manare Sigonius hocce
  Paſſus Romanæ conſulit hiſtoriæ;
Conſulit, & cura inſomni, auſteroque labore
  Ordine diſponit, reddit & inde decus.
Inde decus remanet ſcriptoris, & inclita ſurgit
  Gloria, quæ terris ſemiſepulta fuit.
Si profuiſſe viris Heroum eſt; quis neget ergo
  Splendorem extinctis reſtituiſſe, Deum?

Ad Petrum Victorium.

Diſertiſſime, & omnium virorum
Humaniſſime quot fuere, quotque
Sunt, quot poſtque aliis erunt in annis;
Quod in nobilium audientium te
Es dignatus habere me corona.
Auctores veteres, bonos, graveſque
Græcos tam varia eruditione

Explanantem, ita, & aperte, & eleganter,
Plurimum tibi debeam neceſſe eſt,
Et grates ago Dîs, tibique magnas,
Atque agam, mihi vita dum manebit;
Manſiſſemque utinam meo cum honore
Iſtic, namque ego te audiens, tuiſque
Blandis alloquiis fruens viderer
Poſſe vincere vel beatiores.
Quare, cum id nequeam ſuperare, habeto hos
Sinceræ pietatis, atque amoris
Pignus, primitias mei laboris,
Verſus, quos tibi mitto non legendos,
Rhetor maxime: ſæculumque noſtrum
Ornato aureolis tuis libellis.

Ad Antonium Benivenium.

Quod pecuniola illa perpuſilla
Nobis, promeruere quam labores,
Curaſti ut cito tuta redderetur,
Gratias agimus bono Poëtæ
Bono Hiſtoricoque, Rhetorique
Et de hoc munere plurimum adamamus
Quod ſignum edideris tuæ vel ingens
Obſervantiæ, amoris, atque cultus,
Antoni, optime Gratiarum alumne,
Et flos, & decus, atque ocelle Floræ.

Ad Carolum Sigonium.

Sigoni, Paleottus ille ſummus
Antiſtes, decus omnium bonorum,
Fautorque optimus eruditiorum,
Cum te ſcripta vetuſta, & arte blanda
Nodos implicitos, nec explicatos
Solventem nimis elegante lingua
Audiſſet, Pater ille Purpuratus
Urbe ex tempore & in Bononienſi

Orantem, obſtupuit ſatis ſuperque;
Se & debere tibi, tuæque faſſus
Multum eſt nobilis eruditioni.

Nænia in obitu Eleonoræ Toletanæ Uxoris Petri Medicis.

Heu te puella, pulchrior,
Et ceteris formoſior,
Mors puncto iniqua ſuſtulit
Nunc conjugi dulciſſimo,
Primo juventæ floſculo,
Nec fata quivit impia
Decor, venuſtas flectere;
Nec verba pol valentia
Mollire Tigres aſperas,
Et dura ſaxa frangere
Te nigro ab Orco vindicant.
Ut te jacentem pallidam
Suſpecto nunc miſellulam,
Ocellulisque lividis,
Labriſque prorſus alteram.
Suntne ora Cynthiæ æmula hæc?
Hæc ora ſunt rubentibus
Roſiſne mixta lilia?
Sunt brachia hæcne Palladis?
Mammæ hæce ſuntne Cypridos?
Pedes ſuntne hice Thetios?
Vobis at aſtra ſit male,
Mala aſtra quæ tam belliſſam
Nunc abſtuliſtis filiam.
Ut cuncta vidimus ſimul
Dolore preſſa maximo
Te flevit atra Civitas,
Te ſeptiformis amnium
Rex omnium pulcherrimus
Moles aquarum concitans,
Te flevit unda Tybridis,
Septemque ad alta ſidera

Ivere

Ivere queſtus Collium.
Flens crevit Arnus, Gratiæ
Cum te ſepulchro conderent
Paſſis querentes crinibus,
Quam Muſa ſingularibus
Polibat alma dotibus.
Heu ſæva Divûm numina,
Quæ vitæ amabili ſatis
Nullam dedere unquam moram.
Sol occidens renaſcitur,
Vitæ at ſuprema ſtamina
Cum Parca legit, lumina
Clauſa urget æternus ſopor.
Sed ſævias licet tamen
Crudelis immitiſſima,
Severa, inexorabilis,
Nil quicquam avara proficis:
En nunc acerbo funeri
Suo ſuperſtes omnium
Volat per ora gentium
In orbe fama cognita,
Decuſque, virtuſque inclita.
Ergo ſceleſta poſſides
Inane corpus; occupa
Mortale, fluxum, terreum,
Caducum; at ejus ſpiritus
Arces ſubivit igneas
Repente ſimpliciſſimus
Nudis relictis oſſibus.
Micantium illa ſiderum
Sub ſe globos modo aſpicit
Claro uſque ſole clarior,
Et ſempiterno gaudio
Humana temnens omnia
Vitâ potitur cœlitum
In omne fixa jam bonum.

Ad Hyellam.

Quantum odi te, amo Hyella ego uſque tantum;
Quare id ſit pote, forſitan requiris.
Odi ob ingenium, aſperoſque mores.
Amo ob præcipuam decore formam.
Sic, quem durities repellit a ſe
Ad ſe mox repetit ſtatim venuſtas.

Ad eandem.

Amo te, mea Hyella quantacumque es,
Ut boni juvenes amant amandas.
Amo ſcilicet in dies, magiſque
Æſtus omnibus urit in medullis,
Guttatimque animilla colliqueſcit.
Nix ad ſolem uti, nunc ſitus fuiſſem;
Nec tui gravis acquieſcit ardor,
Nec me nocte dieque amor relinquit,
Nec me ſolicitudines, dolores
Lamentatio, curæ amaritudo,
Nec ſuſpiria, cogitationes,
Mens mala, impietas. furorque vecors,
Timorque, anxietaſque, ſpes, laborque.
Heu ſæva has remove faces, Hyella,
Fulgentes remove hos Hyella ocellos,
Faces, quæ interiorem edunt medullam:
Amari volo amore, non peruri.

Ad Petrum Victorium, & Baccium Valorium.

Victor optime, tuque culte Valor,
Meum præſidium decuſque, pro queis
Colendis fugiam haud periculorum
Caſus mille ſubire, perpetique.
Nam quid ſuavius, elegantiuſque?
Quid rerum geritis? valetis ambo

Re-

Rectè? num memores mei eſtis? ergo
Mei diffugit ardor omnis? Ipſe
Germana regione derelicta,
Vitans inſidias ibi inſtructas,
Domi nunc maneo latens miſellus,
Ut ſilva latet abditus virenti
Cervus, cum exciderint repente vere
Ramis cornua pluribus referta.
O factum lepidum, o nimis facetum!

Mopſus.

Quis te cogit amor? quæ nunc ſententia vertit?
Quænam durities adeò malè ſana puella,
Frondiferumque nemus patriæ, patrioſque penates
Linquere te impellit? variaſque requirere ſedes?
Nulla mei te igitur ſubiit pietatis imago?
Nec venit in mentem, quantum te ſemper amarim?
Te ſine cara puella mihi jam triſtior ipſo
Letho vita manet, dulce eſt, nec amabile quicquam;
Te ſine deliciæque meæ, & mea ſola voluptas,
Nulla placent: macieſque, & corpore pallor inhæret,
Nec mihi jam ducit ſalienti rivulus unda,
Ducunt nec facilem Lethæa papavera ſomnum.
Seu tenebras veſper, ſeu lucem oſtentat Eous.
Me flentem veſper, flentem me cernit Eous.
Nunc ſilvæ lugent, nunc lugent mollia prata.
Non liquidi currunt amnes, viduatur honore
Arbor ubique ſuo: denſiſque nigerrimus aër
Stat nimbis. vento ingenti nemora omnia plangunt.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Dulcia formoſi tecum ſolatia ruris,
Tecum Amor, & Charites abiere, & gaudia noſtra,
Graminaque (infandum!) vulgo moriuntur in arvis,
Nil miſerum; ac niſi triſte ſonant, & paſcua, & amnes.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Nunc laudes ſpecioſa tuas mea fiſtula magnas
Uſque tacet; dulces numeros vel fundere docta;

Docta nec umbroſæ reſpondant carmina valles.
Omnia muta ſilent, iterat nec flebile ſemper
Voce gemens ſonitus Echo officioſa canoros.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Hîc ſimul a teneris unà nos viximus annis.
Nos ſimul hîc pariter Boſcalia frigora paſſi,
Contulimuſque graves æſtus, noctesque, dieſque.
Tu mecum pecudes ad pabula mane rubenti
Egiſti, Heſpereque exorto cava in antra vocaſti.
Dum tenui agreſtem meditabar arundine Muſam.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Quærat opes alius, vel pondera divitis auri.
Nil magis optarim pecudum quodcumque per orbem eſt,
Dum tecum ò Amarylli levi conſidere in umbra,
Mollibus ac pratis liceat decerpere flores
Purpureos, vinctamque ſimul retinere lacertis.
Et terere in ſilvis tecum feliciter ævum
Te mellita puella ſequar. quantumque benigna
Fata mihi vitæ dederint, ſub paupere tecto
Ocia agam tecum ignotis inglorius arvis.
Tum licet a ſtabulis rapiat cum matribus hædos
Uſque Leo ſtimulante fame, vituloſque tenellos.
Theſauros tamen ipſe Arabum, Crœſique talenta
Deſpiciam, ipſe Mida mihi ditior eſſe videbor:
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Amiſſos queritur fætus ut Turtur ab ulmo,
Quos jam proſpiciens ſpecula bene cautus ab alta
Fixit agens jaculis nemora inter frondea paſtor.
Talis vita manet ſine te lepidiſſima virgo.
Pectore ſic gemitus nos ducere ſuemus ab imo.
Queſtum queſtus alit, tabeſcunt lumina fletu.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Te ipſa abeunte greges non tangunt graminis herbam,
Non fontes quærunt, non quærunt paſcua nota,
Sed niveos olim ſqualor triſtis tenet artus,
Et tremulis implent agni balatibus agros.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Nunc, quem Virgineis manibus ſtudioſa rigabas,

Langueſcit, moriturque ſimul miſerabilis hortus.
Plantæ arent virides; & mollis amaracus aret.
Nectendiſque apium ſertis deflorruit, atque
Lapſa cadunt folia ex viridi nunc arbore quoque.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
En, quam plus oculis amo, me ſine ſola recedis?
Me ſine ſola, tibi fueram qui pulcher Adonis?
Quæ mihi per crines per lactea colla fluentes,
Per roſeas jurata genas, oculoſque decoros,
Per Venerem & ſanctam facientem fœdera firma,
Te nullo præter me habituram tempore amantem;
Adverſis neque te, nec caſibus ipſa ſecundis
Deſerturam unquam me? en hæc promiſſa fides eſt?
Heu verba fruſtrata volant ludibria ventis,
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Ille ego qui teneriſque jocis, riſuque trahebam
Noctes, atque dies tecum, verſabor amaris
In tenebris, nec jam ſaturabo lumina vultu?
Vultu, qui cœlum, tempeſtateſque ſerenas
Redderet, & ſegetes gauderent frugibus, & quo
Liventem immitis mox duceret uva colorem?
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Annoſam velut hanc quercum nunc ſæviter Euri e-
vertere certantes inter ſe hinc flatibus, illinc
Compellunt, nullo ſed verbere pulſa labaſcit.
Sit immota fides ſemper mea magna manebit.
Dedita menſque tibi ſemper mea ſerviet uni,
Nec blandas voces tractabilis audiet ullas.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Sed potius, quàm te formoſa Amarylli relinquam, &
Quam tu fixa meo labatur pectore imago,
Stillabunt lentæ fragrantia mella geniſtæ.
Pallentes violæ rigida exorientur in orno.
Candida parturient inculti lilia ſentes.
Aufugiet lepores canis, accipiterque columbas.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Tu modo ſi redeas, Venus ò mea {crede} redibit
Omnigenis ornans nitidum ver floribus æſtam.

Puben-

Pubentes herbæ per prata nitentia ſurgent.
Turbida diffugient nigranti nubila cælo,
Formoſuſque ſuo decorabitur hortus honore.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Dum revoco, argute te murmure lympha ſalutans
Pura vocat, colleſque vocant, & pabula læta.
Invitat variis exhalans floribus hortus.
Concentu revocat dulci vaga turba volucrum.
Prata micant tibi, ſilva viret, ſata culta renident.
Pulchra Amarylli redi Mopſum cur ſæva relinquis?
Ipſe ego perpetuo tecum, mea vita, manebo.
Ipſe ego per ſilvas tecum, ſaltuſque vagabor.
Nunc pariter tecum recubare juvabit in herba.
Nunc pariter viridante thoro captare ſoporem.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Dulce apibus flores, rivi marcentibus herbis,
Et capris cythiſus: nobis Amaryllidis ignis.
Quæ quantum horridior ruſco ſit acanthus, & ipſe
Suavius emoriens quantum canat anſere Cycnus,
Tantum Mopſo aliis eſt gratior uſque puellis.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Non in Rhiphæo quæ monte pruina rigeſcit.
Frigida nec gelido quæ nix dureſcit in Hebro
Nimirum noſtros poſſunt mollire calores.
Sic nos urit amor durus, ſic dura puella.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Te excutient redeunte novos nova gaudia fletus.
Optatoque ſimul tandem ſermone fruemur.
Et veteres iterum, placidoſque novabimus ignes.
Grataque divini mirabimur otia ruris.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Huc odes ô dilecta Amarylli, ô cara puella,
Te virides ſilvæ expectant, te paſcua, teque
Irrigui expectant fontes, tibi florea ferta
Contexunt Nymphæ ſuaves ſpirantia odores.
Adventuque tuo declarant gaudia vultu.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Hîc mihi complexus junxiſti, hîc baſia cara

Fi-

Fixiſti, Hyblæoſque favos ſuperantia, ſertum hic
Mi olim floridulum manibus, quod forte gerebas,
Donaſti dicens, hoc nunc tibi donat habere
Mopſæ Amaryllis; habe manuum monumenta ſuarum.
Pulchra Amarylli redi: Mopſum cur ſæva relinquis?
Heu cadit in te ipſum tantus furor? heu tua nobis
Pæne ſimul tecum ſunt gaudia rapta puella?
Quænam igitur diſtinguet agros gemmantibus herbis?
Et nemora ornabit frondentibus æſtiva ramis?
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Ergo Cecropioque thymo mihi ſuavior, & mi
Albaque olore magis, myrtoque nitentior ipſa;
Jam redeas; anno ſine te brevis hora videtur
Longior, afficitur pectus cruciatibus aſpris.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Pan Deus, & veneranda Pales nunc arva relinquunt.
Nec Faunos, Satyroſque leves, Dryadaſve puellas,
Paſtoreſve tenet, ſaltus, campoſve voluptas.
At Lupus inſidias ovibus molitur iniquus.
Te ſine dulce nihil, ſimul omnia triſtia fiunt.
Tale facis ſubito cariſſima Nympha receſſu.
Pulchra Amarylli redi, Mopſum cur ſæva relinquis?
In fluviis alnus formoſa eſt, pinus in hortis,
Quercus & in ſilvis, abieſque in vertice celſo.
Sed tibi, ſi redeas jam nos Amarylli reviſens,
In ſilvis quercus cedet, tibi pinus in hortis.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Nunc deſiderio pereunt armenta, gregeſque.
Nunc montes pereunt, pereunt nunc prata, ſimulque
Silvæ, agri, Nymphæ, paſtores, flumina, fontes.
Aſt longè ante alios Mopſus malè deperit, ergo
Nympha redi exhilarans claris jam ſingula ocellis.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Rumpe moras tardas, lætiſſima gramine ripa,
Speluncæque manent, duplicata reſultat imago
Silvarum aſſenſu vocitans mugitibus amnes.
Expectant, valleſque cavæ, ſaltuſque ſalubres.
Te blando invitant te examina læta ſuſurro,

For-

Formoſi invitant colles, lucique ſonantes.
Et tibi fundit humus non uno è ſemine flores.
Pulchra Amarylli redi Mopſum cur ſæva relinquis?
Non molles umbræ nemorum, non gramina poſſunt
Ipſa levare animum, non qui per lævia ſaxa
Paſſim diffugiens immurmurat humor, at ingens
Corda dolor premit aſſidue, metus anxius angit.
Somniferique juvant cantus nihil herba, nihilque
Exquiſita diu, duroque juventa labore
Montibus, ægreſcit morbus gravis uſque medendo.
Pulchra Amarylli redi. Mopſum cur ſæva relinquis?
Uſque Lupum fulvi ſectantur ubique leones.
Lanigeras ſectatur oves Lupus acer, oveſque
Gramina ſectantur, ſectantur gramina rivos.
Sectantur rivi cava flumina, flumina pontum.
Sectaturque ſuam formoſam Amaryllida Mopſus.
Pulchra Amarylli redi Mopſum cur ſæva relinquis?
Quantum vere novo lætatur ſima capella.
Æſtivo quantum ſitientia prata liquore.
Autumno gravido quantum Semelius uva.
Tantum Amarylli tuus reditus Mopſum exhilarabit.
Ergo redi ergo Amarylli redi, pulcherrima virgo.

Ex Franciſco Petrarcha.

Lymphæ lucidulæ, atque item
Dulces, & gelidæ, in quibus
Lavit cerea membra, quæ
Herois mihi dicier
Sola digna videtur.
Tuque floridulis nitens
Arbor inclita ramulis,
Olim cui niveum latus
Hæſit: heu quoties gemam,
Cum ipſe hæc ipſa recorder!
Et vos gramina, quæ ſedens
Preſſit, voſque tenelluli

Flo-

Flores, qui Ambroſium ſinum
Pulchris undique frondibus
Lætantes coluiſtis.
Aër tuque ſerene, mi
Sacer, ſplendor ubi illius
Mentem amore revinxit, au-
dite, dum queror, atque vos
Extrema alloquor hora.
Si poſcunt mea fata ſic,
Sic ſi Cœlicolis placet,
Ut Mors impia, & impius
Suffuſos lacrimis Amor
Hos mi claudat ocellos.
Vos precor, ſinite impetrem,
Ut, cum ſpiritus ultimus
Feſſos liquerit artulos.
Sedibus placidis miſer
Saltem in morte quieſcam.
Nam vobiſcum obeo libens;
Dum una hæc ſpes maneat modo; ut
Veſter excipiens ſinus
Corpus frigidulum meum
Condat ſede quieta,
Forſan adveniet dies,
Cum ſuetum aditum ferat
Illa ſævaque, & aurea,
Quæ curis benè ſuavibus
Curas miſcet amaras.
Ubi ac tempore Virgo me
Sancto, hûc nunc volitat nigra
Huc illuc acies ſimul
Hæc læta, & cupidà ſtatim
Memet ſæpe requirens
Quin terram (heu pietas) videns
Jam me inter lapides, ita
Imis ſenſibus ardeat
Igni tacta Cupidinis,
Ut ſuſpiret amores.

Et

Et rorantia fletibus
Tergens lumina candido
Velo tàm placidè Deos
Hæc flectat, veniam mihi
Vitæ ut impetret ipſa.
Ramis purpureis quidem
(Dulce, dum memoro, accidit)
Imber floreus in ſuum
Deſcendens gremium locum
Suavi odore replebat.
Tum Diva, aſt humilis pudor
Cui curæ uſque: ſuperbiens
Minus, gloria tangeret
Ingens cor tacitum licet
Nimbo operta ſedebat.
Flos Limbum hic ſuper, hic ſuper
Crines aureolos, comas
Gemmeaſque cadebat, hic
Sternebatur humi, hic labens
Nabat lenibus undis
Paſſim turbinis in modum
Hic gyro aërio vagans
Spiritu loquier palam
Viſus vel foret; hîc te-
ne- net regna Cupido.
O dixi quoties ego
Tunc exterritus, æthere hæc
Nata venit ab arduo:
Sic me ſurpuerant mihi
Vultus, verbaque, riſus,
Decuſque immemorem; ut gemens
Dixi, quave via huc pedem
Tuli? quandove? tum polo
Credens eſſe, ibi, non, ubi
Mirabundus adeſſem.
Jam illo ex tempore gramina
Sic mi ſingula perplacent,
Ut nullo melius loco hoc,

Nulla hac ſede quictius,
  Mæſtus uſque quieſcam.
Si ea luce refulgeas,
  Quo deſiderio flagres;
  Audacter valeas ibi
  Dum ex denſo hoc nemore exiens
  Raptim iniſere gentem.

Ex Jacobo Actio Sincero Sannazario.

Ripam gramineam ſuper
  Fluminis nemore in vago,
  Quod ſemper virides novis
  Pingunt floribus herbæ.
Ductorem pecoris ſacræ
  Vidi Palladis arboris,
  Cinctum tempora frondibus
  Jam ſub tegmine fagi.
Qui dum lux nitida extulit
  Se undis cærulei maris,
  Tertio caneret die
  Martis ante Calendas.
Cujus picti avium chori
  Reſponſum numeris dabant
  Voce ſuavidica ſimul
  Sub leni arboris umbræ.
Iſque, ad ſplendida lumina
  Ut ſe vertit Apollinis
  Pulchri, dulcia fundere
  Cœpit carmina avena.
Alme lanigeri gregis
  Cuſtos è thalamo exiens
  Aurato irradia tuo
  Claro lumine cœlum.
Nativiſque coloribus
  Duc extempore floridum
  Nunc ver omnigenis ſinum

Mille floribus ornans,
Tendas altius, atque iter
Per cœlos agitans equos,
Ut præter ſolitum ſoror
Mergatur mare vaſto,
Quam lætos meditantia
Choros uſque nitentium
Sectentur pede candido
Stellarum agmina cuncta.
Nam linquens Superûm domos
Paviſti niveas oves,
Admeti ad vaga flumina
Olim, ſi meminiſti.
Valles, voſque reconditis
Rupes vallibus additæ,
Aſpirate, Abies mihi,
Et Cupreſſus, & Alnus.
Nec fœtus ovium magis
Infectos metuant Lupos;
Aſt orbis redeat prior,
Et Saturnia regna.
Et per celſa cacumina
Jam fagi pariant roſas.
Albas, ſentibus & rubens
Duris pendeat uva,
Stillent mellaque roſcida
Altis quercubus, integris
Latè fontibus effluat
Ruri copia lactis.
Floribus niteat novis
Tellus, atque animalia
Pellant duritiem procul
Cuncta è pectore ſævo.
Aſſultentque Cupidines
Hinc mille aligeri, at faces
Nunc abdant rapidas ſimul,
Ardenteſque ſagittas.
Et cantus nemorum Deæ

Candidæ moveant choros,
Et Fauni hircipedes, Dei
Silvarumque virentum.
Rideantque nitentia
Prata, & garrula fontium
Lympha, ac diffugiant polo
Aſtra nubila toto.
Ipſo hoc purpureo die
Advenit decor æthere
Ab alto, ac superûm ſacra
E domo inclita virtus.
Quare erroribus obrutus
Cæcis plurima ſæcula
Nunc pudicitiam polo
Delapſam videt orbis.
Fagorum hoc ego cortice
Scribo in ſaltibus omnibus,
Ut plantæ virides ſonent
Nunc omnes Amarantam.
Amara hæc mihi pectoris
Eluit, miſer ut graves
Luctuſque, & gemitus traho
Corde triſtis ab imo.
His dum montibus aviis
Errabunt celeres feræ
Paſcentes, geret ardua &
Frondes Pinus acutas.
Currentque impete limpidi
Fontes murmure blandulo,
Quos illa excipiat ſinu
Molli ſemper amore.
Dum ſpes, atque dolor premet
Illos anxius, intima
Quorum pectora commovet
Aura dulcis Amoris.
Nomen, luminaque, & manus,
Criniſque illius, hæreat
Quæ mi ſæviter oſſibus,

Noſcent omnia ſæcla.

Quam ſævam modò, & aſperam
Vitam ducimus, efficit
Hæc, ut mi lepida, & ſimul
Dulcis eſſe videtur.

Cantilena precabere,
Si quiſquam lepor eſt tibi,
Fauſtus. ac nitidus, dies
Ut ſit mi uſque ſerenus.

De Pugna Actiaca Navali, ad Johannem Auſtriacum.

Quiſquis adeſt; geminas extollite ad æthera palma
Et dignas grates reddite Cœlicolis:
Urite Panchæos altaribus, urite odores,
Et cadat ante ſacros victima cæſa focos:
Dicite jo Pæana omnes Pythone peremto,
Et plauſu exultent, lætitiaque viæ:
Alter Apollo etenim Auſtriacus confregit Eoi
Anguis in Actiaco colla ſuperba mari:
Regnatorem Aſiæ, ſpoliis, prædaque recenti
Qui Cypri in ſuperos arma movebat ovans:
Efferus Jonio in magno ſinuantibus Euris,
Remige centeno carbaſa læta dabat:
Scilicet evictaque Aſia, Libyaque ſubacta
Europam ut ſævo ſervitio premeret.
Heu quantas nobis acies, ſtragemque ciebat
Mittens Tartareos impia in arma canes.
At rege Hiſpaniæ. & Venetis ſibi fœdere junctis
Quincto Cœlicolas corde precante Pio:
Æquora Cæſarides animoſus imagine patris
Joannes ſecuit cærula claſſe cita:
Barbaricas rupitque acies, fortiſque phalanges
Lunatas mediis præcipitavit aquis:
Traxit & extinctos populos Orientis ab oris
Ad Stygias undas, Eumenidumque domos:

Di-

Disjecitque rates Thracum, Neptuniaque arva
  Purpurea Scythico ſanguine fecit atrox:
Nereidum, Phorcique chorus, Panopeaque Virgo,
  Et quæcunque colunt æquore lata Deæ:
Obſtupuere omnes undis caput extollentes
  Præque timore illis diriguere comæ:
Tot pelago Lyciosque arcus, Libycaſque pharetras
  Cernentes, cæſos totque natare viros:
Attonitiſque animis ſua cærula regna timentes
  Se immerſere, imos & petiere lacus:
Quis per ſanguineos agitata cadavera fluctus
  Enumeret? galeas, fortiaque arma virûm?
Quis laceras pinus? captas, cæſaſque triremes?
  Sparſaſque exuvias, & ſpolia ampla ducûm?
Et quis nunc paveat Mavors, genus acre virorum?
  Quis diros Thracas? quis gelidosve Scythas?
Quis celeres Parthos? ſpes occidit, occidit omnis
  Barbara, pontus habet magnanimoſque duces:
Jamque opibus ſummis, ſpoliiſque Orientis onuſtus
  Ad patriam quiſquis victor ab hoſte redit.
Atque omnes geſtit meritos ſibi reddere honores,
  Geſtit & audaces perdomuiſſe viros:
I Sulthane ferox, Stygii ſate ſemine Ditis,
  I move in æthereos (heu ſcelus) arma Deos:
Magnum etiam capit ira Jovem ſupera alta regentem,
  Qui te cæruleis obruit ultor aquis:
Auxa Ery hreis ò lux ſignanda lapillis,
  Atque dies inter ſemper habenda ſacros:
Qua reparata quies, qua fracta Tyrannica ſceptra,
  Partaque ſpumifero mille trophæa ſalo.
Ergo triumphali Caroli generoſa propago
  Victrices lauro nunc tibi cinge comas:
Nam toto evicto, domitoque Oriente, redibunt
  Sub te falciferi tempora priſca ſenis:
Sub te, quæ veterum cecinere oracula vatum,
  Extabunt, ſub te gens Orthomana cadet:
Quid valeas armis ſenſit nemoroſa Zacynthos,
  Senſit & Jonii cetera turba maris.

At vos illuſtres animæ pro ſanguine Chriſti
Quas juvit fortes occubuiſſe neci.
Vivite in Elyſio felices, vivite, nam vos
Docta per ora virûm fama loquetur anus.

Ex Anacreonte in Poculum Argenteum.

Nunc torno facili mihi allabora
Argentum ignipotens, & inde finge haud
Arma horrentia, (Mars ferox quid ad me?)
Poculum at mihi tam cavum, ac profundum
Fac, illo ut queat invenire nullus
Aut cavum magis, aut magis profundum.
Inque ipſo minus aſtra, plauſtrave ulla,
Orionave ſculpito occidendo
Ferentem pelago graves ruinas,
(Ecquid Pleiades mihi? mihi ecquid
Curru noctivago nitens Boötes?)
Sed vitem rogo lividis racemis
Effingas mihi ritè, cumque Baccho
Una uvas ſocios ſimul prementes
Amorem lepidum, meum & Batyllum.

Ex eodem in Amorem.

Muſæ florea vincula arcta capto
Inicere Cupidini coronas.
Quem vinctum ſimul, & ſimul revinctum
Miſerunt benè muneri Decori.
Et nunc munera Cypris alma præfert,
Amorem abſolvat quibus requirens.
Sed licet redimatur ipſe, ſuetus
Inſervire tamen manebit illic.

Ex eodem in Puellam.

Ne me candida fugeris puella
Canos conſpiciens mihi capillos,

Quamvis puniceæ tibi color ſit
Roſæ flore prior, meos amores
Noli ſpernere, nec putare parvi;
Decenter viden en, roſis corollis
Alba lilia ut implicentur arctim.

Ex eodem in Amorem.

Inter purpureas roſas Cupido
Non conſpexit apem latenter eſſe.
Punctus eſtque, manumque ſauciatus.
Heu quot mox dedit ejulationes.
Ad pulchram Venerem modo hûc, modo illuc
Curſitanſque, volanſque, mater, inquit,
Occidi, occidi, amata diffluit lux
En, dixit, (vocitant apem coloni)
Ut pennata minuta vulneravit
Serpens me miſerum, illa ſic locuta eſt.
Si tantum facit hunc apis dolorem,
Dolorem facit hoc ſi acumen, ecquos
Dolore ipſe dolere credis illos,
Quos ſævis jaculis feris Cupido?

Ex eodem in Cupidinis Sagittas.

Dum Cupidinibus Deus Sagittas
Lemni ad fumiferos agit caminos,
Sumto ære Cypriæ maritus olim,
Hamos melleque temperat Cythere
Dulci, miſcet Amorque fel amarum,
Ex pugna armipotens reverſus haſtam,
Mars, inquam, quatiebat horridam haſtam
Tela infeſta quidem elevans Amoris.
Aſt amor ſubito; grave iſtud, inquit,
Grave iſtud, face, ſi libet periclum.
Tunc Mars vulnificam accipit ſagittam,
Ridebat Venus, ille at ingemiſcens
Maximè gravis, inquit, aufer illam,
Illam aufer: tibi ferta, ait Cupido.

Ex eodem in Ver.

O quàm pulchra perambulare res eſt,
Prata luxuriant ubi, leviſque
Tepores gelidos refert Favoni,
Jucundiſſima ubi aura, palmiteſque
Lætos aſpicere uſque, vel Lyæi
Suavis pampineas ſubire frondes.
Tenellamque puellam habere vinctam
Spirantem Veneres, Cupidineſque.

ANTONII FRANCISCI RAINERII

MEDIOLANENSIS.

De Numa.

VIderat armato Tibris ſub rege. Quirites
Jura dare edomitis Martia finitimis:
Viderat & Superis populum pia thura ferentem,
Sacraque ſub ſancto ſurgere Pompilio:
Cum lætus, reſono hæc effudit flumine: noſtra &
Quam bene Roma colit! quam bene bella gerit!

De Alexandro Magno.

Quid tua te, Macedo, juvit late aucta per orbem
Gloria, Hyperboreo qua riget aura gelu?
Quaque pharetratæ ſurgunt juga Perſidis, & qua
Ebibit Eoas decolor Indus aquas?
Victorem cum te populorum vicerit ira,
Noxiaque undanti pocula ſumpta mero,
Et tumidi faſtus, Divûm queis poſcis honores;
Cogis & ingenuos flectere colla viros.

Hæc

Hæc procerum impulerunt fida olim pectora, Regi
  Miſcere è ſæva toxica Theſſaliâ.
Fortunam reverere nova, ò qui ſceptra capeſſis:
  Nam Dea regna agili datque adimitque manu.

Sub effigie Totilæ.

Hæc Totilæ effigies, quo junctæ leguntur in uno
  Et decor, & [illegible], & pudor, & pietas.
Miſcetur decori robur; pudor emicat armis:
  Quam forti adparet pectore, tam pius eſt.
Urbem terrarum dominam capit; attamen urbis
  Servat captivæ templa, Deoſque colit.
Semivir aſt illum valido domat agmine Narſes,
  Infractum bellis omnibus ante virum.
Flebilior ſors nulla fuit: nam contigit illi,
  Heu, prope femineâ procubuiſſe manu.

De Narſete.

Non, non hac tabulâ ſemivirum hunc fingere parvulâ
Fas eſt; marmoribus quem decuit ſcalpier, arduo
Aut Oſſâ aut Rhodope, aut aërio Caucaſeo in jugo,
Si ſpectes animum belligeri, factaque fortia.
Hic Narſes, regio quem peperit Perſidos inclita,
Byzantique aluit quem domus olim aurea Cæſaris;
Eductum muliebri imperio, & mollibus in jocis;
Acuto fuerant ſecta cui pondera forcipe.
Hic ille eſt valido conſilio qui quatit agmina
Gothorum, & madidum ſanguine regem Totilam Italo,
Francorumque acies, barbariemque Auſoniâ expulit.
Salve, ô macte animo ſemivir, & clarior omnibus
Veris Marte viris: nunc utinam magne reſurgeres!

Gothofredo Bullionio.

Gothofrede, piis Solymos dum ſubiicis armis,
  Et renuis capiti regia ſerta tuo;

Nil umquam humano divinius exiit ore.
Regali quam quod exiit ore tibi:
Laurea non hominem geſtare; nec aurea regem,
Fas, ubi rex divûm ſpinea ſerta tulit.
Macte heros, tam voce hac quam victricibus armis;
Quæ Babylon, omniſque horruit Aſſyria.

De Azolino, Patavii tyranno.

Sylla, Nero, Cajus, Marius, Mezentius; his tu
Azoline, ipſo & ſævior es Phalari.

In Robertum Neapolit. Regem.

Adſitis teneræ Parthenopes decus,
Sirenes, ſacer & Pieridum chorus,
Et Tuſcæ Charites, &
Flavi numina Tibridis;
Dum Regem tunicâ tectum adamantinâ
Robertum canimus, Cæſaris impii
Pellentem agmina, ut alto
Nimbos exiliens Notus.
Ille iſte horriſono barbarus impetu
Terrarum dominam hanc, & Superum domum
Ferro perdere, & igni
Tentabat, facinus ferum.
Aſt illum impavido Rex pius agmine
Siſtens, indomitæ frena licentiæ
Injecit; trepidam urbem, &
Servans purpureos patres.
Quin & præcipitis plenum opus aleæ,
Civileſque acies, ſciſſaque Etruriæ
Sedans pectora, dictus
Dux eſt, & patriæ Pater.
Unde his pro meritis (impatiens jugi,
Quæque altè innumeris jura dat urbibus)
Gens Etruſca, ſecures
Nato atque imperium dedit:
Salve ô bellipotens, progenies Deûm:

Tem-

Templa immania qui marmoribus ſacris
Condis thuricrema, altri
Æquent quæ juga Caucaſi.
Tu Pindi auricomum è vertice Apollinem,
Sebethi irrigua ad murmura vitrei,
Ducis; Parthenope alma ut
Diſcat Pierium melos:
Cum vatem cithara nobilem eburneâ
Petrarcham, thalamo ſuſcipis aureo,
Quem mox Delphica laurus
Cinxit Romuleo in foro,
Hæc illi, auſpice te, munera contulit
Roma altrix ſtudiorum, & Latium ferox;
Unde Arnus vaga claro
Lambit ſidera vertice.

Sub effigie Job Archiepiſc. Genuenſis.

Cæruleâ chlamyde inſignem, nivelſque nitentem
Pellibus, & Scythico maculis ſub tegmine fuſis,
Stellanti Regum ornatu, heroümque, ducumque
Inſubrum venerare ducem, Ligurumque potentem.
Hic vir, hic eſt; viden' ut generoſo effulgeat ore
Majeſtas? viden' æthereas elapſa per auras
Pulſa Aſtræa olim, fronti ut conſederit altæ,
Divinoſque oculis Venus alma adflarit honores?
Olli qua tenero nimboſa per avia lapſu
Serpit humi Eridanus, quaque altior exit, & auctus
Centum fluminibus, gemino ſternit ſata cornu,
Quaque adſueta malo, veterumque exercita bellis
Romulidum, gens dura, animiſque elata ſuperbis
Auro inhians Tyrrhena agili verrit vada puppe;
Olli alacres ceſſere omnes; quaque arduus almam
Principio Auſoniam ſecat Apenninus, utrumque
Cum mare proſpectat, ſubjectiſque intonat undis.
Ille ille imperii fortunarumque ſuarum
Conſortes mirâ amplexus pietate: nepotes
Conſtituit pulſos ſoliiſque locavit avitis.

Mar-

Marmoreaſque ædes, Phrygiiſque inſixa columnis
Atria, regalemque aulam laquearibus aureis
Condidit, & patriæ æternum decus addidit urbi:
Junctus & ante tuos operoſo eſt Abdua ponte
Maxime Lari, oculos; violenta ut fluminâ diſcant
Ferre jugum, fremitu neu quiſquam adſurgat iniquo.
Purpureum ille etiam decus atque, inſignia dona
Curalio e fragili, trabeam, faſceſque ſuperbos
Reſpuit, & quæ quiſque ambit, pede reppulit alto.
Ergo iterum venerare ducemque patremque ſacrorum.
Et gladio, & lituo, ſceptriſque, animiſque potentem.

De Sfortiâ.

Belligeri grave Martis opus dum Sfortia tractat,
  Sfortia magnanimûm gloria prima Ducum;
Fert & opem rapidis merſo generoſus ab undis
  Dum puero, ingentem liquit in amne animam,
Hæc memorant. At vera magis Polyhymnia magni
  Facta ducis famæ tradidit atque obitum.
Scilicet undoſum dum ſanguine tingit Aternum
  Haſtâ, atque armiſono conſcipiendus equo,
Commotum fluvii numen, voluiſſe nitentem
  Pollutis illum mergere vorticibus:
Ut famâ, & rapti herois tumefactus honore
  Æternus tanto funere Aternus eat.

De Paulo Vitellio.

Urbis ut ingratæ ſcelus, & victricia Pauli
  Audiit immiti colla reſecta manu:
Scipiadum major, tua quid benefacta, Vitelli,
  Quid valuere mea? ah dixit, & ingemuit.

De Vitellocio.

Non me Diva potens, atque volubilis,
Motu quæ rotat hæc omnia præpeti

Deprenſum Jovio merſit in improbo;
Nec Mars, belligero dum feror agmine
Hinnitu alipedum cum litui ſono
Lætantem, rapido ſuſtulit impetu;
Nec me ævo & ſpoliis tot gravidum novis
Heres, nobilium patria principum,
Linquentem gelido marmora funere
Victorem, tumulo condidit aureo:
Sed me perfidior Borgius æquore,
Martis fulmineo ſævior agmine,
Parcarum Lacheſi ſurdior ultimâ,
Ut Fatum, atque Fides credula, perdidit.

De eodem.

Non mare me, non Mars, ſæva aut Mors perdidit: at me
Perdidit omnibus his Borgius aſperior.

De Nicolao Urſino Petiliano.

Urſini venerare ducis picta ora, manuſque,
Eridanum quicumque bibis, Tiberimve Atheſimve,
Tyrrheno quicumque mari, Hadriacove potenti
Adlueris; celſi aut juga ſuſpicis Apennini.
Ille etenim Auſonios cum ſe effudiſſet in agros
Horrida tempeſtas, totamque involvier armis
Cerneret Italiam, & trepidantes pectore Patres
Italiæ Venetos decus, & cum maximus hoſtis
Fulminibus claram Patavî contunderet urbem
Exitium in magnum; ſtetit imperterritus ille
Huc illuc aciem volvens, urbemque pererrans:
Romulidum priſcâ fractus quâ barbarus arte
Vique animi invicti, Auſoniis exceſſit ab oris.
Salve ô bellipotens, tot qui unus millia contra
Sublapſam nobis vigilando reſtituis rem;
Qui fera Gallorum & Germanæ robora pubis,
Innumeras acies qui comprimis Hiſpanorum,
Et conjuratos Itala in præcordia reges.

De

De Gaſtone Foxio.

Funera quis memoranda canat, cladémque Ravennæ,
Et ſua ſumme ducum. facta, obitumque ſimul?
Ingentes cum tu incedens per corporum acervos,
Jam victor ſtrage heu concidis in mediâ.
Gallica ſenſere Heſperii quam vivida virtus,
Senſere, ultrici cum cecidere manu.
Sic obitu, juvenis, Decios imitaris; & armis
Sic geminos, belli fulmina, Scipiadas.

Sub effigie Jacobi Trivultii.

Inſubrum columen Trivultion, hæc tulit ora,
Quem ad magnum Bellona edidit Eridanum,
Mavorti permixta Deo: tres pectore vultus,
Treſque animos habuit, tergeminaſque manus.
Ter letho ſternendus erat: ſed dente maligno
Una ducem invictum ſuſtulit Invidia.

De Odetto Lotrechio.

Dicite qui Tuſci colitis prope Tibridis undam
Templa Deûm, & magnis thura datis Superis;
Dicite, cur Galli manes, animamque ſuperbam
Lugubri celebrant carmina veſtra ſono?
Hæc meruit rabidam inluviem qui perpulit, unde
Barbarico excuſſa eſt Urbs labefacta jugo.
Quare ingentem umbram Lotrechi, animamq; potentem
Inferimus claris carmine cœlitibus.
Pergite Romulidum proles, neu dicere laudes,
Neu pigeat manes excoluiſſe pios.
At tu ſperne virûm exciſa alto è marmore facta,
Summe Ducum, auratiſve addita imaginibus.
Sic melius; tua ſic ſe tollit ad æthera virtus,
Vincat ut aerias culmine Pyramidas.

Ad Alfonſum, Ferrariæ Principem.

Quam bene, bellipotens Alfonſe, ex aggere tundis
  Barbara terrificis agmina fulminibus,
Sulphureâ cum in nube, atque igne coruſcus aheno,
  Ceu Superûm æthereo cum tonat axe pater.
Obvia proſternis generi monſtra horrida noſtro;
  Sic eat ô. qui almam diripit Auſoniam.
Quam bene & æquoreas ineuntes flumina puppes,
  Et Venetum armatas in tua ſceptra manus
Diſicis, atque alto figis roſtra ærea templa,
  Martia virtutis ſigna ſecunda tuæ:
Suſpenſam ut cernant claſſem, ſtupeantque nepotes,
  Utque eat Hadriaco celſior Eridanus.
Quin Julî eludis robur, rictuſque Leonis,
  Atque inclementes in tua fata dolos.
Macte animo; felix nato Herculè, & Hercule patre;
  Quo cum alta invicto nunc teris aſtra pede.

Sub effigie Antonii Levæ.

Hic Leva eſt; Leva Heſperiæ laus maxima terræ,
  Qua Bætis tumidas in mare fundit aquas;
Implicitus cunctis morbo artubus, horrida bella
  Artibus, & ferro geſſit, & explicuit.

Franciſco Mariæ Feltrii Urbinat. Duci.

Mars enſem, clavam Alcides, dedit ægida Pallas,
  Et tibi cœleſtum tela triſulca pater.
Fulmina ſeu metuende manu ſive excutis ore,
  Pars ſtupet ut celeri coniicis illa modo.
Pars ſtupet altiloquæ donum immortale Minervæ,
  Utque cohortanti defluat ore ſophos.
His tu, & roboreæ perfunctus munere clavæ,
  Unde tibi æternum ab Robore nomen erit,
Monſtra domas, acies perrumpis, concutis urbes,
  Et latè undanti flumine ſternis iter:

Cum patrias ſedes, fuſis tot millibus ante,
  Invicto & repetis regna ſuperna pede
Dis genite, & geniture Deos, qui cuncta novorum,
  Et veterum æquiparas fortia facta Ducum.

Sub effigie Franciſci Borbonii, Ducis Anchiani.

Adſpice quem regno ſubnixum regia proles
  Flagrantem armorum laudibus extulerat.
Hoc duce magnanimi cecidit vis bellica Vaſti,
  Germani & toto ſuccubuere ſolo.
Gallica tum latis ſe ſuſtulit aurea pennis
  Gloria: famæ avidi laudibus Anchiani.
Invidit Mars; & juvenem ſimulacra cientem
  Martia, nube cavâ texit, & eripuit.

In Coſmum Medicem.

Te duce mortales quæ dedignata ſceleſtos,
  Extulerat niveos aurea ad aſtra pedes,
Aurea nunc Aſtræa redit: Venus ante receſſit
  Sacrilega, Etruſcæ, Coſme, decus patriæ
Per quem parta quies, & pax, & copia rerum eſt;
  Et Sophiæ, Aonidumque artibus ortus honos.
In falcem duce te galeæ conflantur & enſes,
  Nec lethale ſonant claſſica, nec litui.
Marte ſatus, Janum claudis: quis claudere Janum
  Mavortis prolem te potuiſſe putet?

PAULI RHAMNUSII VENETI.

In Rubei hiſtoriam Ravennatem.

JAm caligabat nomenque, decuſque Ravennæ;
Obrutaque ingenti pæne erat ipſa ſitu:
Non tulit inſignis pietate, atque ore diſerto
Roſſius, & patriam vindicat interitu.
Clara refert primâ referens ab origine facta,
Victricique Ducum parta trophæa manu.
Protinus egregia effulgent monumenta, perenni
Lumine; & antevolans Gloria carpit iter.
Artis opus magnum, potuiſſe Cytæida ſuccis
Florentes ſocero mox revocare dies!
Majus opus, culto eloquio revocare decorem;
Perpetuoque ſibi condere ſæcla ſuæ.

ANTONII RENERII COLLENSIS.

Ad Franciſcum Medicem Magnum Etruſcorum Ducem.

VEſper ut occidui condit vaga lumina Phœbi,
  Horrorem tacito nox ciet orbe ſilens.
Illius ut roſeos oſtendit Lucifer ortus,
  Jam viridis læta luce renidet humus.
Sic tenebræ inſurgunt magno genitore cadente,
  Sic nova lux, ſceptris te potiente, redit.

Ad eumdem.

Ut monte impoſitas cum fulmine Juppiter arces
  Ferire, celsa Turriumve cogitat.
Tela triſulca movet Cyclopum educta caminis
  Tonanſque nigro ſpargit acta turbine.
Non hæc progenies terræ, & gens horrida Aloei,
  Vaſtis adorti depulere viribus.
Sic quoque Dux Magne, & ſoboles Jovis aurea Magni
  (Nam ſunt Deorum Principes clarum genus)
Sic te, inquam, infeſto modo vulnere conſternatum
  Putarit ille, qui pati eſſe neſcium
Adverſæ validos fortunæ cenſeat ictus,
  Quiſquis ſecunda olim beatus utitur.
At virtus miranda viris inſignibus ultro,
  Non feſſa rerum, nec rudis certaminum,
Sed veluti igne aurum, adverſis fulgentior uſque
  Adeſt, parata ferre, quidquid eſt grave.

Ut

Ut Boreæ hybernis ingentem flatibus Idæ
Evertere altis arborem ſtudens jugis.
Ipſa autem ſcopulis concuſſo vertice adhæret,
Immota ſic mens Regibus claris manet:
Ut ſolet æquato cum nuſquam pondere libra
Gravata pendet, alterum latus trahens.
Namque voluptati addictus, metuenſque laboris
Periculorum caſibus frangi ſolet.
Fortunæ at potis es ſævum contemnere vultum,
Furente proterentis omnia impetu.
Actus ut Alcides odiis Junonis iniquæ,
Tamen malorum haud obrutus graviſſimis.
Ille ſed æthereum Deus aſcenſurus Olympum,
Magni reprenſus eſt Patris manu Jovis.
Atque adeo æterni dederunt Dî te quoque nobis,
Superſtitemque, opiſque jam non indigum,
Legibus emendes fecunda ut ſæcula culpæ,
Et mollias malis adauctis aſpera.
Quid ſit opus, melius quiſquam non percipit alter,
Summo tibi annuente Patre Cœlitum.
Aſt ubi, conſumpto in curis gravioribus ævo,
Fatale tempus ad ſalutem expleveris,
In partem acceptum genitor gaudebit Olympi
Videre celſis te piorum ſedibus.
Qui benefactorum capit, omni ex parte beatus,
Illic ſuorum non inane præmium.
Interea fruere uſque bonis clariſſime Princeps,
Rerum potito quæ tibi dari vides.
Nos prece ſollicita incolumem te poſcimus, atque
Agi precamur dulce terris otium.
At quia conſilio ſapiens non indiget ullo,
Quæ ſint agenda ſolus ipſe præcipe.
Ut quod Etruſca tibi paret pulcherrima tellus,
Vocetur ore ter beata publico.

Ad Petrum Victorium.

Quis ſit dolores, & gemitus pote
Compeſcere unquam, ne potius ruat
In lacrimas idem, perire
Auſoniæ decus omne cernens?
Ut læta puncto hoc temporis omnia
Mutata mæſtis vidimus? ut nihil
Mortale firmum? nec benignam
Fors faciem invidioſa ſervat.
Nam facta quorum carmine proſequi,
Magiſve ſcriptis perpetuis fuit
Æquum, illa triſtis luctuoſo
(Sic placitum ſuperis) Thalia
Fœdavit, eheu, funere, lugubris
Funeſta tractans munera Næniæ,
Ornare eorum quam decebat
Magnificos titulis triumphos.
Lugere quiſnam Carmine lacrimis
Madente largis deſinat? aut magis
Effundat ut vires doloris
Mixta gravi gemitu querela?
Tu cui rotundo eſt ore loqui datum,
Æternitati Magnanimi Ducis
Cuſtodiendum trade Nomen
Clariſonum veniens in ævum.
Non magna laudum mergere te queat
Moles, profundo ne ſubito enates,
Ad lucidas evectus auras
Albus olor fugiente penna.
Te orante nuper, cum juvenum manus,
Virique fortes ora reſolverent
In lacrimas, ſiccos ocellos
Inde Domum retulere nulli.
Aut ſi tonabas, igne Dieſpiter
Ut cum coruſco nubila dividit,
Aut ſi nitens, leniſque, & amni

Per-

Perſpicuo ſimilis fluebas,
Moviſſe curva ſic perhibent lyra
Amphiona olim ſaxa Jove editum.
Quod flecteret, quocumque vellet,
Ipſe animos precibus diſertus,
Sic ore ducta interritus Hercules
Aures catena dicitur aurea
Torſiſſe ab obſcœnis eorum,
Qui dociles aderant loquenti.

Ad Joannem Rondinellium.

Quod te Phœbus amat, læto quod carmine poſcunt
Aoniæ ſacratæ ſorores,
Fare, age, Rondinelle, gravis quem cura remordens
Sollicito ſub pectore verſat;
Quam ferus ille fuit, primus qui corpora morti
Objeciſſe hominum perhibetur!
Triſtibus ille quidem mutavit mitia, fratres
Unanimes, charaſque puellas
Diſſidio æterno inſtituens, dulceſque ſodales,
Et veteres ſejungere amicas.
Idque parum viſum eſt, erepto vivere juſſit
Dimidio, & perferre dolorem.
Et quoniam Heroës merguntur funere, quidnam
Præterea tutum eſſe putemus?
Cui non aſſiduo tabeſcunt lumina luctu,
Dum lacrimis ſic ora rigantur,
Qualis vere novo gelidis de montibus humor,
Decreſcens augetur ab imbri?
O factum bene! cum merita illum pœna ſecuta eſt,
Quem mala tot memorant peperiſſe,
Dum petit æthereis ignem ſubducere tectis
Callidus, atque Jovi dare verba;
Caucaſias volucris ſalienti viſcere paſcit,
Diſtrictus fera membra catena.
Quid juvat hoc etiam, longis cum vulnera tanta
Afficiant cruciatibus omnes?

Mendaces etiam Parcas, crudeliaque aſtra
Væ miſeris licet uſque vocare.
At nil proficimus. Tantum patientia vincit,
Quod non ſit pote corrigere arte.
Ergo felices animas tua, docte Joannes,
Quæ ſylvas, & muta ſonare
Saxa queat, lyra ſopitos ita ſuſcitet, ut quem
Indignâ mors funere merſit,
Mox quacumque ſinu terras fovet Amphitrite,
Pierio decoretur honore.

ALEXANDRI RINUCCINI

FLORENTINI.

In Ortum Magni Principis Etruriæ.

QUi tenui nuper cantabam carmine luſus
Paſtorum, & ſparſas fruſtra ſub ſole querelas,
Egreſſus tandem ſylvis, gregibuſque relictis,
Nunc majora canam. Vos, o ſanctiſſima vatum
Numina Pierides, magnas quæ carmine laudes
Dicitis Heroum, cœpto aſpirate labori,
Et mecum Auſtriacos partûs celebrate faventes.
Tuque adeo Italiæ columen, ſpes certa tuorum
Franciſce, æterna ſemper digniſſime vita,
Scilicet ad dulces paulum ſecedere Muſas,
Cum procul a nobis in vertice Pratolini,
Alta ubi regali ſurgit tibi machina cultu,
Inter frondentes ſylvas, & amœna vireta
Otia grata teris, tantis Dux Maxime curis
Huc ades, & noſtris Juvenilibus annue cœptis.
Forte tuas olim majori carmine laudes
Cum jam firma meis annis acceſſerit ætas,

Ma-

Maximaque invicti celebrabo facta parentis.
At nunc ut populis optatus denique Princeps
Te genitore ſatus vitales carpſerit auras,
Cantare incipiam magnarum exordia rerum.
Sidera fulgebant Cœlo ſub nocte ſilenti,
Cunctaque per terras poſitis mortalia curis
Corporis jucundo laxarant membra ſopore,
At Magno conjuncta Duci Regina marito,
Qui populos latè Etruſcos moderatur, & urbes,
Non oculis ſomnum, aut dulcem ſub nocte quietem
Accipit ingentes tacito ſub pectore curas
Exagitans, animo quæ ſint ventura, volutat,
Tempus enim dum inſtare videt quo corpore caſto
Prodeat in lucem Medico de ſanguine proles
Concepta, & primis vagitibus impleat auras,
Protinus exactos repetit mens anxia partus,
Agnoſcitque ſuo nequicquam a ſemine regem
Qui magni quondam geſtaret ſceptra parentis,
Tyrrhenos populos multos optaſſe per annos.
His curis incenſa animum, & perculſa dolore
Per noctem invigilat; ſed poſt quam roſcida Cœlo
Enitet expulſis gelidis Aurora tenebris,
Tum demum ſeram carpit per membra quietem,
Vividuloſque levi ſomno declinat ocellos.
Olli magnanimus cœlo delapſus ab alto
Viſus adeſſe ſocer clara illa in veſte refulgens,
Quam quondam ſacro Procerum ſpectante ſenatu,
Sic voluit, ſummus Romana in Sede Sacerdos
Induit, & niveo cinxit diademate frontem.
Lætus erat vultu, Coſmoque ſimillimus illi,
Qui victor viridi precinctus tempora lauro
Ornavit claris fulgentia templa trophæis,
Tum ſic affari, taleſque effundere voces,
Eja age chara nimis noſtræ ſpes unica gentis
Corripe te ſomno; & tandem ſub luminis oras
Depone optatos fauſto cum ſidere partus.
Jam tibi naſcetur noſtrum labentibus annis
Qui regat imperium, patriis veſtigia ſignans,

Quo duce cuncta ſuo tellus lætetur, Etruſca
Gentis & attollat noſtræ ſe gloria Cœlo.
Tu modo funde preces, & ſanctæ pectore ab imo
Virginis implora poſtremo tempore Numen:
Dixerat, & tenebris fugiens ſe condidit atris.
Obſtupuit primo, tantis exterrita viſis,
Ut noctem, & ſomnum ex oculis Regina fugavit,
Inque omnes thalami defixit lumina partes;
Reddere jam voces cupiens, & jungere dextram:
Magnanimoſque iterum vultus ſpectare loquentis.
Aſt ubi nulla ſuis oculis apparet imago,
Nec thalami in tenebris facies optata refulget;
Mente agitans quæcumque ſibi modo dixerat Heros,
Regali ſuffulta thoro, manibuſque ſupinis
Cœleſtes implorat opes, ac talia fatur:
O noſtras aſſueta preces, Sanctiſſima Virgo,
Audire, & fluxis hominum ſuccurrere rebus,
Quid Thuſci exoptent populi, quis mentibus adſit
Ardor, ut e noſtra vix tandem prodeat Alvo
Qui regat Imperium, & patrias moderetur habenas.
Haud ignota tibi, multas & ſæpe precantum
Audiſti voces ſummo de vertice Cœli.
Quare age, quandoquidem populos hæc una fatigat
Cura ingens, & cuncta exoptat Etruria Regem.
Ipſa ades, atque tuum ſemper ſi poplite flexo
Numen adoravis, & terris quæſita remotis
Templa colens, largè cumulavi altaria donis,
Huc oculos nunc flecte tuos, res, Diva, tuorum
Aſpice, & exactos poſt multos denique partus
Da populis caput, & noſtris allabere votis.
Talia, dum ſupplex, oculos ad ſidera torquens
Principis Etruſci conjux caſtiſſima fatur,
Aureus exoriens ſpargebat lumine terras
Æthiopum linquens ferventia littora Titan,
Quo veniente novo ſubito ſplendore coruſcant
Omnia, pacatus diffuſo lumine ridet
Æther, innumeris Tellus variata figuris
Dum ſpirant Zephyri per gramina matutini

Læ-

Lætatur, ſuavique auras permulcet odore.
Tuque adeo inprimis naſcenti debita Tellus
Tuſca Duci læta exultas, & ſemine nullo
Depingis variis viridantia floribus arva.
Jamque aderat tempus revoluto ſidere, quo ſe
In lucem efferret tanto digniſſima patre
Progenies; priſci dictis confiſa parentis
Regina incumbens alto lætiſſima lecto
Exultans ſolitos ſpernebat ponderis ictus.
Ponere jam partus cupiens; jam parva tepenti
Membra fovere ſinu, populis cum denique Tuſcis
(Quid non a ſuperis exorant vota precantum?)
Naſcitur optatus magni genitoris Imago
Chara puer: velox extemplo Fama per alta
It tecta, & veris implet rumoribus Urbem,
Nuntiaque innumeris latè lætiſſima linguis
Obſtrepit Etruſcis portans nova gaudia terris.
Ergo omnes tanto lætati pectora partu,
Ad Cœlum attollunt animos, & vocibus altis
Ingeminant læti plauſus, it clamor ad altum
Æthera, commotam bacchatur quiſque per Urbem,
Bacchatur, ſpernitque artes, duroſque labores;
Non alta Aſſyrio fucatur murice lana,
Textile non radio telis immittitur aurum,
Non durum curva verſatur forcipe ferrum.
Quiſque ſuum contemnit opus, ſolitoſque labores
Deſerit, & feſtæ veneratur gaudia lucis.
Pars choreas plaudunt pedibus per compita circum,
Pars ducunt lectas priſco de more phalanges,
Et belli ſimulacra cient: innoxia quiſque
Tela tenet dextra, validis pugnare paratus
Viribus, & proprios armis defendere fines;
Parte alia egregius Populi Regnator Etruſci
Incedit delubra petens, cui plurima turba
It procerum comes, & longo veſtigia tractu
Servat ovans, ille ante alios ſpectabilis omnes
Eminet, & læto declarat gaudia vultu.
At poſtquam Templi ſumma ad faſtigia ventum eſt,

Ipſe tenens aras, palmaſque ad ſidera tendens
Fundit ab ore preces, & ſummo vota Deorum
Perſolvit, grateſque refert, atque ordine longo
Advocat auxilio cœleſtia numina Divûm.
Cunctos idem ardor ſtimulat; data pignora cunctis
Commendant ſuperis, & ſacra altaria circum
Quas poſſunt tanto reddunt pro munere grates.
Interea ingenti miſceri littora plauſu,
Excitaſque urbes magnis Pater Arnus ab imis
Sentit, & auratum ſumma caput exerit unda.
Tum ſimul emergunt comites auraſque reviſunt
Incola gens fluvii candenti corpore Nymphæ,
Omnes populeis incinctæ tempora ramis,
Omnes effuſæ nitidos per colla capillos,
Et nullo niveum velatæ tegmine pectus.
Ipſe inter medias evinctus arundine crines,
Muſcorumque levi corpus velatus amictu,
Attonitus, glauco commotus lumine terras
Luſtrat, & ignotas ardet cognoſcere cauſas.
Namque videt varios paſſim per gramina flores,
Ridentesque nova ripas veſtirier herba,
Et fulgere nitens majori lumine Cœlum.
Aſt ubi Fama ruens curſum detorquet ad auras
Illius Etruſco referens data pignora Regi.
Protinus obtutu defixis fluctibus ora
Hæſitat, & geminas vultus deponit in ulnas,
Antiquas volvens memori ſub pectore ſortes,
Tandem ſuſpiciens, oculoſque ad mœnia tollens
Regia veridico lætus ſic intonat ore.
O Decus egregium noſtræ nova gloria gentis,
Alme puer, magnum magni patris incrementum,
Veniſti tandem tot jam expectate per annos,
Veniſti, nec vana fides, nam condita mente
Cuncta vigent, quæcumque mihi fatalia quondam
Divino afflati cecinerunt numine vates,
Quæ ſi vos tantum breviter cognoſcere rerum
Molem cura tenet, nitidæ mea numina Nymphæ,
Expediam dictis, atque ordine cuncta referre

In-

Incipiam, ſed vos (dum ſatis ora reſolvo)
Currite cærulei liquido pede, currite fluctus.
Nympha fuit quondam Latio notiſſima vates
Carmentis (Themidem dixerunt nomine Graj)
Interpres Divum, caſuſque aperire futuros
Docta, & fatidici referre Oracula Phœbi;
Hæc Divum monitu variis erroribus actum
Evandrum mater Tarpei in vertice montis
Ponere præcepit ſedes, rudibuſque Colonis
Prima olim cecinit, divino ex ore Sacerdos
Æneadas magnos, & nobile Pallanteum.
Currite cærulei liquido pede currite fluctus.
Præcipue, cum rupe ſedens, & montibus altis
Celſus ubi attollens caput Appenninus ad auras
Præcipiti effundit labentia flumina dorſo,
Veridicos cantus conſueto numine plena
Edidit, & longo Tiberi ſermone retexit
Terrarum imperium, populoſque ad jura vocatos,
Et celebret ductos Capitolia ad alta triumphos.
Currite cærulei liquido pede currite fluctus.
Ipſe aderam, auditaſque agitans ſub pectore ſortes
Jam tantos fratri lætus gratabar honores,
Cum me lætanti perluſtrans lumine vates:
Et tua venturis reſonabunt nomina ſeclis:
Arne pater dixit, ſubitoque arrepta furore
Venturas longo reſeravit carmine laudes,
Carmine, quod memori ſemper mihi mente repoſtum
Invida non unquam potuit delere vetuſtas.
O qui nunc aliis cedens inglorius amnis
Humectas tenui deſertas murmure ripas,
Adveniet tibi felici cum ſidere tempus,
Adveniet (non vana loquor) quo vertice ab alto
Major agens nitidos majori flumine fluctus
Vix Tibridis cedas undis, & cetera paſſim
Deſpicias Itala labentia flumina terra;
Ticinum, rapidumque Atheſin, magnumque fluentem
Eridanum, centum vaſto qui flumina ſorbet
Vertice, & ingentes curſu diſterminat Urbes.

Poſt

Poſt ingens duro everſus nunc campus aratro,
Aſpera ubi variis acceptis jam amnibus alveo
Rura ſecas Tyrrhena petens medio æquora curſu,
Hic tibi venturis ſurget clariſſima luſtris,
Imperio pollens, ſtudiis & clara Minervæ
Urbs decus Auſoniæ nulli virtute ſecunda,
Quæ populis latè quondam dominetur, & omnes
Finitimas juſtis teneat ſub legibus urbes,
[Sic placitum ſuperis.] redeuntes littore cives
Inſignes lauro, & templis ſpolia ampla ferentes
Excipies, Divumque viros decorabis honore.
Ut ſol æthereus noſtras evectus ad oras
Lumine cuncta ſuo reſtinguit ſidera, & alto
Emicat, & toto radios diffundit olympo,
Haud aliter virtute virûm, factiſque ſuperbis
Excellet, longeque alias ſuperabit Etruſcas
Gens una egregium veſtris decus addita terris.
Namque aliis rerum occultas recludere cauſas,
Altaque perpetuis intexere carmina chartis
Continget, cœloque novas attollere moles.
Hæc reget imperio populos, his artibus olim
Ipſa ſuum rutili fulgent ubi lumina cœli
Extendet nomen, famamque ad ſidera tollet.
Naſcentur Gemini, claræ duo lumina gentis,
Heroës ſceptro inſignes, oſtroque ſuperbi.
Hi quondam nitidis redimiti ſacra coronis
Tempora, ſub certa populos ditione tenebunt,
Et totum placidis frenabunt legibus Orbem.
Ipſe pater Tiberis cœlo gratiſſimus amnis
Regnator populûm Tibris quem flumine magno
Sringentem latè reſonantia litora cernes,
Illorum accipiet leges, & jura capeſſet,
Seque tuis primus tantis ſubmittet alumnis.
Nec minus illuſtres armis, magnumque potentes
Aſſurgent in bella Duces, qui patria latè
Extendant jura Imperii, quique otia terris
Servent, & placida regnent in pace repoſti.
Adveniet tantæ magnum decus addita genti,

Ad-

Adveniet virgo claro ſata ſanguine Regum,
Quam tu linquentem populos, quos maximus Iſter
Alluit, excipies plauſu, magnoque marito
Connubio junctam regali in ſede locabis.
Hic tibi non ullas rerum certiſſimus auctor
Deſignat metas, nec tempora ponit Apollo:
Æternum capit imperium, magnaſque tuorum
Extollit laudes, & facta ingentia cœlo.
Hinc etenim regum revocato a ſanguine ſurget,
Dignus avis, atavisque puer, venientibus annis
Qui ſua præclaris extendat nomina factis;
Et totum magnis virtutibus impleat Orbem.
Hujus in adventu majori lucidus æther
Lumine fulgebit, major ſe tollet ab ortu
Phœbus, & innumeros paſſim per gramina tellus
Dædala ſubmittet nullo cum ſemine flores,
Ipſe tuum molli depingi littus acantho,
Mixtaque cum violis rubentia lilia cernes
Neſcius, occultas cupiens cognoſcere cauſas;
Cum interea ingentes lætati ad ſidera voces
Attollent Populi, & duplices pro munere tanto
Incipient palmas erectas tollere cœlo.
At puer egregius lætæ nova gloria matris
Ore patrem referens, jam facta ingentia vultu
Promittet, tenero proh quanta manebit in ore
Majeſtas, quantoſque oculis oſtendet honores!
Cum gremio genitrix retinens lætiſſima natum
Regali molles nectet diademate crines.
At pater ut prima tingi lanugine malas
Cernet, tum rerum ſummas concedet habenas,
Et natum magna curarum in parte locabit.
Cernere erit juvenem regali in ſede ſedentem
Inſignem trabea populis dare jura vocatis
Et regere Etruſcas patriis virtutibus Urbes.
Tanta aderit juveni generoſo in pectore virtus
Inclita, ſed magnum noteſcent facta per orbem,
Et tollet late reſonans ſe gloria cœlo:
Cum petet armatus jam corpore firmus, & annis,

Viri-

Viribus Etruſcis populos nova bella moventes,
Barbaricoſque Italis arcebit finibus hoſtes.
Inde triumphatis patrias remeabit ad oras,
Hoſtibus, & ſpoliis delubra ornabit opimis.
Tum vero clamore virum, ſtudiiſque faventum
Et tua cernenti compleri littora plauſu,
Maxima tentabunt exultans gaudia pectus.
Quin & Tyrrhena aſpicies è littore prædas
Vertere victrices reſonante æquore puppes,
Omnes fulgentes auro, pictaſque trahentes
Hoſtibus erectas, decus immortale, carinas.
Quid memorem patriis adjunctas finibus urbes,
Impoſitaſque novas præruptis montibus arces?
Non mihi ſi centum ærato ſub gutture linguæ
Effundant totidem valido de pectore voces,
Principis egregias valeam percurrere laudes
Venturi, & cantu complecti ſingula facta:
Ut res ſæpe ſuis Italas tutabitur armis,
Ut demum junget magnos in fœdera reges,
Et cunctos placida populos in pace reponet.
Tum procul Auſoniis diſcordia triſtis ab oris
Terrificam nigris frontem redimita colubris,
Et furor, & belli fugiet ſcelerata cupido,
Aureaque Etruſcis remeabunt ſæcula terris.
Talia fatidico venturas pectore ſortes
Carmentis quondam recludens carmina fudit,
Quæ mox Etruſci cecinerunt omnia vates,
Qui vario noſtras coluerunt tempore ſedes,
Præcipue quem primo olim Tyrrhenus arator
Conſpexit glebam caſus aperire futuros;
Mox hominis forma linguas ſentire volucrum
Edocuit Tuſcos, & ſidera noſcere cœli:
Nunc autem (mihi certa fides) tot denique ſeclis
Advenit elapſis tanto de ſanguine cretus,
Aurea qui condat Tyrrhenis ſæcula terris,
Et totum magnis virtutibus impleat Orbem.
His poſtquam ſenior dictis audita ſuorum
Narravit fata, & finem dedit ore loquendi,

In-

Ingeminant comites plauſus, annoſaque membra
Imponunt humeris fetæ, ducuntque per undas,
Miſcetur vitreus, commota aſpergine campus,
Subſiduntque undæ placido gens ſpumea curru
Labitur, & lætis complet clamoribus auras.

FRANCISCI ROBORTELLI

UTINENSIS.

Ad Hieronymum Columnam.

Contigit olim unus multis laudator Homerus.
Ætas hæc centum ſi noſtra tuliſſet Homeros,
Vix te unam poſſent ſatis exornare canendo.
Iliadas etenim centenas carmine dulci,
Quale olim multis divinus ſcripſit Homerus.
Et ſi contexant, Muſis Phœboque volente,
Semper de te multa aliis dicenda ſuperſint.

M. ANTONII ROMITI

De Joanne Caſa.

Cur Caſa, miraris, merito non fulgeat oſtro?
Id formica ſalax parvula præripuit.

Ad Paulum Benium.

Ingenti cujus famæ vix ſufficit orbis,
Effigiem Pauli parva tabella capit.

JULII RONCONII

Ad Arnaldum Villanovanum.

ARnaldus ſtudio pectora nobili
Inſignis coluit, providus imbuit.
Phœbeis viguit clarus honoribus:
Dictus Pæonia mente ſalutifer,
Preſſis corporibus tam bene profuit.
Argentum ingenio fundere vividum,
Inque aurum potuit vertere fulgidum.
Ex fumo retulit ſic rutilam ſibi
Famam, ſic nituit ſidere purior.
Sed doctum magicis vivere in artibus
Credebant homines, ipſeque Pontifex:
Tam portenta viris hic operans dabat.
Sic ſe quò fugeret, quæ premerent mala;
Ad Regem profugus contulit hoſpitem.
Ægro ſed citius corpore Pontifex
Hunc ſe ſollicitum viſere geſtiit;
Solus eſt opifex creditus adfore:
At fato veniens raptus ab aſpero,
Invenit tumulum corporis in via,
Vivit ſed celebri nomine ſplendidus.

Ad Philippum Commines.

Congeris illuſtri magnas res corde, Philippe,
Pectore celſa capis, pectore mira ſapis.

Qua

Quæ tibi condecorat ſolers prudentia mentem,
  Lumina clara parit, numina ſumma tenet.
Conſilio polles, prudens atque omnia calles,
  Præſcius ante vides, providus ante paras.
Egregius rerum tutis moderator habenis,
  Tu benè cuncta regis, tu benè cuncta geris.

Ad Hieronymum Vidam.

Non juga Vida petit Pindi, ſed ſcandit Olympum,
  Qui ſpernit terras, & magis alta cupit.
Non illum Aonides docuerunt carmina Muſæ,
  Carmina ſed cœli ſacra dedere chori.
Sic, dum melliflua voces modulatur avena,
  Cœlica cœleſti mente Camœna canit.
Quid mirum, rapidi vincit ſi temporis iram?
  Non jus in cœlum temporis ira tenet.

Ad Andream Alciatum.

Excipit Alciatum ſtellis Aſtræa ſupernis,
  Excipit inque ſuis docta Camœna choris,
Sic populos illinc, pandit pia jura, docendo,
  Hinc recinens, mores pollice chorda docet.
Legibus, anne lyra meliùs ſua gloria præſtet,
  Neſcio, tàm præſtat legibus, atque lyra.
Ah dicam: juris reſonat prudentia plectro,
  Et prudens plectrum carmina jure canit.

Ad Andream Veſſalium.

Per te clara tibi Veſſali Anatomia debet:
  Gymnaſia & debent Itala cuncta tibi.
Sed tu non Aulæ debes: dum ſiſtis in aula,
  Non tibi certa fides, non probitaſque manet.
Dum loca ſancta pius Solymæ tendiſque, rediſque,
  Impia te frangit, quæ ſtrepit unda maris.
Siccine virtutem contemnunt terra, fretumque,
  Et ſatis in tuto non viget illa loco?

Ah!

Ah! ſibi digna gerit ſolum ſe præmia virtus,
Nec cupit ima ſolum, quæ premit alta polum.

Ad Carolum Sigonium.

Vincere tam potuit volucres Sigonius annos,
Quam fuit hiſtorias perpetuare potis.
Stamina, quæ ſcribens duxit, non Parca reſolvet,
Contextæ ſolido ſtant adamante notæ.
Non dolor ullus adeſt, poſſit qui lædere vitam,
Quam validam virtus non moritura tenet.
Deficiat caſu compreſſum corpus iniquo;
Sorte ſua ſtabili fama decora viget.

Ad Cornelium Muſſum Epiſcopum Bituntinum.

Si te Muſſe, Salem, celebrans tua nomina, dicam,
Tu condire ſoles pectora noſtra ſale.
Et ſi te pariter nitidum appellavero ſolem,
Tu pia cœleſti lumina ſole geris.
Omnigena virtute micans, probitate refertus,
Dona ſalis cumulas, munera ſolis habes.
Doctrina, exemploque docens oſtendis in orbe
Sal hominum vitam, ſolque ſalutis iter.

Ad Joannem Fernelium.

Ferneli, haud mirum, facie ſi pallidus extas,
Te nimis ah ſtudium, te nimis urget amor.
Dimanat ſtudio pallor, dimanat amore,
Te ſtudio Pallas, Uxor amore tenet.
Dum famam ingenio longum producis in ævum,
Languet vita ſtudens, vitaque languet amans.
Languore opprimeris gemino ſtudioſus amator:
Te cerno ſtudio, cerno & amore mori.

Ad

Ad Lazarum Bonamicum.

Non clarum Bonamico ineſt
  Natale, in propriis quod laribus micet.
Vero nomine nobilis,
  Virtute & meritis ſe propriis vehit.
Pulchris fulget honoribus
  Titan, qui roſeus ſtat radiis ſuis.
Hic non ex aliis ſuos
  Fulgores recipit, verum aliis gerit.
Quamquam lilia fœtidis
  Ex verbis veniant, attamen albida
Candorem nitidum tenent,
  Laudanturque ſuis undique odoribus.
Sic auri ſpeciem ferunt
  Ex tetris tenebris viſcera ſoli,
Quod cunctis radians placet,
  Regalique movet lumine pectora.
Hic præſtans animo exhibet,
  Quod ſe flammiferum condecorat jubar;
Hic ſplendore ſuo movet
  Summorum egregius pectora principum:
Et tantis veritus viris
  Eſſet conſpicuis vectus honoribus.
At non ambitio mala
  Illi cor agitat, non amor æſtuans.
Immo nec ſibi ſe cupit
  Scriptis perpetuum reddere vividis.
Sed mens attamen ignea
  Sedem cum rutilis ſideribus capit.

Ad Bernardinum Teleſium.

Doctrina inſigni, mira atque Teleſius arte
  Dogmata Ariſtotelis vincere docta putat.
Nititur at fruſtra: puris fulgentior aſtris
  Emicat è tanto litera ſcripta ſopho.

Sed potis ingenio, ſaltem celebrandus abibit,
  Æmulus in tantum qui tulit arma virum.
Cedere non turpe eſt, ſed contendiſſe decorum:
  A victore decus ſic bene victus habet.

Ad Franciſcum Piccolomineum.

Se celebris toto decorat Franciſcus in Orbe,
  Cui nulla illuſtres polluit umbra dies.
Omnia nobilium perſcribit munera rerum.
  Sed ſtabile inſcribens fert decus illa manus.
Provida quot claræ perſignat dogmata mentis,
  Fulgida flammiferis tot gerit aſtra notis.
Sic blando irradians laſcivit ſidere virtus,
  Quæ pulchrum æterno ſervat honore jubar.

Ad Jacobum Zabarellam.

Quo decore inſigni vivat, quo clarus honore,
Quo Zabarella ſuam prætendat nomine famam,
Dogmata teſtantur, ſapiens quæ prompſit ab ore,
Dogmata manſuris retinent quæ vocibus ævum.
Quicquid conſpicuum, quicquid mirabile mundo
Progenuit natura parens, & quanta Lyceis
Inclita Cecropiis reſonarunt dicta ſophorum,
Iſte ſuæ ſolers concepit lumine mentis,
Cordeque diſcutiens monſtravit cuncta docendo.
Litera, quæ ex animo fluxit concepta feraci,
Munera magna gerit, ſummoque aſperſa ſtupore
Corda capit, menteſque trahit: ſignata papyrus
Dignius haud umquam meminit ſe mira loquutam.
Lingua ſuis forſan poterat non viribus eſſe
Prompta ſatis, ſed docta manus myſteria pandit,
Quæ ſatis inde oculis poſſunt audire legentes.
Sic nitor ille decens, ſcriptum quem pagina monſtrat,
Sumpſit vitæ ortum fauſtum, lumenque diei
Occaſu cariturus habet. Sic laude perenni
Aſſiduo culti ſtudio, vigiliſque labore
Perpetuare ſibi potuerunt ſæcula libri.

Ad

Ad Torquatum Taſſum.

Seu canat ardores paſtoris Taſſus Amyntæ,
Sive Cupidineas, quas tulit ipſe, faces;
Altius aut recinat reboanti carmina plectro,
Et celebrare pii ſic velit arma Ducis.
Quid valeant ſacri monſtrat commercia Pindi,
Quidque Aganippeo mens agitata Deo.
Caſtalides numquam poterant reſonare Camœnis
Vel potiore lyra, vel meliore tuba.

Ad Jacobum Mazonium.

Dum colit ingenium vigili Mazonius arte,
Inclitus alta ſapit, providus alta petit.
Non illi offundit tenebris oblivio mentem,
Quæ ſemel accepit, mens memor illa tenet.
Quam bene voce repens valeat, Critonius ipſe
Diſceptans, cuncti quem timuere, probat.
Hic pauca inſcribit parcus, ſed plurima novit;
Attamen è paucis gloria multa venit.

Ad Jacobum Critonium.

Fert præjudicium ſapiens Critonius annis,
Dum vincit roſeis tempora cana comis.
Hinc parat inſidias ætas, quibus ille recedat,
Invida quæ tantum nollet habere virum.
Aſt iterum ſuperat languens fera ſæcula, namque
Quæ ſupereſt, famam non gelida urna capit.
Ingenio Phœnix, Phœnicis ſorte novare
Debuit occiduum, non moritura dies.

Ad Petrum Victorium.

Crediderim Petrum ſolventem verba diſertum
Aurea jam Galli vincla habuiſſe ſenis.

Galli vincla ſenis facundo prompſit ab ore,
Cum voce adſtrictos traxerit iſte viros.
Nunc redivivus adeſt; animat nam fata Joannes,
Dum victura ſuis fert monumenta modis.
Et ſtupor eſt geminus; mentes tunc auribus omnes
Vinctæ, nunc oculis corda ligata manent,

Ad Paulum Benium.

Jam ſatis Aonias Taſſus ſub tegmine lauri
Temporis à ſævo fulmine tutus erat.
Sed ſatis invidiæ plectro non vicerat arma,
Carmina ne morſu dilaniata forent.
Tu ſtabili virtute Beni munimina condis.
Et tua propugnans dextra tuetur eum.
Te clypeum dicam manſuri adamantis habere,
Qui ſolidus reprimit, qui nitiduſque ferit.
Felices dulci recinant modulamine Muſæ;
Rumpitur hinc telum, livor & inde perit.

Ad Petrum Matthæum.

Henricus pugnat, ſcribit certamina Petrus,
Fortiter, & doctè, mirus uterque ſimul.
Fulminat ille manu, & validis metuendus in armis
Agmina dura fugat, corda ſuperba premit.
Fulminat iſte manu, & celebrans virtute trophæa,
Tempora dira necat, ſæcula ſæva domat.
Mille gerit rutilas bellator ſanguine palmas,
Septaque Theſpiadum laurea ſcriptor habet.
Diſſimiles autem: quod ſors crudelis in illum
Audet inhumani tela movere viri.
Hic ſuperat felix minitantia fata, nec iſtum
Invidiæ ſqualens lædere dextra poteſt.

Ad

Ad Joannem Barclaium.

Æmulus quiſquis ſtudeat Joannis
Proſequi ſcribens ſtudio volatum,
Tentat incaſſum volucres ad aſtra
Tollere pennas.
Ingenî vires vegeti vehendo,
Dædalo hic tendit potior per auras,
Nobili ſurgit meritis daturus
Nomina famæ.
Quæ beat cœlis animos benigna,
Tollit hunc tractus celerem per altos
Nubium, menti reſerat ſupernos
Muſa receſſus.
Unde dum cæcis celebrat ſub umbris
Regna, fulgores geminat ſerenos:
Principes celans tenebris ſub atris,
Luce colorat.
Splendido Argenis rutilat nitore.
Lumine & fulget Polyarchus almo,
Sic adeſt nobis geminum renidens
Sidus in orbe.
Ille formoſo Veneris decore
Literas inter radians videtur:
Hic ſimul Martis generoſus acris
Fervet in armis.
Munere hinc virtus duplici repletur;
Vate ſub tanto celebris per annos,
Rege ſub tanto penitus beata
Gallia vivit.

Ad Cæſarem Cremoninum.

Seu dicat Cæſar, ſeu ſcribat; laude colendas
Res voci, & calamo mens bene culta parit.
Lingua ſono ſcribit, ſignis ſua dextera dicit,
Dextera corda docet, pectora lingua notat.

Seu dicta effugiunt, pariter ſeu ſcripta morentur,
  Inde oculi, inde aures dogmata mira legunt.
Voce diu vivet, vivet ſua fama, manuque:
  Proſtravit doctus tempora voce, manu.

Ad Henricum Catherinum Davilam.

Quid valeat virtus, (fatum quid poſſit iniquum)
  Henricus nobis monſtrat utrumque ſimul.
Illa viros animat, viventes enecat iſtud,
  Crudele, & clemens, hoc premit, illa levat.
Dum manus Henrici victuros ſcribit honores,
  Indigna Henrico fert manus ecce necem.
Siccine Caucaſeus renovatur ſorte Prometheus,
  Ut miſer hic pereat, quo nova vita viget?
Sic eſto, ut mortale queat ſuccumbere fatis,
  Immortale tamen non fera fata pavet.

NATALIS RONDININI

ROMANI.

Ferdinando Furſtembergio Muſas Philomathis juveniles auctiores, cultioreſque in lucem proferenti.

TAndem reviſunt aureum jubar Solis
Muſæ Philomathis: gratulentur, & plaudant,
Queis & labores, & pericla, quæ terris,
Marique ſubeunt, aut ſevera curarum
Lyrâ ſubinde tibiâque ſolari
Iaceſſit ardor. Quem ſequantur, hîc cernunt.
Hæc ille, ſeu dum præliantibus fertur
Per alta ventis, quà fretum Cyclopeis
Fervens cavernis aſtra verberat fluctu.
Seſeque mox reſorbet & ſuas iras:
Sive arduis dum nubibus caput cinctas,
Nivibuſque numquam non jacentibus canas
Volat per Alpes; feſſa namque votorum
Europa curſus urget, atque opem poſcit:
Hæc ille, dum Mars fas nefaſque permiſcet,
Unaque peſtes ceteræ diem invadunt,
Et clade tumidus decolorque (a) Viſtillus,
Albiſque, & uno haud nomine in mare irrumpens
Miratur ire Rhenus haud ſuos fluctus,
Et ſpes in illo magna nititur pacis:
Hæc ille, tanta mente dum ſedet moles.
Hæc ille cecinit, ſicubi fatigatum

F 4 Suis

(a) Viſtillus idem qui Viſtula Plinio libr. 4. cap. 14.

Suis ſub antris frigidâque lucorum
Umbrâ virentum recreavit Euterpe,
Seu Dorium quid, ſive Barbarum mallet.
Sed ille, curas fallere, ac ſibi tantùm
Intuſque gaudens canere, nil petens ultrà,
Non plauſus famæ, pollicesque fautorum,
Feliciumque præmium libellorum,
Imbuta cocco lora, regias chartas,
Pictum umbilicum, luteamque membranam,
Araneoſo juſſerat ſitu turpes
Latêre, tenebris abditos inacceſſis
Tot elegantis ingenii ſacros fetus.
Heu dura patris juſſa! tam legi digna,
Tam læta cultu Muſa, tot venuſtatum,
Tot & jocorum non nocentium mater
Sic deliteſcat involuta deformi
Silentio, noctesque carpat æternas,
Squalens, iners, ignota? Non tua id ſinit,
Fernande, pietas, indolesque, Phœbeas
Attollere artes nata, cui, Poëtarum
Plaudente cœtu, literarios faſces
Submittet olim Roma, quæque nunc profert,
Debebit ordo ſerus eruditorum.
Tu namque Patris atque Apollinis plenus,
Suis latebris erutæ ſinum pandis,
Fœdâque primùm temporum levas tabe.
Dein & nitorem, & gratiam, & decus formæ
Juvenile adauges, & frui jubes cœlo.
At vos edaces, noxium genus, blattæ,
Abigenda longè levibus lues chartis,
Alibi repoſtam quærite in cibum prædam;
Senſimque turpe paſcite, aut putres libros,
Quos rugæ, & ætas, & ſitus fatiſcentis
Capſæ perêdit, aut teredinum morſus.
Perennitatem Phœbus his licet Muſis;
Triplicesque canum ſpondeant Deæ nomen,
Juvenile numquam concidet decus formæ.

Ad Choream, fontem Tiburtinum, in vicinum Anienem influentem.

Chorea Naiadum pulcherrima, Chorea lento
  Seu celeri graderis per cava ſaxa pede;
Vortice ſeu placido lymphas revoluta reſorbes,
  Provocet ut rauco gurgite murmur aves.
Nempe tuâ captum formâ niveiſque lacertis,
  Vicinum fama eſt incaluiſſe Deum;
Sæpiùs & traxiſſe imo ſuſpiria corde,
  Atque auxiſſe ſuis flumina de lacrimis;
Donec & ipſa Dei longos miſerata dolores,
  Æternos pacta es tenerula Nympha thoros.
Siſte fugam nemoris Dea, quà propè porrigit umbras
  Quercus opaca altis ambitioſa comis.
Nullæ hîc inſidiæ, non cæco commodus hoſti
  Trames, & occultâ conditus arte dolus.
Quin Satyri procul hinc, procul hinc, agreſtia Fauni,
  Quæ tegat intonsâ, numina, fronde nemus.
Illa tamen properat duro obſequioſa marito.
  Sollicitat timidos heu quoque cura Deos!

In malum Poetam, cujus verſibus inſomnem noctem traducebat.

Heu malè quid merui? num quæ me Numinis ira
  Vexat, ut ex oculis exulet uſque ſopor?
Roſcida ſeu redeat, ſolemque Aurora reducat,
  Seu præceps alto nox ruat Oceano;
Me tamen inſomnem Eöo de litore Phœbus,
  Inſomnem ſero veſpere Luna videt.
Quæ commiſſa luo? quæ læſus crimine tantùm
  Sævis? quid meritum, languide ſomne, fugis?
Ah vos! impuri, vos infeſtiſſima vatis
  Carmina, vos metuit territa nempe quies.
Vos malè compactis pedibus, numeriſque ſolutis,
  Heu miſeris vel adhuc auribus obſtrepitis!

Phœ-

Phœbe pater, ſi ritè tuis adolevimus aris,
Et dedimus ſanctis annua tura focis:
Sic intacta ſacros præcingat laurea crines,
Æternùm vireat ſic tua cura nemus:
Urantur permitte tuis mala carmina flammis.
Sic læſo cecidit victima quæque Deo.

In Dionyſii Petavii obitum, & reſtitutam ab ipſo temporum rationem.

Jam ſpatiis dimenſa ſuis revolubilis ætas
Per te ibat, numeris currere docta ſuis;
Immeritum cum te, Petavi, ſuſtulit: error,
Quem tu corrigeres hic ſuper unus erat.

Ad Auguſtinum Favoritum, remiſſis auctori pro vitreo poculo hendecaſyllabis.

Auguſtine, novem decus Sororum,
Atque idem pater elegantiarum,
Idem flos, & ocelle literarum,
Qui me pro vitreo ſcypho impolito
Donaſti hendecaſyllabis politis:
Quales vel faceret meus Catullus,
Vel ſiquis melior fuit Catullo,
Si quiſquam melior fuit Catullo.
Nam me continuo die bearunt,
Ac tot tædia peſſimi dierum
Æſtatis ſitientis abſtulerunt.
Quod ſi munera noſtra deputantur
Tanti, jam cyathos venuſtiores
Quæram, & pocula puriore vitro.
Tu contrà, ut ſemel excidêre, mittes
Puro carmina puriora vitro.

Ad Stephanum Abbatem Gradium, cum Alexander VII. Pontifex Maximus renuntiatus eſſet

Si mihi quæ dextro tibi numine ſæpè vocantur
  Auxilio blandi carminis Aonides
Dictarent, quod nec ſeris venientibus annis
  Oblito doctorum effluat ex animo;
Nec præſens ætas, atroque imbuta veneno
  Infelix auſit deterere invidia,
Supremæque favillæ, & nigri funeris expers
  Effugiat taciti temporis inſidias;
Docte Gradi, mihi quem dulces ante omnia Muſæ
  Junxere, & puro pectore culta fides,
Et facilis vis eloquii, quæque aurea mentem
  Formavit dictis Attica Suada ſuis.
Non ſperem titulos, non laudes ire per omnes
  Maximi Alexandri, aut inclita facta virûm,
Chiſia queis ſtat fulta Domus, quos vivida virtus
  Extulit, aut propior ſideribus pietas.
Nam cui vel tantum præſens facundia, tantum
  Idem hominum dederit Cœlicolûmque potens,
Egregias laudes, æternaque facta referre
  Ut queat, & meritis verſibus æquiparet;
Ille etiam, quà deſertas Libyæ invia terras,
  Brachiaque Europe porrigit Oceano,
Anguſto quas divulſas abſorbet hiatu,
  Et brevis Herculeo dividit unda freto,
Quos male contempſit præceps audacia fines,
  Nil metuens veritas lethi aperire vias,
Enumeret, quot vicinæ tundantur arenæ
  Fluctibus, everſas cùm ciet Eurus aquas;
Aut quot vere novo ſubmittat Dædala flores
  Aura Cytheriacis incola litoribus.
Quis dicat Tuſcas latè data jura per oras,
  Æquoraque Herculeæ ſuppoſita ſpeculæ?
Aut Matereti molli ſurgentia clivo
  Mœnia, & antiquis addita tecta jugis?

He-

Heroûm tellus olim fecunda, vel armis
  Vel pace egregium qui peperere decus:
Nunc tenues ibi relliquias vix nomina ſervant,
  Lentaque paſtoris fiſtula cogit oves.
Inde tamen miſſi, qui cœli ingentia templa,
  Et Divûm cœtu limina concelebrant.
Felices turres, queis olim pauper arator,
  Et ſalvis faciat frugibus agricola.
Ecquis opes, cœnaſque Deûm, quâ ſe atria tollunt
  Chiſia, Pompeiis æmula porticibus;
Quas ſubterlabens miratus Tibris ab amne eſt,
  Credita dum celeres gutta moratur aquas;
Eque imo ſilvas ſpeculatur & aurea tecta,
  Et pictos luſus, ô Galatea, tuos,
Artis opus miræ, pelago quam ſemifer omnis
  Tritonum inſequitur, Nereidumque chorus:
Ecquis regifice conſtructa altaria luxu,
  Et ductas Libyco è marmore pyramidas;
Quæ ſub Alexandro priſtum monumenta nitorem
  Ceperunt, ac turpe exuerunt ſenium.
Tot curas inter, terrarum & publica vota,
  Non hæc præteriit provida mens animi.
Quin & Niliacos moles imitata labores
  Ceſtia, par tumulis, barbara Memphi, tuis;
Hoc rerum Domino vaſtis egeſta ruinis,
  Non debet fatis triſtibus interitum.
Nec ſolum antiqui redeunt hoc Principe mores;
  Antiquum ſed cum moribus omne decus.
Sit clarus licet ille, & quà [illegible];
  Et quà ſe canæ Tethyi [illegible]:
Illius & latè referunt nomenque, decuſque
  Cognatas inter Naiadas Eridanus:
Eridanus, cujus cycnos [illegible] eſt
  Attonitos mediis conticuiſſe vadis:
Quæque viris, armiſque potens [illegible]
  Inſula deſertæ litora [illegible] Libyæ;
Et Moſa, & fumans civili ſanguine Rhenus
  Ingentes titulos, & benefacta ferant:

Non

Non reticenda tamen, functi æternas quibus ipſi
  Heroës grates pro ſtudiis ſolvunt,
Ille vel in teneris, cùm jam pubeſceret annis,
  Atque ætas primum vivida ver ageret;
Poſtquam animo ſibi regnandum peragraverat orbem,
  Ortaque de primis omnia ſeminibus,
Et propiore Deum ſpectaret lumine, quantùm
  Mortales fas eſt tendere contrà oculos,
Multa ſatis luſit: notum ſilvæque, lacuſque,
  Muſcoſiſque cadens Aphia pumicibus;
Quæque viri indignum lugens Cornelia fatum,
  Hoſpitii teſtes numina poſcit opem.
Nec curas inter, Juvenilia carmina Muſæ,
  Dimiſit feſſi delicias animi.
Adfuerunt ſemper faciles ad juſſa Sorores;
  Et quamvis medio tenderet ille mari,
Alpibus & quamvis, Alpes ille, & mare ſævum
  Fontibus & ſacris antetulere jugis.
Et loca nunc culto relegebant ſingula verſu,
  Nunc fera damnabant munera militiæ.
Quin ſecuraretur dirum cum viſcera ferrum,
  Et lethi inficeret pallidus ora color;
Qualis Mæandri ripis, aut Aſia cycnus
  Dum ludit pennis per vada purpureis,
Pectora tranſfixus, liquido de gutture voces
  Elicit, ac gemitus littora pulſa iterant,
Inſpectans cœlum, & triſtes ſolatus amicos,
  Leniebat numeris vulnera flebilibus.
Intereà trepidum verſans ſub corde timorem
  Adſtabat Divis vota ferens Pietas;
Et nunc muta manu, miſera nunc perdita luctu,
  Tendebat ſupplex brachia cœlitibus,
Ne feſſis olim miſſum ſuccurrere rebus,
  Ante ſuum raperet mors violenta diem.
Sed jam pone metum Pietas; en Maximus Orbem
  Soſpes Alexander temperat imperio.

Ad Genuenſis Reip. Ducem Auguſtinum Centurionem, cum primum novi Magiſtratûs faſces attolleret, ſummâ ingeniorum contentione celebratos.

Aureus ut primùm nitidis emerſerat undis
Lucifer, & noctem vicerat illa Dies,
Quæ tibi laurigeros, virtutis præmia, faſces
Detulit, & munus vidit iniſſe tuum,
Et patriæ res, & curas, ſanctique Senatûs
Excepiſſe animis publica vota tuis,
Adfuit ad plauſus vaſti gens humida ponti,
Tyrrhenæ liquido Tethyos acta ſinu;
Formoſæ viſu facies, Drymoque, Thoëque,
Et quas prætereà longa referre mora eſt.
Quas inter patrio perculſus numine Proteus
Hæc Latiis fertur præcinuiſſe modis:
Macte animo: extulerint homines quæ maxima quondam
Geſſeris; at quæ dehinc, auguror, aſtra canent.
Dixerat: & plauſum juſſit dare protinus omnes
Quos habet unda Deos, quas habet unda Deas.

Ego dormio, & cor meum vigilat.

Nox quamvis oculorum ignes premat atra nitentes,
Et condant ſomno lumina victa faces;
Lumina, quæ circum caſti glomerantur Amores,
Et Pudor, & triplici Gratia nexa choro:
Nox tamen aſſiduis lacerat præcordia curis,
Imperat atque oculis irrequieta quies.
Nec prius obreper qui laxet pectora, ſomnus,
Quam ſternas capiti molle cor ipſe meo.

Luſus Paſtoritius.

Durus Oryx torquere gravi, ſeu ſpicula cornu,
Seu terrere leves per nemora alta feras:

Quem toties ſuccincta habili Dictynna pharetra.
Mirata eſt agiles inter Hamadryadas:
Cùm premeret cœlo medium ſol igneus orbem,
Præberet laſſo cum brevis umbra thorum,
Multa inter quercus querulâ proluſit avenâ.
Obſtupuit doctos Nympha ſecuta modos.
Ipſæ etiam tacitis ſtupuerunt Naiades undis,
Ipſa etiam Arcadii fiſtula victa Dei.
Ille etenim numquam ſacris vocalia lymphis
Antra, Meduſeos attigeratque lacus.
Sed quæ etiam indoctas ſilvæ docuere volucres,
A ſilvis didicit carmina durus Oryx.

Pſyche, ſeu fabula Papilionis.

Nympharum Pſyche quâ non fuit altera totâ
Pulchrior Arcadiâ, cui cura nec ulla fluentem
Aut mulcere comam, aut tenues percurrere telas.
Miles erat Phœbes, voluitque inculta videri,
Et placuit: nemora, & ſilvas nec gratior ulla
Attigit, aut montes venatu terruit ulla.
Jamque thoros tædis ætas matura jugales
Spondebat: fugit illa faces & nomen amantis,
Seque odit, votoque dolet quod forma repugnet:
Cum ſatus Iapeto; quem Pſyches mater eodem
Ediderat Clymene fortunatiſſima partu,
Attulit inventum cœlo mortalibus ignem,
Nec bene digeſtam, & certâ ſine imagine maſſam,
In ſpeciem eduxit moderantûm cuncta Deorum.
Ille (fide majus!) lapidem vix admovet igni,
Paulatim lethalis hiems de marmore cedit.
Vincula molleſcunt genuum, ſaxumque relinquit,
Vitaleſque vias & reſpiramina liber
Spiritus intus obit: vocis recluditur uſus:
Conatus loquitur, nil trunci reſtat in illo.
Miratur, tacitumque rogat Pſyche inſcia fratrem:
Unde vigor lapidi? quæ tanta potentia flammæ?
Frater ad hæc contrà: Donum immortale Minervæ

Aſpicis; en alios Cypris tibi deſtinat ignes.
Jam diſtingue comas, & finge decentius ora.
Indoluit virgo, vetitamque agnoſcere flammam
Attentat propius: ſed enim, ceu concitus Auſtro
Per ſtipulas, flavaſque furit Vulcanus ariſtas,
Atque alimenta ſuo præbet ſeges arida damno;
Sic inconceſſos ubi virgo contigit ignes,
In flammas abit, ac veluti e fornace profundâ
Ferventes trahit ore faces, & concipit æſtus,
Vix fratri cineres, & cognoſcenda ſuperſunt
Ipſius effigies, & quæ ferat oſſa ſepulchro.
Ille ſed exanimis properat, ſemjuſtaque membra
Componit tumulo, fumantiaque exta ſororis
Ambroſiæ ſuccis, & odoro gramine condit.
At flamma haud oblita ſui eſt, ſervatque vigorem,
Ingeniumque ſuum, tumuloque erumpit, iterque
Dat volucri, variis quæ picta coloribus alas,
Nunc etiam veritos demens circumvolat ignes,
Atque ſuas Pſyche flammas, ſua damna, frequentat.

JULII ROSCII HORTANI.

Ad Pompejum Ugonium anni exordio.

EXoritur lux alma, anni naſcentis origo,
  Quâ feſtum revehis, candide Jane, diem.
Te penes eſt ævi ingreſſus, jus cardinis omne,
  Quo varias ætas fert revoluta vices.
Per te optata colat pax agros: bella quieſcant;
  Gaudeat agreſtes turba revincta comas.
Aurea lux oritur; curvum ſuſpendite aratrum
  Agricolæ, & feſſo ſolvite vincla bovi.
Sepoſitis curis producite gaudia cives;
  Fundantur largâ pocula plena manu.
Dicantur bona verba focis: jam Phœbus, & annus
  It novus, & ſocio cum ſene Janus adeſt.
Tempus erat, cùm Saturno comite ille regebat:
  Curæ aberant triſtes; ira, dolorque procul.
Tunc lex ipſa, fides, juſtum, rectumque, piumque,
  Tunc terris ætas aurea prima fuit.
Non qui ſignaret partitis finibus agros,
  Non qui urbes muris cingeret ullus erat.
Non tuba, non acies, non duri militis uſus;
  Non bello inſanus ſtrinxerat arma furor.
Sponte ſua niveo ſpumabant flumina lacte,
  Sponteque laxabat terra benigna ſinus.

Jane bifrons optatus ades; ſic aurea nobis
 Sæcla feras, pacis lætitiæque dator.
Lætitiæ dator huc adſis: ſic tempora longa
 Adventu, & reddas omina fauſta tuo.
Auſpice te nobis redeat lux candida ſemper.
 Auſpice te felix frugibus annus eat.
Nos vero, Ugoni, curſum componere vitæ
 Admonet incœpti temporis auſpicium,
Tempus edax rerum volat irreparabile: virtus,
 Solaque quâ fulges, fama perennis erit.

In poëmata Lælii Capilupi.

Lælius hâc celebri redivivus conditur urnâ;
 Fama volat cujus docta per ora virûm.
Vivere ſi Muſæ ſacris dant vatibus; huic bis
 Muſarum raro munere vita datur.
Hoc bona poſteritas grato debebit Julo,
 Per quem Phœnicis more revixit avus.

Ad Scipionem Gonzagam S. R. E. Cardinal. de Julio Capilupo.

Julius ingreſſus Pindi per amœna vireta
 More patrum. patrias colligit inde roſas:
Et quas per varias Maro texuit ante corollas,
 Inſerit in varios florida dicta modos.
Tu Gonzaga tuis quas Patria mittit ab hortis
 Inſertus lectas ſume Maronis opes:
Et tibi frons quamquam Romano fulgeat oſtro;
 Non minor è patriâ eſt qui tibi venit honos.

Ad Thomam Avali Marchionis Piſcariæ F.

Te gremio in molli fovit placidiſſima Siren,
 Avale, ubi æterno vere renidet humus:
Sacraque candenti poſuere ſedilia ſaxo,
 Et tibi Pieriæ ſerta dedere Deæ.

Hinc

Hinc blandè tu pleƈtra moves: hinc carminis auƈtor
Ad numeros gaudet concinuiſſe tuos.
Te tua Parthenope Tiberi invidet, & tibi plaudit
Roma, nec Alcæi mallet habere lyram.

Ad Proſperum Capilupum.

Ut te Caſtalio cupidum ſuccedere clivo,
Adſpexit duram Delius ire viam,
Extulit os, placidaque nitens in fronte reluxit,
Juſſit & hos Muſas edere voce ſonos:
Aude animo Capilupe: riget via tramite longo
Invia, ſed ſummo vertice læta quies.
Vix hæc, cum ſacræ frondes venere per auras,
Et cinxere tuas laurea ſerta comas.

Proſpero à Baumâ.

Aonios inter, Proſper, clariſſime vates,
Argutæ feriens dulcia fila lyræ:
Hos, etſi ruris cantus, ne deſpice: Apollo
Læta per Admeti paſcua duxit oves.

In fontem Pineum.

Hic fons eſt cujus latices placuere Camœnis,
Cujus & è pleno Delius amne bibit,
Hîc citharas Pan adpendit, calamoſque ſonantes,
Hîc & Nympharum dulcia pleƈtra chori,
Murmure dum rauco fons perſtrepit, adſonat æther,
Adſonat & plauſu Tibridis unda ſuo.
O fons illuſtris Muſarum dignus in hortis
Perpetuo vatum candida labra riges.

Tibris ad Viƈtorillam.

Hortanos qui lambit agros vagus Albula lymphis,
Labitur & tacito per mea rura pede:
Ut Viƈtorillam vidit, ſplendore nitenti
Perfuſus, propriis condidit ora vadis:
Atque ait: ö Venus, aut Veneris de ſtirpe, fluenta
Hæc cole: perpetuo ſerviat unda tibi.

Adplauſere unâ Nymphæ, cantumque dedere;
Hæc vos de fluviis ſidera ad alta trahet.

Amyntæ caſus.

Fallaces avibus laqueos dum nectit Amyntas,
Retiaque in viridi gramine tenta latent;
Ecce pedem illaqueat ſpiris ingentibus anguis,
Lethifero morſu tactus & ille perit.
Infelix avibus laqueo mortem ipſe parabat;
Nec ſolito laquei vulnere preſſus obit.

In Veris ortum.

Ridentes nitidum dum Ver aperitur in auras;
Lætaque ſe vario flore coronat humus,
Nympha reviſit agros, gelidaque repente pruinâ
Æthere jam ducit lucidiore choros.
Ergo age quid properas? noſtros ver incole campos:
Quid mutat toties improba terra vices?

In Hylam aquis merſum.

Pulcher Hylas dum forte urnâ malecautus inani
Haurit ab extremo gurgite fontis aquam;
Labitur infelix præceps, urnamque ſecutus,
Occuluit fontis lapſus in ima oculos.
Spectabant Dryades trepidanti pectore circum:
Obvia protenſo tegmine Nais adeſt.
Hoc reor optaſtis Nymphæ, quo pocula vobis
Miſceat infuſo nectare pulcher Hylas.

In Nympham fontis cuſtodem.

Hic molli indulgens ſomno ſecura quieſcit
Nympha loci, ad murmur dulce cadentis aquæ.
Eminet in vitreo pellucens amne lapillus;
Et concha è vario tincta colore micat.
Additur & fonti decus ingens: ipſa ſub undis
Pulchrior arridens ludit imaginibus.
Hic amens, ſtupiduſque hærens miratur utramque
Oblitus paſtor fonte levare ſitim.

Tan-

Tantum forma movet vanâ ſub imagine; tantum
Excita in duro marmore Nympha poteſt.

In inſignia Julii Ant. Sanctorii

Aſpicis, ut roſtro terebratus pectora adunco
Vitali natos ſanguine paſcit avis?
Paſcendi genus inſuetum! latè unda cruoris
Effluit, & teneris ſpiritus inde redit;
Huic ſimilis, tu ſpargis opes tibi parcus, egenos
Atque opibus propriis ſæpe juvare ſoles.
Quid ſi pro Chriſti dandus ſit nomine ſanguis?
Verior hoc ipſo tu Pelicanus eris.

De S. Alexio, patricio Rom.

Deliciæ matris, claræ ſpes unica gentis
Urbe fugis, patriam linquis, & exul opes:
Nec ſponſæ promiſſa fides, carique nepotes,
Nec tangunt cari gaudia conjugii.
Poſt varias hominum terras, peragrataque regna,
Romæ iterum ignotus nomine pauper agis.
Fortunate, æra extinctum reſonantia notant;
Nec noſcis civem Roma ſuperba ſuum.

In S. Pauli Converſionem.

Perſequeris dum, Saule, crucem, Chriſtoque minaris,
Et furis in ſacrum, ceu lupus, ore gregem
Vectus equo rapiduſque Damaſci tendis ad arces:
Ecce tibi fulgens æthere Chriſtus adeſt.
Excuteris, pronuſque cadis, mortalis an ullus
Audeat æterno bella movere Deo?
O felix caſus! ſic tu tranſcriberis aſtris,
Sic per te diſcit Roma ſalutis iter.

ALEXANDRI ROSSELLI

FLORENTINI.

Ad Benedictum Accoltum, Sylvula, cui titulus Fortuna.

PArthorum Reges nemo ſine munere quondam
(Tantum adeo pollet majeſtas nobile nomen)
Ante ſalutabat, vel non largitus adibat.
Hoc Accolte mihi vereor modo jure futurum,
Intermiſſa diu quo pendat epiſtola pœnas,
Te Regem virtute, opibus, ſplendore, potenti
Perfecit natura manu, ſervabis & uſque
Stamina Parcarum, Phrygii quæ, & Neſtoris annos
Exuperent, longe quo tecum gaudeat omnis
Quiſquis amat, recolit, ſequitur, veneratur, honorat,
Humanas agitante animo ſub imagine curas,
Votorum eventus varios, diſcrimina rerum,
Et ſtudia & mores, vitæque pericula, leges
Fortunæ & Nemeſis, fati indelebile nomen,
Munera naturæ, numquid prudentia poſſit
Adverſus tot monſtra, libet contendere mentis
Omnem aciem, quamvis ſerpens Epidaurius adſit
Lynceus & faveat, dubitem contingere votum:
Nam fortuna jubet: cogit natura, trahitque
Fatum, ſubſequitur dubiis prudentia frænis,
Diſcruciatque metus, torquet dolor, allicit albis
Spes blandita genis: pertentant gaudia ſenſus.

Ve-

Vectamur, rapimurque his in diverſa quadrigis,
Quoſve cupido graves genuerunt, ira, libido,
Três animi affectus, hos jam dixere priores
Progenitos Furiis: nulla ratione repreſſos.
Ut primum leges exceſſerit orbita recti,
Tiſiphone inſultat, debacchanturque ſorores.
Hinc odia, hinc hominum furor eſt, & carceris ultor.
Gentibus id placitum verſariet omnia ſorte,
Fortunam cuncto (ſiqua eſt) dominarier orbi,
Partiri caſum ſua jura, reperta ſub arcem
Mentis, & inſano mortales angere gyro.
Hæc infida virum, cui non arriſerat, umquam
Blandius, altijugo demiſit ad infima curru.
Audiit innumeros orbes Pellæus, & altum
Ingemuit, ſceptrum quæ non imponeret uni.
Dum tamen Oceanum ſperaret & avia Calpes,
Tabuit, infandum virus præcordia potus,
Excipit hinc querulas paſſim Fortuna ſagittas,
At Samio quantum ſalierunt corda Tyranno
Experto numquam adverſæ faſtidia vitæ,
Crœſus & intumuit, vario ſpectandus in oſtro,
Conſperſus gemmis, admirandúſque Soloni.
Ambo crucem paſſi, deturbatique Deorum
Invidiam ſenſere, tamen Fortuna ſecatur,
Perſarum ſummum cecidit diadema, ſuperbum
Stemma ruit, tulerat quod jam Darius, Eoa
Inſignis, celebriſque plaga. quid denique ſummi
Sideris evertit culmen, faſtigia Romæ!
Fortuna omnipotens, cui ſunt ſœviſſima legum
Dogmata, perfidiæ, illecebræ, perjuria, fraudes.
I nunc & ſacris, & pulvinaribus, aude
Immitem placare Deam, date thura Sabæi,
Sanguis eat pecudum, divæque occurrite telis
Semper inevitabilibus, tum mittite inanes
Effuſi toto lacrimas e pectore, ut almis
Stet fortuna rotis, ſervetque beata colorem.
Infelix contra precibus depoſcit, adito
O, rerum me diva potens, da ſumma petenti

Regna precor, da præcipuas tua munera dotes,
Trade voluptates, & feliciſſima curſus
Tempora, quo templis tibi tum tua farra litemus.
Ridet at illa preci, neutriſque inclinat, & acri
Torva videt vultu, quæ jam proſperrima dixit
Gaudia, lætitias, ærumnas, fata, labores,
Tam varia, incoſtans ſe, & permutabilis infert
Mentibus humanis, ut ſiquis firma putarit
Fundamenta domus, quam jam conſtruxerit ipſa.
Certius ædificet præcelſa palatia ponto.
Hic miſer, ille miſer, tum quiſquis veſcitur aura
Siderea, infamis fortunæ vulnera geſtat.
Hactenus hæc: videar tibi ne contexere longam
Fortunæ hiſtoriam, perpendes cetera, namque
Infortunatos, quotquot videt hora diebus.
Eſt Dea cœlitibus, miſeris mortalibus, æque
Ex virtute favens, armis conſepta Deorum
Inſuperabilibus, magnæ non indiga mentis,
Solerti ingenio, multoque oculatior Argo.
Seminis ætherei divam produxit origo:
Palladis armiſonæ ſoror eſt, quæ vertice ſummi
Rite Jovis concepta, ſecundoque edita partu.
Hæc clypeo inſertum ſpeculum, ſoror alma tremendam
Gorgonis effigiem geſtat, hic ſpectra videntur
Quod ferat eventus, quæque eventura ſubinde
Mortales ægri cupiant, hæc ipſa Phroneſis
Dicitur a Parcis, Latium prudentia nomen,
Sæpe diem dixit fortunæ, ſæpe cruentum
Contulit adverſæ bellum, paſſimque trophæis
Inſignita, rotas, currum, tum vela, comaſque
Exuvias hoſti rapuit: victricia ſigna
Rettulit, atque ſuis poſuit præconia templis:
At rude vulgus iners, cuinam præſtaret honores,
Cui ſacra libaret, quos tum ſibi poſceret aris
Multa Deos, ſe ſe quis commendaret & altos
Suſpectans gemitus referat ſuſpiria cœlos?
Hæc niſi diva ſuis aſpiret Nortia votis,
Ni ſperent, habeantve fidem, ſe denique poſſe
Chry-

Chryſorhoas amnes colere, & ſua cura cylindros
Fortunæ officio, & nectar diffundere fontes,
Hinc rurſus decorata ſuis infida ſuperbis
Faſcibus, ut pleno veneratur Copia cornu
Sollicitudinibus, curis, latura medelas
Pharmaca tormentis, & ſedatura dolores.
Immo animis pœnas, plures factura per orbem
Tantalidas hydor ſimiles patientibus, adde
Somnia dum vigilant, nullaſque in nocte quietes.
Non hæc qui ridet, qui mox ſibi lumen ademit,
Omnia fortuito concurſu creſcere credens
Expetit, aut generi cenſet ponenda bonorum,
Non qui a Deliaco ſophiæ jam numine culmen
Creditus, expectans virtutis dona cicutam,
Fortunam ſequitur, celebrat, miratur, adorat.
Ærumnas hominum creat ignorantia veri.
At tu Palladiæ jamdudum aſcripte palæſtræ.
Doctorumque virûm merito ſtipate caterva,
Mortali exemptus famæ, tantum ardua cernis
Proſpectaſque Deûm cœleſtia præmia Muſas.
Moribus eſſe decus, tutum virtutis aſylum
Diceris, idcirco fortunæ jurgia temnis,
Altior inſurgit menti ſententia, rurſus
Evagor, anguſtæ raptus diſcrimine vitæ,
Vixit enim hic corvos, cervos, cornicis & annos.
Exuvias poſuit ſerpentis more vetuſtas,
Innumeros condit ſoles, Dionyſia, meſſes
Conficit; atque patres gaudet parere nepotes.
Alter ephebus obit, tum ſuggrundaria poſcens
Vidit in anguſto Phœbeum limine lumen.
Dum viget, & floret, Patroclus ſucciſus aratro
Corruit, inceſſunt fortunam crimina ſævam,
Vel Cicero ſophiæ decoratus ſtemmate luget
Tulliolam, & canos deplorat flebilis annos.
In fortunæ inquit deſcendi ſæpe palæſtram,
Libertas ædes habuit, mea ſigna refixit
Clodius, ejectum longè videre Philippi.
Illa Patrem Patriæ quæ dixit libera Roma

Expu-

Expulit, & revocat, fortunæ prœlia vici
Hactenus, at nunc deturbor miſer, en tibi trado
Herbam, trado manus, victrix fortuna. quid ultra
Appetis? inſignem jamjam compone cruenta
Occiſa nata, captivo patre triumphum.
Filia, cor, animus, vitæ ſapientia noſtræ
Dicta, vale æternum, miſeros miſerabitur annos
Crantoris ingenium, & valde ſolabitur ægrum.
Proh pudor, illuſtres hominum, virtute decoros
Jampridem iſta Deo ſentire ferenda ſupremo?
Atqui temonem, cornu, velamina, bigas,
Cetera quæ quondam decorant inſignia divam,
Unius interimit divina potentia patris,
Proſpicit omne Deus, finis ratione beati
Eſſe putamur: age, incoſtans modo turba ſophorum
Aſſere ſorte ſua mortalia corpora ferri,
Immo ego ridiculum potius, vel ſomnia credam,
(Jure mathematicos, & quæ jam Firmicus audet
Scribere, deſpiciens, nobis a ſideris ortu
Arbitrium vitæ, & cauſis conſtare ſecundis)
Parcas ferre librum. Jove quo dictante feruntur
Leges cuique ſuæ, vitæ ſpes, gaudia, luctus,
Et ſtudia, & dotes animis, & præmia, dona
Naturæ, rerumque auras, felicia vota
Ex fato demum: ſortem patiamur utramque,
Quam procul a Divis humana negocia fiant,
Ille ſupra Lunam (quo nil abſurdius umquam)
Rectorem poſuit, cum nullos eſſe putavit
Diagoras, alterque Deos adduxit in anceps.
Eſt qui naturam juri præſtare Deorum,
Commiſcetque aliis, credens ipſamque Deumque
Illud idem, variumque metum finxiſſe Tonantem,
Ridicule exagitat ſapiens inſania multos.
At mihi, ni lapſus præceps devolvor ad imum,
Religionis amans ſedit ſententia, ſemper
Conſulat humanis, vel toto vertice ſummus
Juppiter, atque uno propendat Adraſtia filo,
Nec penitus (licet ipſa gravis) prudentia poſſit

Con-

Conſulere in medium, facere & ſervare beatos
Altius omnipotens, hominis quàm captus inumbrat,
Affectus nobis ultra quàm credere par eſt:
Sed quia bellandum mortali jugiter ævo,
Et victi demum cadimus telluris operto
Vivendum ex lege eſt, quam dictat Pallas in altum
Pectoris, haud fallor, quæ jam tibi nupſit, amice,
Virtus ſola poteſt Parcam contemnere, & ipſam
Fortunam premere, & monſtris occurrere ſævæ
Gorgonis, & rerum non exhorreſcere chaſma.
Virtus pacatos animi conferre receſſus,
Et frontem purgare poteſt, qui Palladis armis
Excolitur, mileſque bonus qui caſtra tuetur,
Aureola comptus felici laude triumphat.

De Orphei fabula.

Traxerat emotas dulci modulamine ſylvas
Orpheus, attonitas fecerat arte feras,
Carminis illecti cantu venere feroces
Urſus, aper, pardus, tygris, & inde leo,
Mitis ovis, ſævuſque lupus, canis efferus adſunt,
Adſunt ſquamiferi vel vaga turba maris,
Oviparæ volucres inhiant, propriumque remittunt
Dediſcuntque animis molliter ingenium.
Illa illa eſt oris facundia, pectora mulcens
Quæ trahit, inflectit, turbat, & angit habens.
Dedidiciſſe ſuas cenſemus pectora vires
Nunc hominum, ſi ſint præmia carminibus.
Neſcio quidnam alii: fulvum ſi attulerit aurum,
Carmini vel montes poſſe movere putem.

De Rhondone.

Luſcus agit Rhondo, homagenarius, urbe
Cognitus Europem, qui pyra poma putat.
Summa bona; & Bromio, & cuivis præponit amicis
Quotquot adit, ſuadet ſedulò, pange pyros.

Cal-

Calvus apricatur, ſomno connivet, & uno
  Dum nictat, nutat lumine, gallus adeſt
Altilis ales humi, qui ſtratas colligit uvas
  Pupillam roſtro decipit adſimilem.
Proh ſcelus, ut poterit diros ſedare dolores!
  Uxorem teneram poſtmodo cæcus amat.

Ad Cardinalem Salviatum.

Stemmata Salviadum, meritique inſigne Galeri
  Diva Thalia refer.
Dic agedum: validas inſpira carmine vires,
  Purpura dum rutilat.
Quid fortuna poteſt, quid virtus addere majus
  Cœlicolæve pii?
Concurrunt homines, concordant ſidera, fatum
  Nobilitasque ſimul.
Subſcripſit ſoboli, cœli qui numina torquet,
  Claviger inde Leo.
Si licet optare eſt, Pylios ut transferat annos,
  Dardaniique ſenis.
Quo jam permenſis luſtrales ſolibus orbes
  Tempora læta ſient
Atque iterum ternas agnoſcat Flora coronas,
  Flora ſecunda tuas.
Interea Nemeſis, neque triſtis Adraſtia ſortem
  Sorte recurſet; ovans
Stet fortuna rotis, faveatque beata quadrigis
  Innevolubilibus.
Gratia cum Nymphis plaudat numeriſque, modiſque
  Inſatiabilibus
Aula Deum, votiſque tuis aſpiret, & auris
  Inrevocabilibus.
Et pater, & Genitrix, qua non felicior ulla
  Femina prole virſum.
Mitte ſuperba Deos ſacris inceſſere verbis
  Tantalis o, Niobe

Pro-

Prole tua Regina putas præcedere divis
Seminis Ætherei!
Vinceris & numero, ſpecie, virtute, decore:
Pone ſupercilium.
Conſpicui fratres ſimul ad faſtigia rerum
Scandere jam properant.
Fortunata domus benefactis, aſpice ſodes,
Aſpice læta tuos:
Quo fama, & rebus populis reſpondeat omnis
Gloria Salviadum.

BERARDINI ROTÆ

NEAPOLITANI.

PArcite, vera loquor: juvenem quis damnet amantem?
Quippe ſenex animus, charta puella fuit.
Luſimus, haud vacui venturo ſcripſimus ævo:
Jactari rerum turbine juſſit Amor.
Vidi ego cum flerem vicini ad litoris oram,
Flectier hinc ſcopulos, flectier hincque fretum.
Tu, nimboſa tamen ceu ſpernens flamina cautes,
Surdior es ſcopulis, ſurdior una freto.
Una Nigella mei dulciſſima cauſa furoris,
Una mihi ingenium, carmen & una mihi.
Et ſi ſæpe ſolet lacrimis Cytherea favere,
Nec leve amatorum pondus ineſt lacrimis.
Oenones gemitu Phrygius ploravit adulter,
Flevit & Æſonides, dum gemit Hypſipyle.

Se-

Sæpe Anchiſiades fletu commotus Eliſæ
Tentavit magni ſpernere juſſa Jovis;
Ac ſine me dixit, Trojanæ abſcedite puppes,
I pete macte puer debita regna tibi:
Sit tua Tarpei fatalis gloria collis,
Sint ſpolia, & quicquid Roma futura parat:
Mi ſat erit Tyriæ tantum ſervire puellæ;
Non tanti faciam Juppiter aſtra tua.
Quid nequeunt gemitus? fletu teſtudinis Orpheus
Fregit Tartareæ ferrea clauſtra domus.
Tunc ad Threicios numeros ſua ſaxa reliquit
Siſyphus, & refugas Tantalus hauſit aquas.
Tunc oblita ſui fixo rota conſtitit axe,
Pendula tunc terror deſiit eſſe ſilex.
Solus ego incaſſum queror, incaſſumque peruror,
Et ſolum noſtros ſpernit Amor gemitus.
Nec tantum undarum centum trahit amnibus auctus
Eridanus, latis cum furit imber agris;
Quantum fuderunt lacrimarum lumina noſtra,
Ex quo me triſti turbine jactat Amor.
Nec tantum flammis fervet Trinacria rupes,
Æſtuat aut mediis fluctibus Inarime;
Quanto curarum flagravit pectus ab æſtu,
Ex quo dire puer bella ſecunda paras.
Dire puer cur bella moves? quæve ira laceſſit?
An forte hæc eadem, quæ mea, flamma tua eſt?
Pone metum, quando laceri ſum corporis umbra,
Una puella tuus victa triumphus erit.
Sum cinis: ecquid agis? cineri quæ pœna ſepulto?
Non ego, crede mihi qui nova bella feram,
Umbra ſumus, nullos tenuis dabit umbra triumphos;
Umbra ſumus, nihil eſt, quod modo corpus erat.

Bella ſequar, galeaque tegar, gladioque minaci
Cingar, jo manibus Martia tela date.

Hoc

Hoc juvat, hoſtili non ſum qui terrear enſe:
 Mollis amans didici vulnera dura pati.
Frigora jam didici, didici jam ferre calores,
 Ducere nunc noctes, nunc ſine pace dies.
Sunt iidem Veneris comites, ſunt Martis & iidem,
 Rixa, timor, lethum, bella, pericla, furor.
Quam juvat obſcura radiantes nocte cohortes
 Cernere, & inſueta tendere ab arte dolos.
Mox manibus conferre manus, fatumque ciere,
 Ac victo exuvias hoſte referre domum.
Huc veniat mea vita, leves comitentur Amores:
 Digna eſt quam numquam deſerat ipſa Venus.
Ipſa Venus nemore Idaſio perſæpe choreas
 Edocuit, nitidas diſpoſuitque comas,
Caſtra amet, intactas fama eſt bellaſſe puellas,
 Teſtatur certa Pentheſilea fide.
Clangoremque tubæ, curruſque audire ruentes
 Geſtiat, & tremula tympana pulſa manu.
Ediſcat geſtare enſem, clypeumque, ſudemque,
 Atque gravi laſſos ære levare humeros.
Una miniſtret aquam, cum findit Sirius agros:
 Una ignem properet, cum riget acris hyems.
Sic mihi vel duri ſint cara incommoda Martis,
 Sic mihi nulla feræ tædia militiæ.
Hæc eadem bello Martem comitata ſolebat
 Sedula, mirus amor, munia obire Venus.
Nec puduit liquiſſe polum, terriſque negaſſe
 Lumina, non ulla deperitura die.
Sola ibat, non curæ illi Chariteſve, jocive:
 Unus adeſt matris ſemper Amor lateri.
Ah Venus ecquid agis? poſthac quis numen adoret?
 Quo tua forma potens, quo tua regna Paphos?
Jam galea tenues potes oh fregiſſe capillos,
 Jam ferro teneras lædere ſæva manus.
Et tamen una audes, mediis dum certat in armis,
 Eripere armato tela cruenta Deo.
Te non bella decent atro perfuſa cruore,
 Non tuba, non rapido concita rixa pede.

Te bona pax, cantuſque hilares, citharæque, chorique,
 Teque decent blandi prœlia grata thori.
Quid moror? arma juvant, juvenem jam caſtra ſequentem
 Admoneant clari ſatque ſuperque patres.
Admoneant fratres pulchra modo cæde perempti,
 Orbatæ fratres lumina cara domus.
Felices nimium fratres, quibus atra refulſit
 Summa dies, lucro mors quibus ipſa fuit.
Pro patriis cecidiſſe focis quid dulcius? aut quid
 Pulchrius? hæc magnis gloria digna viris.
Ibimus, o mecum doctæ properate ſorores,
 Ibimus, hæc chartas, hæc ferat arma manus.

Ad Alfonſum Rotam fratrem Jani Calendæ.

Subtrahe te paulum magnarum pondere rerum
 Mi Rota, dum patrios perlegis ipſe jocos.
Janus adeſt feſta præcinctus tempora lauru:
 Adde puer nigris arida ligna focis.
Pendula Acidalios effundat citrus odores,
 Antiquo crepitet laurus aduſta Lari.
Janus lætitiæ largus dator, & novus anni
 Nuntius, ut priſci jam coluiſtis avi.
Annua felici diſcurrunt munera pompa,
 Munera concordis pignus amicitiæ.
Hac veniunt pictis bellaria ſparſa caniſtris,
 Hac liba attritæ melle recocta nucis.
Parte alia Heſperios longe ſuperantia ramos
 Servata invitis aurea poma Notis.
Hinc ſalit agreſtis Nympharum turba canentum,
 Ordine quas vario penſile tardat onus.
Hæc ſale duratæ dono fert terga ferinæ,
 Hæc fert vimineis lactea fruſta caſis.
Hæc modo decerptas ſpoliatis vitibus uvas,
 E quibus optares nectere Bacche comas.

Hæc

Hæc gerit arbuteos coralia ruſtica fœtus,
  Illa *hœdum*, *hæc* turdos, hæc ſine teſte caput.
Hæc mala Auroræ roſeos imitantia vultus,
  Appius & quæ olim, quæ Deciuſve dedit,
Villica pellit humum pedibus, corpuſque reflectit,
  Dum ſtrepit imparibus tibia carminibus.
Cuncta hilari circum reſponſant compita plauſu,
  Sylveſtres iterat fiſtula curva modos.
Crederet & ſiquis ſpectacula forte videret,
  Turrigeræ fieri ſacra cruenta Deæ.
Hinc pueri exercent choreas, curruntque per urbem,
  Pinifera *hinc* pulſant limina amica manu.
Alterniſque canunt domino bona verba precantes,
  Miſſaque de tectis æra minuta ferunt.
Sit dominus, clamant, dives; ſit conjuge felix,
  Et videat prolis ſemina longa ſuæ.
Candida cui niteat lux hæc, cui candidus annus
  Adveniat fauſto, mox redeatque pede.
Jane pater, lætis primus tu feſta Calendis
  Diceris, & ritus inſtituiſſe novos
Nam cum forte tuas ſata Tibride Nympha medullas
  Ureret, & triſti ſervitio premeret,
Non puduit (licet ipſe aris, temploque verendus,
  Ac geminum inficeret cana ſenecta caput)
Sæpius errantem patris prope litora Nympham
  Nequicquam aſſidua ſollicitaſſe prece.
Ah miſer, ah quoties pigro cita flumina curſu
  Sunt viſa ad gemitus ſiſtere Jane tuos.
Ah miſer, ah quoties muſcoſo Naiades antro
  Duxere inſcriptis triſtia verba notis.
Quinetiam perhibent mœſtas iteraſſe querelas
  Ruſtica ab arboreis numina corticibus
Aſt ubi jam lacrimæ duram nequiere puellam
  Flectere, tunc alta parte requiris opem.
Muneribus tentare paras, quid munere majus?
  Debetur parvis gratia muneribus.
Jam capitur, jam capta tuo blanditur amori,
  Jamque fovet gelidum blanda puella ſenem.

Hinc venit antiquus mittendi muneris uſus,
Mutuus hinc parvo munere partus amor.
At mihi quidve uſus prodeſt? quid munera proſunt?
Mollitur nulla dura Nigella prece.
Mors ſupereſt, moriamur, habet mors gaudia certa,
Quæ valet æterno demere vincla jugo.

Deſine venantem toties te credere ſylvis:
Sylva quoque inſidiis non caret ipſa ſuis.
Deſine, vita, novo miſerum torquere periclo;
Si vivam, fies carmine nota meo.
Rapta Elis ah nuper: nocuit formoſa videri,
Heu nocitura nimis dona beata Deûm.
Namque vagas linquens comites, dum ſe tulit ultra,
Optatam vitrei quærit & amnis aquam;
Vicinoſque petit ſaltus, ſylvaſque virentes,
Saltibus, & ſylvis plurimus ardor erat,
Luciduli fontis quæſitam repperit undam,
Quæ leviter circum gramina picta ſalit:
Dumque ſtupet, ſpeculoque imi ſe proſpicit amnis,
Fons calet, & blando murmure flagrat aqua.
Aſt ubi tentat eam haurire, & jam bracchia tendit,
Bracchia tendentem neſcio quis retinet.
Tum Nympha incaſſum ſocias compellat, at una
Eriphyla accurrit: cara Elis Eriphylæ.
Una adit; at poſtquam circum nemus omne pererrat,
Nec datur hanc uſquam cernere, clamat Elin,
Clamat Elin, nemus omne & Elin, valleſque ſupinæ
Dant Elin, ingeminat fons Elin, antra & Elin.
At ſi furta parum hæc terrent, ſuccurrat Adonis,
Et madidus multo ſanguine dirus aper.
Dum ferit ille feras, nemoroſaque luſtra recurſat,
Fata ſibi, & Veneri quot peperit lacrimas?
Audeat hæc fortis venator comminus, uni
Sat tibi ſit vigilem fallere poſſe gruem.

Sat

Sat tibi ferre humeris calamos, contextaque lina:
   Non bene cum tenera copula dura manu.
Interea quæcumque tuo fera concidet ictu,
   Non cadet, at vivet quæ tibi cæſa cadet.

Ad Nicolaum Antonium Brancacium.

Brancaci noſtræ dulciſſime nate ſororis,
   Brancaci Idaliæ pars bona militiæ,
Dum querimur, eſtuſque animi tibi pandimus æſtus,
   Da lacrimas: lacrimis digna querela tuis.
Nulla vel infidæ retrahat te cura puellæ:
   Quid tibi cum Fauſta? perfida Fauſta tua eſt.
Caſtus amor meus eſt, caſto ſit teſtis amanti,
   Quem retinet firma copula vincta fide.
Ite procul, ſanctos quos juvit fallere amores,
   Rumpere quos pretio mutua vincla malo.
Roma tenet, juvenique Venus nec parcit alumno:
   Ipſa ſua regnat ſævior urbe Dea.
Sive ego Tarpei ſuperem faſtigia clivi,
   Seu Caci interdum tecta profana petam,
Sive Evandrei ſacrata palatia collis,
   Seu viſam claris culta theatra viris;
Una mihi ante oculos ſemper verſatur imago.
   Una mihi Roma eſt, unaque cuncta refert.
Hinc mihi mille faces blandi jaculantur ocelli,
   Hinc tendunt nitidæ retia mille comæ.
Credebam patrio cœlo, laribuſque relictis,
   Teque mei in primis cauſa Nigella mali,
Poſſe vel immiti paulum indulgere dolori,
   Poſſe vel aufugiens tanta levare mala.
Et tamen uſque Amor inſequitur, tamen uſq; cadentem
   Sæva premis, nullum perfugiumve datur.
Nuſquam parta quies, nuſquam pax tuta reperta eſt:
   Terras, non mentem transfuga mutat amans.

Te quoque ſperabam, poſtquàm nova ſacra peregi,
Placari votis Cypria ſurda meis:
Sperabam, ſed vana diu ſpes luſit amantem,
Dura magis quando ſentio regna tua.
Nonne illa es, Phrygio quæ neſcis parcere nato?
Nonne trucis mediis fluctibus ora maris?
Parce Dea, immeriti tandem miſerere, quid urges?
Parce rogo, ah victo quis nocuiſſe velit?
Ipſe ego, qui primis tua caſtra ſecutus ab annis,
Ipſe ego qui regni gloria magna tui.
Etſi non Pariis poſui tibi templa columnis,
Nec colui ſanctos thuris honore focos;
At tibi ſede mei ſecreta pectoris aras
Erexi, & potui ſacra parare nova.
Non jam farre pio, non extis rite peruſtis,
Accenſa puro non vel ab igne face;
Sed lacrimis, imo manant quæ pectore, ſed qui
Profluit è noſtris ſanguine viſceribus:
Sed flamma æternùm vigili, æternumque perenni,
Cui poſſit merito cedere Veſta tua.
Te majora manent dignam majoribus auſis:
Te decet invicto bella movere polo.
Sentiat ipſa tui lethalia ſpicula nati
Turba Deûm, dominæ ſerviat una tibi.
Percurrat rurſus Peneïa flumina Phœbus,
Diſcat & Admeti paſcere rurſus oves.
Diſcat & æthereas invitus Juppiter arces
Linquere, mox medio mugiat ipſe ſalo.
Coge iterum poſitis Martem miteſcere telis,
Coge rudi Alciden ducere penſa manu.
Deſine jam in cineres poſthac ſævire ſepultos,
Non ſum præda ſatis nomine digna tuo.
Si tamen omnino pereundum, ſi fuga nuſquam eſt,
Me coram domina flente perire juvet.
Una ſuprema pio perſolvat funera fletu,
Dicat & hæc ſciſſis ad mea buſta comis:
Caſtus amor, noſtri caſtiſſima flamma poëtæ:
Dignus erat longùm vivere, & igne pari.

Ad

Ad Antonium Epicurum.

Quæris ut Herculeæ fatum lacrimabile Nymphæ
 Sit nova nunc chartis fabula picta meis.
Eſt Epicure nefas tam cari juſſa ſodalis
 Spernere, ſancta jubet lex ita amicitiæ.
Te duce virgineis prima ora admovimus undis,
 Vidimus & ſacrum relligione nemus.
Te duce Caſtalium pueri penetravimus antrum,
 Cœpimus & tenuis tangere fila lyræ.
Hercullana olim Sebethi filia, qua non
 Et forma, & cantu dignior ulla fuit.
Cui Falcona oculis cedebat, non tamen Ægla,
 Cedebat cultis Antiniana comis
Non illi Venus eſt curæ, non curæ Hymenæi,
 Læta ſat intacta virginitate frui.
Tantum hami, calamique juvant, contextaque tantum
 Lina placent, & quæ litus, & unda parat.
Sæpe olim Rex ipſe ſali miratus euntem eſt,
 Et mediis hæſit pæne peruſtus aquis.
Ah quoties vitreo Proteus miſeratus ab antro,
 E quo certa Deus dicere fata ſolet,
Sebethe en video maleccautæ funera natæ
 Dixit, habet cupidos terra, fretumque Deos.
Forte aderat tauros perducens victor Iberos
 Alcides noſtris advena litoribus:
Vidit, & inſuetos imis bibit oſſibus ignes:
 Mox Nympham hæc tremula voce locutus adit.
Quem fugis? ah me Nympha fugis? quem juſſa novercæ
 Fecere invicti nomen habere Dei.
Alcides Jove natus amat, Jovis unica cura,
 Sed mihi quidve Dei nomina quidve patris?
Quid poſſim ſcit terra, ſciunt quoque Tartara: nulla eſt,
 Quæ non victrices ſenſerit ora manus,
His domitus ſuperas Stygius canis horruit auras,
 His aper, his cæſus tegmina noſtra leo.

Non aliis jacuit taurus, draco concidit armis,
  Non madidam Cacus ſanguine fecit humum.
Quid matrem Antæo, diræ quid profuit Hydræ
  Hercule ſeptenum vindice habere caput?
Quid tibi tot variæ male fide Acheloë figuræ?
  Quid tibi veloces Neſſe proterve pedes?
Me preſſi ſenſere angues, novere ſubacta
  Fortia Paſtoris corpora tergemini.
Num barbam impexam, vultus num forte minaces
  Horreſcis? num quod clava cruenta manu eſt?
Talem olim innumeræ felici ardore puellæ,
  Nolentem blando detinuere ſinu.
Talis eram, cum Jole noſtro flagrabat amore.
  Deque mea queſta eſt Dejanira fide.
Sunt tua quæ paſcunt latos armenta per agros,
  Præda etiam prædæ ductor & ipſe tua eſt.
Dixerat; at ſubito conchis male tuta legendis
  Propter aquas tremulo poplite Nympha fugit:
Atque ait, affer opem pater o Neptune petenti:
  Dumque ait affer opem, comprimit ora rigor.
Saxea crure tenus jam fit, pars fronde ſuprema
  Obtegitur, media eſt flore adoperta novo.
Flevit amans, flevit natam Sebethus ademptam,
  Fertur & in fluvium tunc abiiſſe pater.
Tum Deus & lacrimans ſilici ter ut oſcula fixit,
  Oſcula terque intus mota ſilex refugit.
Hercullana meo dicêris nomine villa,
  Villa eris urbanis anteferenda locis.
Te circum gratis decoret mea populus umbris,
  Piſce Thetis, multo candida lacte Pales:
Te ſemper teneræ cantu, choreiſque puellæ
  Exhilarent, Græco concelebrentque mero,
Te canat æſtivo defeſſus ſole viator,
  Te canat hybernum dum mare nauta legit:
Et dicant hilares longum bona verba precati,
  Herculis hæc villa eſt, Herculis ardor erat.

Ad Niſam.

Huc Niſa, huc propera, ſunt hic quoque luſtra ferarum,
  Si mage ſunt curæ retia, tela, canes.
Et ſi forte optas virides cum fontibus umbras,
  Hic umbræ, hic liquido fons pede prata rigat.
Tuta licet leporeſque agites, ſaltuſque pererres,
  Et laſſa ardenti ſidere membra leves.
Sed quid ego exoptem? non eſt tua digna latebris
  Forma, vel æternum vincere nata Jovem.
Non digna obſcuris nitidiſſima lumina ſylvis,
  Non eſt hæc duris ſentibus apta manus.
Niſa veni, mea Niſa veni, timor irritus omnis,
  Non ego ſum qui te luſtra per alta ſequar.
In flammas, lacrimaſque abii, penituſque reliquit
  Spiritus, & pro me verba miniſtrat Amor.
Verba miniſtrat Amor, quæ poſſint flumina retro
  Vertere, & e medio vellere ſigna polo.
At ſi nulla meæ tangit te cura querelæ,
  Nec vis te patriis reddere litoribus;
Redde animam, rapuere tui quam nuper ocelli,
  Ut ſit mi ſaltem fas modo poſſe mori.
Ut tu jure mea lætiſſima morte triumphes,
  Etſi nec credam parcere te cineri.
Tunc ego vulneribus vel ſaucia, te ſequar umbra,
  Tum querar in tumulo de feritate tua.

In Obitu Martiæ Capiciæ.

Cum ſe jam victam penitus Cytherea videret,
  Martia ſidereo frontis honore tuæ;
Indignata abiit, ſubitoque accenſa furore
  Sume, ait, arma puer: mater ad arma vocat.

Paret Amor, capit arma, volat: cecidere ſed arma,
Egregium nitido vidit ut ore decus.
Tu legis, atque humeris aptans fugis ocyus aura:
Dumque fugis ſaxo laberis icta caput.
Tum ſubito veniuntque roſæ veniuntque hyacinthi,
Tinctaque purpureo ſanguine terra viret.
Flevit Amor, Paphiæ ſociam flevere ſorores,
Haſque ſuper tumulo compoſuere notas.
Occidit una patris dolor, una Capicia matris,
Occidit æternus conjugis una dolor.
At quicumque Dei poſthac fera ſpicula vitas,
Ne timeas, tumulo ſpicula fracta jacent.

Ad Hippolytum Capilupum.

Roma vale, o tandem Romanæ cedite curæ,
Deliciæ Phœbi mi Capilupe vale.
Rura petam jucunda Deis, queîs ſæpe vel aſtris
Rivulus & vilis carior herba fuit:
Teſtis & Amphryſus, teſtes ſunt Latmia ſaxa,
Teſtis & Idæi pinea ſylva jugi.
Roſcia prata vocant, Mariana vireta repoſcunt,
Tuque vocas vitrea Fucine dives aqua.
Tum mihi cura vagas volucres ſit fallere viſco,
Tum blanda celeres voce monere canes.
Tunc & mane novo teneros decerpere flores,
Et feſſa herboſo membra levare thoro.
Interdumque animi fletu ſolabimur æſtus,
Dum querulas Echo reddet amica notas.
Vos eritis fontes noſtri vos antra doloris,
Vos teſtes Marſo rura beata croco.
Tu quoque teſtis eris noſtrorum conſcia amorum
Laurus ab igne olim ſæpe peruſta meo:
Cujus ſub viridi vacui cantavimus umbra,
Movimus & geminæ fila puſilla lyræ.

Roma vale: regnata bono Mariana parenti
  Jam tenet, & dominum Roſcia vallis habet.
Hic mecum volucres, quæ per loca nota volatis,
  Flebilibus mœſtos ingeminate modos.
Vos quoque flere Venus docuit, nec parva fuiſtis
  Sæpius Idalii præda, decuſque Dei.
Tu diſce in primis noſtras Philomela querelas,
  Crede mihi, his poteris flere querique magis.
Atque o (quandoquidem potior nunc cauſa dolendi eſt)
  Hæc mecum triſti carmina voce cane.
Tune Nigella fugis rapidis pernicior Euris?
  Tu mihi ſiderea lucida luce magis?
Hic mecum arboreis paulum requieſce ſub umbris,
  Dum ſitit Icario fervida terra cane.
Ecquis ſævitiæ finis? quæ meta furori?
  Ut peream, ſatis eſt luce carere tua.
Lux tua Tartareæ potis eſt dare lumina nocti,
  Lux tua Cimmeriis Lucifer eſſe locis.
Etſi mi tenebris ſemper tenebroſior Orci es,
  Etſi mi Stygiis noctibus atra magè es.
Num tepefacta tui ſpectatur flamma poëtæ?
  Flamma vel extrema non peritura die.
Ah potius diræ prærumpant fila ſorores,
  Fila nigro vitæ ſtamine texta meæ;
Quam vel tantillum noſter defervcat æſtus,
  Quamve velim grato ſolvere vincla jugo.
Tu mihi curarum portus, lux una tenebris,
  Ultima flamma mihi es, primaque flamma mihi es.

Ad Nigellam.

Te mihi ſæpe olim memini juraſſe Nigellæ,
  Per Paphiamque Deam, per Paphiumque Deum,
Nullo umquam noſtros læſuram tempore amores
  Conſtanti fidei fœdere perpetuæ;

Num-

Numquam vincla animi fracturam, ſolveret etſi
  Vincla tui in cineres corporis atra dies.
Juraſti, ſed verba tuis vix lapſa labellis
  Huc illuc rapidi diripuere Noti.
Idcirco vereor pœnas te, falſa, daturam,
  Læduntur læſa numina ſpreta fide,
Perfidiæ hæc pœna eſt mutata mente puellis
  Mutari ut videant ora, fidemque ſimul.
Ut compti parvo caneſcant tempore crines,
  Utque liguſtra cadant, diffugiantque roſæ.
Quin & torpentem linguam, rictuſque ſupinos,
  Mirenturque atras fronte, geniſque notas.
Et modo quæ mendax peccavit dextera, eandem
  Devinctam inſpectent ariditate nova.
Tam dirum jurare nefas, & fallere Divos,
  In primis numen ſancta Erycina tuum.
Idque eſt quod doleo, miſero quid fiet amanti?
  Purpureus niveo ſi cadet ore nitor.
Si caligantes cernam mea ſidera ocellos,
  Si videam canas aurea vincla comas.
Ah potius nox atra tegat mea lumina, quin &
  Rumpite Dii vitæ dulcia fila meæ,
Quam bona tot ſpectem parva mutarier hora,
  Quam pereant noſtri ſemina cara mali.
In me unum exercete iras, haud digna puella eſt,
  Cui cadat ante ſuum candida forma diem.
Quæ jam turpis anus primis ſpernatur in annis,
  Cui fugiat nitidi luminis omne decus.
Ipſe vel expendam ſceleris pœnam, ipſe piabo
  Quidquid dira volunt ſolvere facta ream.
Impune huic liceat jurare, & fallere: mallem,
  Quam vel pauxillum mœreat illa, mori.
Parce Venus, te ipſam lædes, ſi lædere tentas,
  Quæ læſit numen falſa Nigella tuum.

Ad

Ad Salvatorem Rotam fratrem.

Veniſti tandem; reduci dare carmina fratri
  Quis neget? Aoniæ dicite læta Deæ.
Fauſtinana prius feſtis operata choreis,
  Ruſtica ſed domino munera grata paret.
Ipſa olus, ipſa epulas lætiſſima ponat inemptas,
  Quaſque alit in tenero gramine mulget oves.
Addat & his prædam merulas, turdoſque coloni,
  Quotque domi agreſtis vernula nutrit aves.
Lenia vina prius, mox promat & acria, quæve
  Rure premit; mittit quæve Cirella mari.
Utque ſimul ſacræ celebrent nova gaudia lucis,
  Convocet ad dulces numina amica dapes.
Porrigat ante omnes florentia ſerta Patulcis,
  Spargat odoratas Antiniana roſas;
Mergillina ferat conchas, det Neſis echinos,
  Pauſilypus pictis oſtrea tegminibus.
Ægle Nympharum pulcherrima, nobilis Ægle
  Ad numeros ſaltans carmina noſtra canat.
Cinctus arundinea Sebethus cornua fronde
  Lucidulas blando murmure fundat aquas.
Hinc Reſina paret lauros, hinc Portica myrtos,
  Barra uvas, largo ſorba Cremana ſinu.
Hinc fœtus Summa arbuteos, hinc Trochia ficus,
  Hinc Pollis ceraſos, fragaque Fracta ferat.
Adſit pampinea redimitus vite Veſevus,
  Cui nova fumanti vertice flamma micet.
Tuque ferens cum matre hœdum, cum prole columbam,
  Populea flavas fronde revincta comas,
Herculana veni, læta gratare ſorori;
  Mi retinent fati te monimenta tui.
Nam vaga Nympha olim, patrio nunc litore ſaxum,
  Ah nimis Alcidæ te placuiſſe doles.

Mox

Mox ego contexta lectis de frondibus ara
  Hæc ſignanda levi cortice verba canam:
Frater adeſt, grandi mihi ſit pro munere carmen:
  Carmen amat, merito carmine dignus erit.

Quo ſine me mea vita erras? quæ luſtra morantur?
  Tu formoſa nimis, tu male cauta nimis.
Non ſecus ac terras quum nox regit atra tenebris,
  Devia per ſylvas ſæpe vagatur ovis:
Audiri quæ dum ſperat, nemus omne querelis
  Implet, & oblitas itque, reditque vias:
Donec balantis vocem lupus haurit, & alta
  Nequicquam paſtor rupe ſedens queritur.
Scilicet haud tuto Satyris bona forma protervis
  Cernitur, & cupidis aurea Nympha Deis.
Turba rapax ruit in venerem, pavidaſque puellas,
  Ut videt, ut flammas capta furore bibit!
Quin etiam cornu fugientes impetit, & mox
  Setigera retinet turpis, inerſque manu.
Quid tibi cum ſylvis? ſylvæ mala ſæpe tulere,
  Haud eſt digna feris pulchra puella locis.
Exemplo infelix tibi ſit Peneja virgo,
  Quæque amor, & quæ mox Pan tibi canna fuit.
Quæque feras agitans modo Nympha errabat, at eheu
  Verſa peragratis nunc fugit urſa jugis.
Exemplo orbatæ longus Proſerpina matris
  Fletus ab inferno præda petita Jove.
Rapta ſubit tenebras, per prata virentia flores
  Dum legit, ah quantum ſerta dedere mali.
Sed tibi ſi tantum cordi latebræ, nemus, umbra,
  Si tibi erunt tanti retia, luſtra, feræ;
Ipſe gerens amites humeris, & ſpicula dextra,
  Decipiam volucres, conficiamque feras.
Ipſe comes grati veniam pars magna laboris:
  Elyſium tecum Styx erit atra nemus.

In-

Interea Dea ſylvipotens, cui talia curæ:
Tuta ſit auxilio fac mea Nympha tuo.
At ſi rumor erit præter mea vota ſiniſter,
Sit precor illa obitus nuntia fama mei,

Ad Bacchum.

Si mihi dexter ades, faveas ſi Bacche petenti,
Numine ſi fiant vota ſecunda tuo;
Non juvenem te mente levem, non corpore lentum
Effingam, capiti cornua nulla dabo:
Non te jam madidum muſto, ſomnoque ſepultum,
Lactantem ad cyathos turpia verba canam:
Non dicam ut potus ſoleas arcana referre:
Ut dubium titubans ferſque, referſque pedem:
Sed clarum gravitate virum, ſed caſta loquentem
Te memorem egregia ſæpe nitere toga.
Quin puræ ſectator aquæ, quin deſidis expers
Dicêris ſomni carmine Bacche meo.
Mox etiam cunctas narrabo ex ordine laudes,
Quas peperit virtus bellica Marte tuo.
In primis referam nigris ut victor ab Indis
Ipſe triumphali comptus honore redis:
Devictaſque urbes recolam, populoſque ſubactos,
Ductoſque ad currum barbara vincla Duces:
Nec ſileam forti divulſum Penthea dextra,
Nec ſileam exitium ſtulte Lycurge tuum.
His addam ætherei turbantem regna parentis
Te quoque terrificis Rhœte perempte modis.
Atque novo Satyros vino, thyrſoque furentes
Inſtituam binis ad tua ſacra choris.
Non Ariadneæ jucunda incendia formæ
Præteream ſociis addita ſideribus.
Utque frui poſſis æternum conjuge cara,
Contra ipſam cœlo te quoque conſtituam,

Si tantum vati liceat, ſi carmina tantum
  Noſtra valent, celeri carmina texta manu.
Mox ſequar, ut ſemper quoquo veſtigia vertis,
  Te bona Pax, hilaris te comitetur Amor.
Ut laſſis requies, mœſtis ut dulce levamen,
  Ut lac infantum diceris eſſe ſenum.
Ut ſine te raro contingant gaudia plena,
  Utque tuis ſpiret purpura nata genis.
Demum non vitis poſthac tua tempora cinget,
  Sed Romana dabit laurus utrumque decus.
Debita laurus erit, ſævos quod fuderis hoſtes:
  Debita, quod Phœbum, Pieridaſque colis.
Permeſſi perhibent te ſæpe ad ſacra fluenta
  Veniſſe, & lymphæ poſthabuiſſe merum:
Nec non ad numeros Muſarum dulce canentum
  Sopitum viridi procubuiſſe ſolo.
Et tecum potos una duxiſſe poëtas,
  Ennius ipſe fuit, Mæonideſque comes.
Ipſe comes fuit & Flaccus, qui te ſine numquam
  Pulſavit Latiæ dulcia fila lyræ.
Fac Lenæe igitur, ne fiat, precor, irrita vota;
  Quæ bonus e medio pectore promit amor.
Indefeſſus amor, qui nulli cedit amori,
  Ut nulli cedunt Principis acta mei.
Cujus me pietas ſervavit, fidaque dextra,
  Cum peteret noſtrum bellua dira caput.
Et cum Scylla vorax rapidis demergeret undis,
  Abſorptum tuto litore reſtituit.
Sic tibi fœcundis vindemia læta racemis
  Impleat effuſo grandia labra mero.
Sicque tua niteant argentea cornua fronte,
  Ut poſſit merito cedere Luna tibi.

Ad Sertorium Pepum, & Joannem Antonium Seronem.

Qui miſer ah longo credebam vincere fletu,
  Rumpere qui molli ſaxea corda prece,
Hei mihi nec lacrimæ, proſuntve precantia verba,
  Dum Niſa obtuſis auribus eſſe volet.
Certe ego, flebilibus quæ fudi verba querelis,
  Sperabam ſævas flectere poſſe feras.
Ah quoties duræ pedibus projectus amicæ
  Efflavi medio pene animam gemitu.
Nec tamen occluſas mea dicta admiſſa per aures,
  Stat ſurda Alpinis cautibus illa magis.
Sæpe feram pretio tentavi vertere mentem,
  At pretium tantum ſanguinis illa petit.
Et tamen ah Veneris juravit perfida numen,
  Præ me vel magnos linquere velle Deos.
Tunc ego pollicitis captus, ſpe fretus inani
  Spernebam Stygii ditia regna Jovis.
Spernebam quicquid poterant dare ſidera cuiquam,
  Spernebam Paphiæ gaudia prima Deæ.
Non bene mentis inops recolens, quam femina fallax,
  Quam ſit vel levibus mobilior foliis.
Femina & a primis didicit mendacia cunis,
  Cœpit & a tenero nectere lacte dolos.
Ipſa prius ſanos prævertens carmine ſenſus
  Vitam homines docuit degere more feræ.
Ipſa prius cœlo deduxit ſidera cantu,
  Miſcuit & dira terra venena manu.
Ipſa prius meditata nefas, & fallere docta
  Æquavit vili regna ſuperba ſolo.
Troja olim largo late perfuſa cruore
  Teſtis, & Iliaci cauſa Lacæna mali.
Cauſa Lacæna mali, quod nulla obliteret ætas,
  Europæ, atque Aſiæ grande Lacæna malum.

Ah

Ah nimis atra dies, Stygio tenebroſior Orco,
  Cum blando cycnum fovit amica ſinu.
Cumque etiam furor effrænus, maleſana cupido,
  In flammas patriæ te Pari mœche tulit.
Quo Pari mœche ruis? non te potuere verenda
  Hoſpitii, non te jura movere thori?
Verte parumper iter, nam caræ incendia Trojæ
  Humida per medii ſtagna vehis pelagi.
At ſi tantus amor Priami violare penates,
  Nec retrahit patriæ debita cura tuæ;
Eja age Rex pelagi fluctus ad ſidera tolle,
  Incute vim validis flatibus. Hippotade.
Obruite o rapido ſceleratas vortice puppes,
  Europæ atque Aſiæ mergite grande malum.
Quo Pari mœche ruis fatali concitus œſtro?
  Sero etenim ſapiunt poſt ſua damna Phryges.
Sed quid ego? ah potius linguæ mihi torpeat uſus,
  Auſim quam dominam lædere læſus amans.
Etſi, quam valeat, didici, Romana puella;
  Quam fera bella Venus Martis in urbe gerat.
Quin potius Divos moveant perjuria linguæ,
  Perfidiæ pœnas vana puella luat.
Tunc ego depictis ſubſcribam vota tabellis,
  Tunc mihi præ cunctis Cypria numen erit.
Tum mi Sertori, tum mi dulciſſime Seron,
  Si vos vel parvo tempore linquet Amor,
Votivas aras ultrici ponite Divæ,
  Ut ſervet veſtro mox in amore fidem.
Et qua ſæva iterum placari Tartara poſſent,
  Romanam, & Tuſcam ſumat uterque lyram

Felices nimium ſervi, Romana propago,
  Quos ornat fidei, quos pietatis amor.
Turcarum claſſis longo maris intervallo
  In Surrentinos verterat arma lares.

Dum-

Dumque urbem incendit, ſpoliat dum templa, rapitque
  E matrum pavido pignora cara ſinu;
Nec tam cura fuit captos abducere cives,
  Ferrea quam veſtro ſolvere vincla pede.
Vos illos, quorum imperio mala multa tuliſtis,
  Barbaricis juvit ſurripere e manibus;
Sublatoſque humeris, ductoſque per invia montis
  Servaſtis tuto luſtra ſub alta loco.
Quæque parata aderat fatorum munere vobis
  Libertas, per vos hoſtibus ipſa data eſt.
Felices nimium ſervi, felicia vincla:
  O ſic vita velim ſerviat uſque mea.

Ad Julium Cæſarem Caracciolum.

Juli, quem Phœbus ſimul, & Cytherea viciſſim
  Erudiit, per quem fulget uterque magis:
Etſi nos vario turbat fortuna tumultu,
  Et vetat antiquis ocia tuta focis,
Etſi non trepidis agitat Mars efferus armis,
  Nec ſinit Aonias vivere in urbe Deas,
Hincque furens ſubito populus ruit undique motu,
  Hinc arce aëria flammea ſaxa volant,
Ipſe tamen Veneris puer improbus, ut ſuus eſt mos,
  Sævius in noſtro pectore bella gerit.
Non illum æratæ terrent per compita turmæ,
  Non tuba, non ſocia tela retorta manu.
Ipſe habet humano madefactas ſanguine pennas,
  Cædibus aſſuetas, vulneribuſque manus.
An ne igitur poterit tibi mittere carmina, cui ſic
  Hinc Mars, hincque ſuo ſemper Amor lateri?

In Obitu Antonii Epicuri.

Tune Epicure jaces animæ pars optima noſtræ?
  Tune jaces Charitum, Pieridumque decus?
Uſque adeo immitis ſævit lex improba fati?
  Uſque adeo in magnos mors furit atra viros?
Tu poteras blanda fatales voce ſorores
  Flectere, præcipites tu cohibere manus:
Et tamen ipſe ſiles nigro levis umbra ſepulchro,
  Nec vatem Charites, Pierideſve juvant.
Debuerat laniata ſinum, crinemque ſoluta
  Surripere é medio Calliepea rogo.
Ipſa tibi æternas felicia pocula lymphas
  Præbuit, & vellet ſerta dediſſe tibi,
Quæ magni crines olim cinxere Maronis,
  Quæque Tibulle tuos, quæque Petrarcha tuos.
Te moriente ſacri Permeſſi exaruit unda,
  Excuſſit laurus te moriente comas.
Diſſiluit ſummo Parnaſſus vertice, & atra
  Nube ſuum obduxit te moriente nemus.
Tum Phœbus citharam perfregit pectine verſo,
  Tum cecidit capiti laurus amata ſuo.
Solus abit, ſolus montes, ſylvaſque peterrat,
  Flebilibuſque movet ſaxa, feraſque modis.
Non tantum, Eridani cum flagravere ſalicta,
  Deflevit nati triſtia fata ſui.
Infelix Phaëton animoſis perdite cœptis,
  Quid male caute peris? cur tibi fata paras?
Metiri poteras annos, vireſque, animoſque:
  Æqua humeris aptet pondera quiſque ſuis.
At nos exemplum miſeræ terrere ruinæ
  Debuit, & poteram, non tamen abſtinui.
Lucis enim majoris amor nos perdit, & urit
  Major quæ medio pectore flamma calet.

Qui-

Quinetiam lacrimæ, quarum nos mergimur undis,
  Sunt quibus Eridanus cedere jure poteſt.

Ad Fernandum Carrafam, Sancti Lucidi Dominum, de Clarice Urſina cui Roſa inſigne eſt.

Carrafa Idaliæ miles ſpectate cohortis,
  Cui dedit ipſe ſuam Phœbus habere chelyn,
Dic, precor, Elyſiis culta eſt num forte viretis?
  An noſtra eſt Paphiis vallibus orta roſa?
Num rubet effuſo Veneris depicta cruore?
  Auroræ roſeo num modo lapſa ſinu?
An Charis, ut ſe ipſam felici in flore referret,
  Hanc potius propriis excoluit manibus?
Numquid odoratum Pæſtum, colliſve beati
  Pauſilypi, aut læto protulit Ægla jugo?
Nobilis Ægla meo fidiſſima teſtis amori,
  Quæque meo illuſtris carmine forſan erit.
Num talem Alcinous? talem num ſevit Adonis?
  Anne roſa eſt, cujus nomine dicta Rhodos?
Crediderim ſpreta Phœbum Peneide fronde
  Compſiſſe intonſas floris amore comas.
Immemor antiquæ flammæ Deus, immemor at non
  Sævitiæ, atque fugæ dura puella tuæ.
Vana in amore fides, longi vertuntur amores,
  Vinceris ah Daphne flore relicta novo.
Nullus honos lauro poſthac, roſa prima poëtis
  Gloria, quæ facili ducat ad aſtra via.
Cede puer malecaute, tua flos perdite forma,
  Cede Amarante roſæ, cede Hyacinthe roſæ.
Cedite victrices lauri, tua tempora circum
  Necte triumphator, necte poëta roſis.
Certa fides, vati quis non bene credat amico?
  Hanc Romana ſuis nutriit Urſa genis.

Urſa duas inter clarum decus addita cœlo,
Cujus ſit claro clarior ore polus.

Ad Chriſti Dei Crucem.

Fortunata arbos, quæ reddis germina vitæ,
Digna olim regem ſuſtinuiſſe poli.
Fortunata nimis, per quam cœleſtia regna
Humano generi ſcandere poſſe datur.
O tua me ſemper dulciſſima contegat umbra,
Umbra vel æthereo lumine clara magis.
Atque adeo immoto vitalis pectore radix
Hæreat, ut nulla vellier arte queat.
Ara, ubi cœleſtis mactata eſt victima, cujus
Sanguine deletum eſt crimen, & orta ſalus,
Arca ubi ſervatum eſt, triſtis cum perdidit imber
Singula, mortalis ſeminis omne genus.
Crux bona vexillum cœli, clarumque trophæum
Elatum forti celſa ſub aſtra manu.
Fortunata arbos, cineres vel ad uſque ſupremos
Eſto comes, dubiæ metaque, duxque viæ.
Per mare, turbatis cujus demergimur undis,
Tu mihi clavus eris, tuque phaſelus eris.
Prævia tuque die deſerta per invia nubes,
Ignea tu media nocte columna mihi.
Tu mihi virga, olim quæ floruit ordine miro,
Tu mihi, qua ſaxi vulnere fluxit aqua.
Tu, quâ Tænarii perfracta eſt janua Ditis,
Oraque tergemini conticuere canis.
Tu mihi virga illa es, vaſtum qua finditur æquor,
Dulceſcit tactæ qua vel amaror aquæ;
Crux bona vexillum cœli, clarumque trophæum
Fixum victrici celſa ſub aſtra manu.
Fortunata arbos, quæ reddis germina vitæ,
Digna olim regem ſuſtinuiſſe poli.

Nil

Nil mihi cum Muſis poſthac, tu Muſa vel una es,
  Nil mihi cum lauru, tu mihi laurus eris.
Mors mala ſub ligno per te procumbit eodem,
  Quo nata in noſtrum prodiit exitium.
Sub pedibuſque tuis victum facinuſque, nefaſque
  Projacet, & quicquid culpa vetuſta tulit.
O precor in te configar, ſi magna precari
  Mi datur, & tantum promeruiſſe licet.
O utinam ad truncum moriar, ſub ſtipite condar!
  Tu Mauſoleum, tu mihi Pyramides.

Ad Angelum Conſtantium, de obitu filii.

Pone modum lacrimis, Conſtanti, parce dolori;
  Sæpe Deis nimiæ tædia ſunt lacrimæ;
Etſi te nati tantum mors turbat adempti,
  Quîcum prima domûs gaudia lapſa jacent.
Quid quereris? non cauſa tuis venit æquâ querelis;
  Jure quidem terris omnia nata cadunt.
Jure dedit natura mori: natura voluntas
  Firma Deûm, ſuperi quid niſi recta volunt?
Adde quod eſt etiam mors contemnenda beatis,
  Quod ſapiens miſerum nec putet eſſe mori.
An neſcis quot vita malis obnoxia? quæ ſit
  Humani infelix conditio generis?
Undique perpetuo jactamur turbine rerum;
  Hinc fati, hinc casûs vertimur arbitrio.
Fortia per varios ſpectantur pectora motus,
  Erigere intrepidos Fors violenta ſolet.
Callidus iratis laudatur nauta procellis,
  Et decus accepto vulnere miles habet.
Non animum cauti ſic miraremur Ulyſſis,
  Senſiſſet placidum ſi maris ipſe Deum.
Scilicet huc illuc vario cum fluctuat æſtu,
  Tunc mens ſigna ſui roboris apta dabit.
Evander natum, natum quoque Neſtor ademptum
  Flevit: at humentes terſit utroque genas.

Fruſtra etenim querimur, nequeunt ſi fata moveri,
Paſcitur humano ferrea mors gemitu.
Cuncta dies minuit, tu victor temporis eſto;
Fac per te veniat mitior ipſe dolor.
Te vocat ad ſuetos cantus, ſuetaſque choreas
Cynthius, & numeris commovet antra novis.
Te ſine Cyrrhæi longum tacuere receſſus,
Fons ſacer arenti te ſine ſordet aqua.
Filius ætherei gaudet novus incola regni,
Et captat puri præmia digna animi.
Non illi hi gemitus curæ; quin forte peroſus
Tot lacrimas, queritur de pietate tua.
Perpetuam humanos queſtus turbare quietem
Credimus: Elyſium pax tenet uſque nemus.
Illic tuta quies, tranquillæ & gaudia vitæ,
Quiſque pius certis perfruiturque bonis.
Illic quiſque ſibi felices tranſigit horas
Securo calcans gramina læta pede.
Illic æterni flores, æterna vireta,
Menſque alitur veris candida deliciis.
Eja animum compone ægrum, compeſce querelas,
Nati ne rumpas ocia ſancta tui
Sat lacrimis maduere genæ, ſat lumina flerunt,
Turpe nimis turpe eſt fata dolere nimis.

Ad Veſpaſianum Gonzagam.

Magne Heros Gonzaga tuo gratare poëtæ,
Gonzaga Aonidum gloria, Martis honos.
Felices ſalvete undæ, ſalve Ægla, benigno
Quæ nos exhilaras ſæpe, foveſque ſinu.
Ægla dies tenebris, eadem portuſque procellis,
Jucundum noſtris perfugium Ægla malis.
Ille ego Campanæ Lycidas piſcator arenæ
Reſtituor notis advena litoribus.
Ille ego, cara olim qui per myrteta ſolebam
Nequicquam Tuſco carmine ſæpe queri;

Cui

Cui toties olim tu reſponſare querenti
Aſſueſti, Niſæ dum fera regna tuli,
Dic rogo, (quandoquidem potuiſti noſcere, dum nos
Invitum tellus Romula detinuit)
Num potuit meminiſſe mei, num Niſa miſerta eſt?
An nos illius mente fugavit Amor?
Nempe fugavit Amor: veluti modo ſomnus aperte
Detulit: eſt veri nuntius ipſe Deus.
Viſus eram plenas traxiſſe ad litora naſſas,
Mox raptas flebam mi ſubito e manibus!
Quin etiam niveas ſecreto litore conchas
Dum legerem, dominæ parvula dona meæ,
Vidimus inſueto nigreſcere more lapillos,
Atque rapi irato retia jacta Noto;
Quaſque modo intactas piſcantes vidimus undas
Fœdari immundæ protinus ore ſuis.
Somne pater, rerum interpres fidiſſime, neſcis
Fallere, ſunt Somno ſingula nuda Deo.
Tu lucem præbes tenebris, tu recta recludis,
Tu certis animum paſcis imaginibus.
Tu dulci faciles complexu reddis amicas,
Per te deſertus conciliatur amor.
Quam merito fecitque Deum, donavit & ara,
Qui per te novit commoda tanta prius!
Ecquis te melius dubiæ præſagia mentis
Firmare, atque animi ſolvere vincla poteſt?
Ipſe ego, litoreis tantum promittere Muſis
Si datur, hæc per te litora Somne canam.
Ut Venus ipſa parens tibi ſit, genitorque Lyæus,
Humano ut venias certa quies generi.
Nec ſine te quicquam jucundum, dulce nec ullum,
Nec ſine te poſſit vita placere diu.
Nulla dies, votis qua non venerère, recedet:
Creſcet muneribus pinguior ara meis.
Seu fluctus fremat iratus, ſeu dormiat, omnis
Crede mihi veniet præda futura tua.
Interea quando de te male rumor habetur,
Falle alium, tecum nil mihi, Niſa vale.

Niſa vale, infidæ pœnas dabis improba dextræ,
  Diſcet ab exemplo perfida turba tuo.
Riſus amatorum fies per compita, fies
  Turpis anus tremula deſpicienda manu.
Vix & humo audebis mendaces tollere ocellos,
  Qui nova nunc nivea ſidera fronte nitent.
Flebis in argentum flavos abiiſſe capillos.
  Perfidiæ ſenium pœna, malumque venit.
Æqua Deûm pietas; nihil eſt, quod linquat inultum;
  Nulla quidem juſtas diſſipat aura preces.
Audiat hoc, ſanctumque precor Venus aurea faxit,
  Pendeat e collo fracta catena meo.

Ad Annibalem Carum.

Necte comam lauro, Jani rediere Calendæ,
  Mittuntur grata mutua dona manu.
Lætitia huc illuc volitans per compita ludit,
  De priſco cunctos gaudia more tenent.
Ægla coronatas exercet pulchra choreas,
  Non tamen ut nuper carmina læta canit.
Hei mihi cur uni mœſtæ rediêre Calendæ?
  Cur mihi læta dies triſtis, & atra venit?
Feſta aliis late præcingit limina laurus,
  Limina feralis noſtra cupreſſus habet.
Sancta doce Venus immiti quæ dona ſepulchro
  Mittere, qua marmor flectere voce queam:
Ah felix marmor, noſtros quod condit amores,
  Nec me, quod vellem, condere adhuc potuit.
Per te ſæpe imis arſit Neptunus in undis,
  Juppiter & medio mugiit ipſe ſalo.
Jampridem longos queſtus, lacrimaſque movemus:
  At lacrimæ, & queſtus præmia mortis habent.
Jampridem dedimus devicti pectoris arcem,
  Tu magis at noſtro ſanguine læta furis.
Annue Diva: tuas uſſit quoque flamma medullas.
  Tene latent nati tela faceſque tui?

Eveniant modo vota, aliì tibi marmora ponant.
  Marmora Phidiacæ fama, decuſque manus.
Ipſe feram triplici dilectas ordine myrtos,
  Subque tuo creſcens nomine lucus erit.
Ara intus, texto ſurget de ceſpite, qua non
  Agna tibi undanti ſanguine cæſa cadet;
Sed devota tuæ fumabunt exta columbæ,
  Et roſa non ſolito ſparget odore focos.
Hic ego litorea meditabor arundine carmen.
  Quod referat docili ſylva novella ſono.
Atque Gnidon, Cyprumque canam, natumq; potentem,
  Nobile & Idæi judicis arbitrium.
Ut ſit amarities dulci permixta veneno,
  Æque tuo veniat vitaque, morſque ſinu.
Utque truci ſis orta mari, ſis ſævior undis,
  Etſi te miti fronte tabella refert.
Per te fiat amans piſcator, ſitque poëta,
  Qui moveat Tuſcis cærula regna modis.
Hæc ego: dent alii ſpirantes ære columnas.
  Dentque revulſa tuis ſaxa Caryſte jugis.
At ſi fata volent lacrimoſæ ſtamina vitæ
  Rumpere, & adverſis auribus eſſe Deam:
Tum memor ipſe tui cariſſime Care ſodalis
  Hæc ſubſcripta meo carmina da cineri.
Uxore extincta lugens, ardenſque poëta
  Occidit, & tumulo luget, & ardet adhuc.

Ad Phœbum, de Joanne Franciſco Muſettola ægrotante.

Phœbe veni, noſter tibi ſit Muſettula curæ,
  Quem longus feſſo corpore morbus habet.
Nunc opus in primis varios componere ſuccos;
  Nunc opus eſt medicas nunc adhibere manus.
Eja age, Pieriis herbas quas colligis hortis.
  Affer, ut a domino ſentiat æger opem.
Quid fiet, ſi forte diem Muſettula claudet?
  Quid fiet noſtri temporis hiſtoriæ?

Actum

Actum eſſet de te memor o facundia, nullus
  Eſſet honos ſalibus, gratia nulla jocis.
Non illi curæ anguipedes fera monſtra Gigantes
  Fingere, & irati flammea tela Jovis:
Utque pater fuerit Dictæis pulſus ab oris,
  Ut dederit Latiis commoda primus agris:
Verum diſcordes animos, Tiberinaque bella
  Scribere, & Albani fortia facta Ducis.
Ut furor e parvis incendia magna favillis
  Suſcitet, involvens ſæpe profana ſacris.
Ut rerum eventus doceat ſibi quemque cavere,
  Conſulat alterius ut ſibi quiſque malo,
Te modo ne pigeat pavidis ſuccurrere votis,
  Et tua jam dextro viſere ſacra pede.
Servato hoc uno major tibi Phœbe triumphus,
  Quam numeris audax Marſya victus, erit.
Marſya mentis inops, non eſt tua tibia tanti,
  Direpta in latices dum fluis ipſe cute.
Non tibi tam Python decori, Cyclopſque perempti
  Quodque tot unus habes nomina clara Deus;
Quod vatum præſes coleris, quod carminis auctor,
  Quod tibi ſit laurus, quod lyra, quodque coma;
Quam modo languentem nobis ſervaſſe ſodalem,
  Et ſimul Aonium reſtituiſſe decus.
Tunc ego rite novus viſam tua templa ſacerdos,
  Atque addam ſacris thura Sabæa focis.
Moxque alios inter feſtum pæana canentes
  Terque, quaterque tuum nomen ad aſtra feram.
Parcite tunc lacrimæ, parce o dulciſſima conjux,
  Parce dolor, ſine te ſit precor una dies.
Ut poſſim meritas memorare ex ordine laudes
  Et Tuſco, & Latio carmine, Phœbe, tuas.
His demum exactis lacrimæ, conjuxque redite,
  Vince dolor, ſine te ſit mihi nulla dies.

Ad

Ad Joannem Hieronymum Aquivivum, Hadriæ Ducem:

Et licet, & licuit ſemper deponere curas,
  Miſcere & levibus ſeria facta jocis.
Majus adeſt: meditare novas Aquivive Camœnas,
  Sol procerum, patriæ ſpes, Aquivive, tuæ.
Te quoque Phœbus amat, ſunt & mea carmina curæ,
  Legiſti nugas terque, quaterque meas.
Huc ades, huc noſtri Mai pars lætior anni,
  Huc florum, huc Veris læte miniſter ades.
Te canimus, tibi noſtra novos lyra temperat ictus,
  Sacramus meritis feſta novella tuis.
Auſpice te primum vitales hauſimus auras,
  Excepit viridi florea terra ſinu.
Tunc Paphon, & Veneris linquens puer improbus ulnas,
  Pectoris imperium cœpit habere mei.
Meque prius luſtrans lacrimis inſperſit amantum:
  Mox madefacta meo ſanguine penna ſua eſt.
Aſpice, ut ante fores longo tibi ſtipite ſurgat
  Arbor, & eſt Majus nomine dicta tuo.
Aſpice contexto quot pandat vertice frondes
  Ramus, ut e ramo pendula cantet avis.
Ut velata novis exultent limina fertis,
  Ut paſſim largo flore niteſcat humus.
Ut Nymphæ antiquo celebrent Majalia ritu,
  Atque ter hæc læta carmina voce canant.
O faveas, hilari ſpectentur ſingula vultu:
  Adſit Amor, miti qui ferat arma manu.
Te canat arboreo recubans ſub tegmine paſtor,
  Dum carpit tenerum gramina læta pecus:
Te canat hinc olitor, te cari hinc cultor agelli,
  Dum ludunt vacui lata per arva boves:
Tu bone Dive adſis, Zephyrum ſic fallat amantem
  Chloris, & optato te foveat gremio.
Chloris amor, Chloris pulchris prælata puellis,
  Quæ vel adhuc fruſtra deperit igne tuo.

Quam,

Quam, dum forte olim gemmantia prata pererrat,
Diceris ipſe tuo detinuiſſe ſinu.
Ac tum purpureaſque roſas, molleſque hyacinthos,
Tum primum violas, tum genuiſſe crocum.
Hinc data jucundo per te ſunt nomina menſi,
Hinc Maii ex illo tempore nomen habes.
Quod tibi nec priſco majorum nomine ductum eſt,
Nec tibi majeſtas, nec tibi Maia dedit:
Sed quod majores numquam Dea ſenſerit æſtus,
Quodque magis nullo tempore regnet Amor.
Verum hauſiſſe parum vitales profuit auras,
Cum ſine te conjux omnia ſint tenebræ.
Ver mihi triſtis hyems, flores ferrugine pallent,
Et pulchra, & ridens arida mœret humus.
Omnia læta tuo conduntur, Porzia, ſaxo:
Et tamen haud potui condier ipſe ſimul.
Quid moror infelix? extincta vivere vita
Non decet: erepta conjuge vita mori eſt.

Ad Vallem Roſciolanam.

Si quid mi miſero eſt animi, quod ſorte reliquit,
Quæ tulit ad tumulum ſecum animam, atq; animum;
Omne id diſcedens Vallis tibi cara relinquo;
Et ſi id non habeo, velle id habere ſat eſt.
Vallis cara olim, vita mihi carior acta,
Roſcida, ſeu Roſea es neſcio, cara tamen,
Fontibus irriguis lætiſſima, dulcibus umbris,
Ridentem croceo picta nitore ſinum.
Non tibi ros dederat nomen, non Roſcius olim,
Sed roſa Acidaliæ dona relicta Deæ.
Namque in te latuit, fugeret cum Martis amores
Cypria poſthabita te coluitque Papho:
Decedenſque roſam dono dedit: ipſe latebat
Pectore flos blandi captus amore loci:
Atque ait, hoſpitii roſa ſit tibi pignus amici,
Deque roſa felix hoſpita nomen habe.

Ad Marinum Frecciam, de ruinis Peſtanis.

Vos o jucundi deflenda cadavera Pæſti,
  Vos o felicis diruta buſta loci,
Ridentes campi, dulciſſima litoris ora,
  Quæ vel adhuc redoles ſemiſepulta roſas,
Vos ſacræ Heroumque umbræ, quæ nunc quoq; ut olim,
  Huc illuc fertis per loca nota pedem.
Sancte Geni, priſcique Lares, nunc paſcua, vos &
  Nunc nemus, aſt olim templa, theatra, forum,
Urbis relliquiæ miſeræ, celebreſque ruinæ,
  Triſtia fatalis vix monimenta ſoli,
Dicite, (quandoquidem pietas non ultima rerum eſt,
  Nec procul a duro marmore ſenſus abeſt,
Infelix teſtis Niobe, quæ flebile ſaxum
  Extinctos natos luget adhuc Sypylo)
An ne unquam audiſtis motu ſuſpiria tanto?
  Spectaſtiſne unquam totve ſimul lacrimas?
Vos numquam audiſtis motu ſuſpiria tanto,
  Numquam ſpectaſtis totve ſimul lacrimas,
Mors tua ſunt dona hæc, nullo mors ſævior ævo,
  Tune igitur bona mi tot ſimul una rapis?
Numquam par facinus patraſtis ferrea fata,
  Exitio nimium ferrea fata meo.
Ah ſcelus infandum, ſed quid mala fata tuliſtis;
  Emicat æthereo Portia noſtra polo.
Atque incorruptæ pulcherrima femina formæ
  Tranſtulit omniparens ad ſua regna Venus.
Ut ſi quid pulchri vellet mortalibus eſſe,
  Hinc caperet, pulchrum non aliunde capit;
Non quæ junxit Amor potuiſtis ſolvere vincla,
  Vincla nec extremo diſſolüenda rogo.
Urbis relliquiæ miſeræ, celebreſque ruinæ,
  Spargite nunc mecum, ſpargite nunc lacrimas,
Vos ſemel excidium quondam defleſtis acerbum,
  Sed finem lacrimis fata dedere tamen.

At mi nil prodeſt rerum mutabilis ordo,
Nam vita æternis eſt rediviva malis.
Tuque Acci quondam, nunc verſo nomine Solphon,
Qui vitreo exhilaras pinguia culta pede,
Solphon, cui Silaris pater eſt, cui Trentana mater,
Cui Jungana uxor, cui Comменta ſoror.
Omnia mutantur: mutant quoque flumina nomen.
Triſtem animum nullo tempore mutat amans.
At me quis retinet? juvat e me mittere in undas
Præcipitem, placidis excipe flumen aquis.
Non decet extincta jam vivere conjuge, nunc o,
O liceat ſaltem ſic mihi poſſe mori.
Nempe tuis noſtras undis extinguere flammas
Fata ſinent: ſed quæ ſomnia fingit amor?
Nedum tantillum ardoris, qui pectore fervet,
Reſtingui poterit fluctibus Oceani.
Urbis relliquiæ miſeræ, celebreſque ruinæ
Spargite nunc mecum ſpargite nunc lacrimas.
Aucte meis lacrimis Solphon te cernimus ultro
Siſtere, tu liquido me precor abde ſinu.
Abde precor: quid poſſit Amor bene flumina norunt
Præcipitem placidis excipe blandus aquis.
Forſan ope indigenæ nos & mutabimur amnis,
Et fiam nullis ſenſibus ipſe lapis.
Namque in te jactum ſaxo concreſcere ramum
Vidimus: an ramus ſorte mea melior?
Sim licet ipſe lapis, doleam tamen uſque, dolenſque
Ardebit medio flumine muta ſilex.
Tu lux interea ſanctarum Freccia legum,
Qui Romam, & Spartam pectoris arce geris.
Extincti mecum luge pia funera Pæſti,
Quin potius luge funera viva mea.

Ad Scipionem Ammiratum.

Ammirate huc huc, quo te vocat Ægla, venito:
Non bene cum Muſis convenit aula, forum.
Ecquid adhuc vanas lentus teris aulicus horas?
Felle venenato tecta ſuperba madent.

Huc

Huc tecum veniat Ninus, nec Cambius abſit,
Tu Cicarelle veni, tuque Maranta veni.
Qui ſimul hic repetant iterum. Mors una duobus:
Et recolant gemitus tot monimenta mei.
Quorum colloquio ſtatuæ, circumque reſultet
Porticus, & noſtro picta dolore domus.
Huc properent dulces etiam quos deperis ignes.
Tractet & Idalias mitius arma puer.
Nec non egregium Phœbus comitetur alumnum,
Perque jocum diſcat villica verba loqui.
Atque roſis, quas hortus alit, tua tempora cingas,
Tempora, quæ pridem laurus amica tenet.
Rura colam deſertus amans: mihi rura colenti
Vileſcant omnes, quas habet Indus, opes.
Rura quies, pax rura colit, mens neſcia ficti,
Purus & intactæ relligionis amor.
Rura fides, probitaſque colit, rectumque, piumque,
Nudaque ſimplicitas, virgineuſque pudor.
Saturnus caſtos fertur regnaſſe per agros,
Exempta eſt dulci tunc fera glande fames.
Tunc non ſecuros rumpebant claſſica ſomnos,
Non gladius noſtro ſanguine tinctus erat.
Nullus adhuc locus inſidiis: non taurus aratrum,
Vincula non pedibus ſenſerat ulla reus.
Nullus erat pecori numerus, nulluſve magiſter:
Nondum tentarat navita avarus aquas.
Quiſque dabat Venerem truncus: ſimul eſſe licebat:
Non erat inviſa janua clauſa ſera.
O tum felices, quibus ultima contigit hora:
Debuit humanum tunc periiſſe genus.
Quis fuit infauſti ſceleratus criminis auctor?
Quis tantum potuit promeruiſſe mali?
Juppiter ecquid agis? per te bona ſæcla ruerunt
In ferrum, per te totque abiere bona.
Debueras certe ſceptris præferre paternis
Non æquanda ullis oſcula divitiis:
Oſcula; quæ paſſim blandis ſurrepta puellis
Libera lex priſci temporis ipſa dabat.

Tu

Tu tibi damna paras: Saturno regna tenente
Quam variis licuit ludere imaginibus!
Nunc aries, nunc taurus eras, nunc aureus imber.
Præda erat ardori quæque puella tuo.
Nec mirus interea fumabant thura per aras:
Sunt & amatori reddita vota Jovi.
Nunc tibi incundæ prærepta licentia vitæ,
Nunc variis vetitum ludere imaginibus.
Non licet incautas mentito numine Nymphas
Fallere: ſtant quanto regna parata malo!
At nos quid tantum ſceleris commiſimus, ut non
Antiqua liceat conditione frui?
Vix datur optatas procul inſpectare puellas.
Sævit enim noſtro tempore avarus amor.
Et merito, quoniam mendaci credimus hoſti:
Ah quantum eſt pueris credere vana fides.

Ad Rodulphum Pium Cardinalem, vinum mittit cui lacrima vulgo nomen eſt.

O quem Roma vocat merito decus urbis & orbis,
Quem vocat humani delicias generis;
Cui jam templa, aras ponit, quo Principe magna
Concipit, & ſupplex vota, preceſque parat,
En tibi Pauſilypi lacrimæ, quas fudit ad undas,
Dum fugiens Neſis vertitur in ſcopulum.
Tu cape; parva licet, magni ſunt pignora voti,
Sive leges lacrimas, ſive bibes lacrimas,
Forte ſub umbroſa cantabat vinitor ulmo
Pauſilypus: domino ſpem dabat uva ſuo.
Jamque arbuſta, lacus, utres, & præla ſinebant
Calcari immundo fervida muſta pede.
Neſis Nympha olim felicis gloria collis
Optatus juveni, dulcis & ardor erat.
Vinitor hæc blandis jactabat verba querelis,
Quæ poterant quercus flectere, ſaxa, feras.
Huc propera o Neſis, Neſis dulciſſima cura,
En volat ad te animus, deſerit en me animus.

Eſt procul a nobis Campana licentia fandi:
  Indigna obſcœnis caſta puella jocis.
Quo vocat Autumnus, quo te vocat ipſe Lyæus,
  Nympha veni: non ſum qui tibi damna parem.
Diſperеam, caris oculis ni carior ipſa es,
  Ni matura uva dulcior ipſa mihi es.
Ecquis tam ſævus, placidam qui turbet amicam?
  Ecquis erit, qui te lædere, vita, velit?
Sordidus haud ego ſum, media ſed natus in urbe;
  Quid videar, eſt pes teſtis, & ipſa manus.
Ruſtica non facies, non barba eſt uvida muſto,
  Non mihi pes, non eſt fæce peruncta manus.
Hic tibi frondentes texunt umbracula vites,
  Hic ulmus virides pandit opaca comas.
Hic mulcere potes jucundo lumina ſomno,
  Lumina, quæ memet ſurripuere mihi.
At vereor, ſomnus ne, dum blanditur ocellis,
  Detineat dein te captus amore tuo.
Ipſe & odoratis componam ſerta racemis,
  Qualia non Indo Bacchus ab orbe tulit:
Queis vitare æſtus poteris, queis cingere crines,
  Ah crines vitæ retia cara meæ.
Depictas ſoleas, palea textumque galerum
  Servavi, illum rure, has & ab urbe tuli.
Quin tibi meme ipſum ſervavi: num dare majus
  Quis valet? & plura bis te quoque dona manent.
Pauſilypus tuus eſt totus, vindemia tota eſt:
  Non ego, non ſine te vivere, & eſſe velim.
Huc propera o Neſis: quæ te nunc invida nobis
  Ocia, quæ choreæ, qui retinentve chori?
Num me faſtidis, tenuem num ſpernis amantem,
  Cui ſit villa parens? & tibi villa parens.
Etſi non dives, tamen eſt mihi vinea villæ
  Proxima: dat Græcum, dat Latiumque merum.
Quæ bene culta nitet fœcunda ſepta labruſca,
  Implet & ipſa meri quattuor una cados.
Illa aderat latitans poſt ſepem, dumque pedem fert,
  Arguto ſepes obſtrepit icta pede.

Senſit adeſſe miſer, ſequitur: fugit illa propinquum
 Ad litus, ſueto non bene tuta loco.
Atque ait: O Nymphæ facili ſuccurrite dextra;
 Inter Nereidas culta Diana quoque eſt.
Sic illa, exiliens medias evadit in undas,
 Tum verſa in ſcopulum protinus obriguit.
Protinus obriguit, poterant hoc numina, & ultra,
 Ut ſaxum atque uno tempore Nympha fuit.
Hæſit amans, monſtrumque horret, nec plura locutus
 Heu totus dulces liquitur in lacrimas.
Flerunt Nereides, ſociam flevere Napææ.
 Eſt ſylvis pietas, eſt pelago & pietas.
Tuncque Dicarchæi dederunt ſuſpiria colles;
 Ex illo, ſemper ſulphure flagrat ager,
Gajola vicinam flevit, lacrimaſque dedere,
 Mergillina ſuas, Antiniana ſuas.
Necnon, ipſa velut venturi præſcia fati
 Uberius lacrimas ſpargis & Ægla tuas.
Ægla, olim ad numeros quæ reſponſare ſolebas
 Piſcantum, ſed nunc non niſi flere tuum eſt.
Et ſat erat ſervaſſe tuos ad funera fletus,
 Quæ ſcribenda meus morte reliquit amor.
Verum ille ut vidit mutato corpore Nympham,
 Vidit, & infelix nec ſibi credit amans;
In mare præcipitem ſeſe demittere tentat,
 Caro etiam ſperans poſſe frui ſcopulo.
Sed Bacchi pietate (canat quis mira Deorum?)
 In vitem, hærebat cui modo, verſus abit.
Quæ nunc mœſta etiam illacrimat, quæ cortice manat,
 Heu memor exitii tempus in omne ſui.

Fontis inſcriptio.

Naïades, fontis quibus eſt tutela propinqui,
 Si veſtrâ veniet lympha perennis ope,
Largus ut arentes fœcundet rivulus hortos,
 Pellat ut æſtivam villica turba ſitim:

Pri-

Prima dabit vobis ſitientis cultor agelli
Lilia, prima olerum munera, prima roſæ,
Nec tantum teneris dabitis, mihi credite, plantis,
Quantum donata vos capietis humo.

De Nigella.

Ægida Pallas habet, ſunt & tibi ſpicula Mavors,
Fuſcina Neptuno, rete Diana tibi eſt;
Sunt thyrſi Baccho, Majæ talaria nato,
Alcidæ clava eſt, ignea tela Jovi.
Unde caret facibus tantum Cytherea? ſagittis
Unde Amor? hæc oculis arma Nigella gerit.

Ad eamdem.

Quod tu purpureos, albos ego mittere flores
Aſſueſcam, haud mira conditione venit:
Quæ tua ſunt, noſtro de ſanguine dona rubeſcunt,
Quæ noſtra, heu noſtris candida de lacrimis.

In Polydori pictoris mortem.

Invida cui potuit natura ignoſcere, quamvis
Victa tua toties ſit Polydore manu;
Neſciit infidi crudelis dextera alumni
Parcere: ſic auri vicit avara fames.
Infelix ſemper Polydori nomen, ut aurum
Perdidit, ut nocuit ſemper amica fides!

Roſa Campana loquitur.

Quæ modo Campanos fueram Roſa culta per hortos,
Heu decus Idaliæ, deliciumque Deæ,
Nunc feror iratis Tiberis demerſa ſub undis,
Nec patitur certum Nais habere locum.
I nunc, crede Deis: poterat ſervaſſe Dione,
Debuerat Veneri parcere Martis aqua.

Fontis inſcriptio.

Quiſquis amas vitrei paſtor bona commoda fontis,
Pelle gregem: ſacer eſt, tangere parce manu.
Fons Veneris natus lacrimis, dum luget Adonin,
Dum diſcerpta fero membra requirit apro.
Tu tibi parce, potens gelida latet ignis in unda,
Ne bibe, nam flammas tuque, pecuſque bibes.

De Fernando Davalo Piſcario, & Victoria Columna conjugibus.

Sat tibi, ſat Davalus debet Victoria, vicit
Te duce tot populos, te duce totque Duces.
At tibi plus Davalus debet Victoria conjux,
Carmine ſi potuit vincere fata tuo.
Utraque ſat tribuit: dedit at plus carmine conjux;
Hæc dedit, ut mortem vinceret, illa Duces.

Ad Nigellam.

Miraris, quod victa tibi ſint lumina ſomno,
Quodque vetet laſſos ipſe aperire oculos.
Non mirum: cum tanta tibi vis luminis inſit,
Ut nequeat ſomnus captus abire oculis.

Ad Mortem.

Mors propera, miſeris ſpes o certiſſima rebus:
Mors propera, & vitæ ſtamina rumpe meæ;
Sed tacito pede curre, animus ne noſcat adeſſe;
Nam præ lætitia numquam ego deficerem.
Res Amor infelix, optat fugienda: reſurgit
Triſtibus, o mira conditione malum!

Myrtus loquitur.

Amplexam Paphia quid vitem vellere Myrto
Contendis? ſæva parce colone manu.
Pace tua Vulcane, tua Gradive: Lyæi eſt
Jure Venus; Veneris jure Lyæus erit.

De Carolo V. Cæſ.

Dum celer exuperat præruptas Carolus Alpes,
Dumque fera innumero milite bella movet,
Contremuere alto longum ſaxa invia motu,
Mirata Auguſti vimque, animoſque Ducis.
Quin Dryades perculſæ armis latuere ſub imo
Cortice, & hæc tremulo verba dedere ſono.
Gallia flere potes: remeat jam Cæſar, es olim
Victa: ſed in cineres nunc prope verſa rues.

Niſa loquitur.

Hac roſa cingam Lycidæ capillos,
Quæ patet verno ſaturare rore,
Cum diem Titan reſerans Eoo
Litore ſurget.
Hac & innectam ſtudioſa frontem,
Quæ latet parvo bene ſepta nodo,
Per me ut Auroram ſuperet nitenti
Frontis honore.
His & implebo calathum liguſtris
Quem modo intexit Pholoë Veſevi
Nata, & intextum mihi miſit, ut mox
Unus haberet.
Hiſce & involvam jaculum corymbis,
Quo feras certo ferit acer ictu
Ille, cui ſummis potuit Diana
Cedere ſylvis.
Mox fit ut caræ memor ille Niſæ,

Hac leves lauru calamos ligabo,
Sæpe queîs ipſum potuit canentem
Vincere Pana.
Hac tegam myrto baculum virenti
Ægla Sebethi ſoror, Ægla, quam mî
Carpſit, it dum luciduli puſillas
Fratris ad undas.
His coronabo violis juvencam,
Quam diu munus juveni dicavi,
Quamque vel credas iterum placere
Poſſe Tonanti.
Tu veni huc inter Lycida geniſtas,
Dum per herboſos pecus errat agros,
Pauca pro centum mihi clam rependens
Baſia ſertis.

Fama ad Carolum V. Cæſar. loquitur.

Etſi preſſa cadet tantæ ſub pondere vocis,
Vel mediis penna deficiente viis;
Exoptat plura ora tamen, dupliceſque volatus,
Ut referat laudes nuntia Fama tuas.
At neſcit quo Cæſar eat: ſunt te omnia plena;
Nil ultra, quo jam progrediatur, habet.

Ad Æglam, de Villa ſua Rota.

Ite jam blandæ procul ite nugæ:
Urbis hic tandem liceat querelas,
Hic forum inviſum aufugere, hic potentum
Limen avarum.
Hic mihi mentis liceat procellas
Pellere, hic curas animum vorantes,
Vivere hic ſaltem breve tempus, hic mî
Reddere memet.
Ecquod o nunc perfugium? ecquis umquam
Tutior portus? male jam ſat olim
Luſimus quot jam male vana amantes

Fle-

Flevimus annis.

Ægla tu caſtæ generoſus undæ
Fons, & umbroſis Helicon viretis,
Tu mihi lauri nemus, & canorum
Phocidos antrum.

Tu parum cautis locus aptus annis,
Tu parum firmæ requies ſenectæ,
Forſan optatâ mihi cana cinges
Tempora fronde.

Colle tu parvo mihi das natantes
Æquore hinc Nereidas, hinc Napæas
Cernere errantes loca pulchra circum
Conſita citris.

Tu mihi das Pauſilypi receſſus,
Tuque craterem pelagi videre, &
Antra, & in primis veneranda magni
Buſta Maronis.

Ut juvat tecum canere impotentis
Nunc cruentatam pueri pharetram,
Nunc facem, nunc & medicata multo
Tela veneno.

Nunc comas auro nitidas Nigellæ,
Nunc duas, ſedem Veneris, papillas,
Nunc roſas, nunc lilia, nunc micantis
Sidera frontis.

Ut juvat poma, ut violas recentes
Carpere, ut ramos reſecare inertes,
Murmure ut frondes agitantis auræ
Fallere ſomnum.

Sic tibi ver perpetuum corollas
Suggerat, ſic te Venus ipſa Cypro
Præferat, ſic te colat uſque pleno
Copia cornu.

Ad Luciam.

In tenebris mihi lumen ades, lacrimaſque miniſtras
Lucia Phœbea lucida luce magis:

Tuque eadem abſenti tenebras, lacrimaſque miniſtras
Lucia ſic ſemper noxque, dieſque mihi es.

Ad Auram.

Aura, quæ blando reſonas ſuſurro,
Aura, quæ flores vaga ludis inter,
Quæque rorantes nova prata circum
Concutis alas.
Quam Venus ridens, Charites, Jocique
Paſſibus ſemper comitantur æquis,
Quam leves circum volitant Amorum
Mille cohortes.
Hi venenatas acuunt ſagittas,
Hi rota multa jaculum coronant,
Hi faces læti quatiunt, & aura
Suſcitat ignem.
Tunc aqua Nais calet omnis ima,
Tunc novis ardet nemus omne flammis,
Tunc & inſueta face quæque ſumma
Æſtuat arbos.
Jamque paſtores, ſegetes, oveſque
Urerent æſtus penitus voraces,
Ni meo fletu populata campos
Flamma periret.
Si parum flatu recreas benigno
Quam mihi laurum poſui virentem,
Dum nocens nudos Canis urit agros,
Dum ſitit herba.
Ægla connectet tibi noſtra flore
Mille fragrantes vario corollas,
Quas ſuis poſſet Zephyro parare
Chloris in hortis.
Mox lyram trunco Lycidas amico
Vota ſuſpendens tibi ſolvet, ut te,
Voce perflabis quoties canora,
Perſonet unam.
Tu modo o votis faveas, & adſis

Aſpi-

Aſpice, ut grata ſpatietur umbra
Laurus, ut pandat tibi tota frondes
Aura, nec audis.

De Natali nocte Chriſti Domini.

Naſcere ſancte Puer nocte hac, qua purior unquam
Non fulſit rutilis Lucifer ipſe comis.
Te nato occumbit lethum, dirumque, malumque,
Pravaque relligio, ſollicituſque timor.
Te nato nova vita oritur, rectumque, piumque,
Et longo exilio ſpeſque, ſaluſque redit.
Magne Puer, quem regna manent terræque, polique,
Quem manet evicti debita palma Erebi.
Naſcere, dumque micat nox hæc nitidiſſima, numquam
Affer ab Eoo litore Phœbe diem.

Fontis Exſiccati inſcriptio.

Quid mirum? ſeu paſtor ades, ſeu potor, ad auras
Si venit hinc parca Naïs iniqua manu.
Aret humus domini præ magno pectoris æſtu,
Dum flammas pennis ventilat acer Amor.
Hinc exire timet Nympha, hinc latet, ipſe ſed undas
Si cupis, hinc dominum pelle, & habebis aquas.

Iſabellæ Aragoniæ triumphus.

Iſabella roſas inter dum laſſa quieſcit,
Laſſa homines dudum, laſſa ferire Deos;
Credit eam Venerem, tacitis circumvolat alis,
Non auſus ſomnum rumpere matris, Amor:
Non tantum tamen abſtinuit, quin lumina adiret,
Hinc ratus ipſe novas poſſe animare faces:
Dumque genas nimis ala premit, ſomno excita tentat
Prendere: ſed ſe oculis virginis abdit Amor.

Nilus

Nilus marmoreus Parthenopen alloquitur.

Quid tibi cum Nilo Siren male blanda? canentem
Te dudum fugiens terra ego delitui.
Inſenſi cives cur me prompſiſtis, ut eheu
Cogerer invitis cernere vos oculis?
Quis bene diſcordes animos, quis barbara juſſa,
Tempora quis ferro deteriora videt?
Obruite o cives, Sebetho aut mergite, ni, mox
Diſcetis læſi numina quanta Dei.

Ad Berardinum Martiranum.

Martirane tui decus immortale poëtæ,
Cui dedit arbitrium pater uni
Virginei Phœbus laticis; cui ſerta virenti
Fronde legunt redolentia Muſæ;
Muſæ; quæ tibi me ſic devinxere, ut iniqua
Vix poterit Lacheſis reſecare
Stamina, concordi quæ junxit Gratia nodo,
Manſura ad cineres quoque, & ultra;
Quæ cœpere tuam tam longa oblivia mentem?
Quæ tibi nunc mala gramina Circe
Miſcuit aut triplici quæ detinet ore Chimæra,
Ad patrios rediture penates?
Nam licet ipſe geras Curios, licet ipſe Catones
Mille animo; imperium tamen olim
Vidimus infidæ lacrimantem ferre puellæ,
Ac triſtes te fundere queſtus.
Anne tuo reſidet magnus qui pectore Cæſar,
Cæſar deliciæ, atque amor orbis,
Qui virtute auro ditat nova ſæcula priſco,
Huc ſupero demiſſus Olympo;
Optatos differt reditus, optata retardat
Gaudia? in hoc tantum minime æquus.
Anne cadaver iners paſſæ tot funera Romæ
Detinet incaſſum ſacra buſta

Mi-

Mirantem, atque urbis magnæ ſimulacra dolentem
  Largo non ſine flumine fletus?
Anne alia evinxit valida te compede Nympha,
  Nympha comis, oculiſque beata?
Quam pater uſque imo Tiberis ſuſpiret ab antro
  Fontibus in mediis malè flagrans.
An Bembus Veneta hiſtoria? vel carmine Molſa?
  Quos penes eſt animus meus omnis;
Quos abſens video ſemper, quibus & mea ſæpe
  Carmina grata, licet juvenis ſim;
Te retinent lentum procul a felicibus hortis
  Leucopetræ a nitidis procul undis.
Leucopetra eſt, ſylvis qua non formoſior ulla,
  Qua toto non æquore Nympha:
Quæ tibi non tantum violas, molleſve hyacinthos,
  Non quidquid lætus parit annus;
Sed lectas etiam vicino è litore conchas
  Servat amans, uni placitura.

De Laura Rota Sorore.

Dum pia turba parat lacrimas, dum ſpectat adempto
  Quid faciat nato perdita Laura ſuo;
Ipſa ubi vix animam retinens legit ore ſupremo
  Oſcula, ſic fatur: qui dedit, hic rapuit.
Quiſne uni huic igitur Spartanas, quiſve Sabinas
  Conferat? has chartis vidimus, hanc oculis.

In Imaginem Victoriæ Columnæ Piſcariæ.

Quæ Dea? cui tantus decor eſt? quam Dædala pinxit
  Dextera, quæ mutæ vivere dat tabulæ.
Num forte eſt, nigro dum ſic bene fulget amictu
  Cynthia? cum fuſca lucida nocte micat.
An Venus hæc potius juvenis mœſtiſſima fato,
  Cum ſævus tenerum perculit inguen aper?
Cynthia non nobis, non ſic Venus ipſa videtur;
  Cynthia ſed tamen eſt, & ſimul ipſa Venus.

Hæc

Hæc referens utramque Deam Victoria ſola eſt:
Quæque ſit, hæc poterit vel Dea picta loqui.

Ferdinandi Primi Neap. Regis.

Fernandus fueram felicis conditor ævi,
Qui pater heu patriæ, qui decus orbis eram:
Quem timuere duces, reges coluere, brevis nunc
Urna habet: humanis i, modo fide bonis.

Ferdinandi Secundi.

Heu quando mors ſæva adeo mortalibus umquam?
Heu quando tantum fata dedere mali?
Flos Regum Fernandus adit dum prima juventæ
Limina, Romanum dum ſuperatque decus,
Mors gremio Italiæ florentem ſurripit, ulla
Ne moriente illo ſpeſve, ſaluſve foret.
Et querimur nos morte rapi, nos cedere fato;
Quando etiam aſſueſcant numina & ipſa mori?

Federici Neapolitani Regis.

Infelix Federice, dolis data præda tuorum,
Quis poterit fati non meminiſſe tui?
Quandoquidem immerito ſceptris ſpoliatus avitis
Occidis, & profugum barbara terra tegit.
Heu ſortem indignam: quæ ſuſtinuiſſe cadentem
Debuerat, ſtantem perdidit illa manus.

Ad Antonium Sebaſtianum Minturnum Crotoniatarum Pontificem.

Linque jam vulgi ſtrepitum profani:
Linque ventoſam patriam, forumque:
Vive nunc paullum tibi: pelle & atra
Nubila mente.
Ægla te ad menſam viridem repoſcit,

Pau-

Pauperes ad divitias agelli.
Dives eſt multis epularum ad uſum
Hortulus herbis.
Eſt mihi, quamvis gelido December
Imbre tellurem penetrarit imam,
Eſt, licet flatu rigeant peruſta
Arva nivali,
Multa vis florum, atque olerum: eſt in hortis
Angulus, quem nec pede Faunus umquam
Conterit, per dum ſequitur Napæas
Florea prata:
Eſt mihi eruca, eſt mihi menta, quæ jam
Suſcitent tardam Venerem, ac palatum:
Eſt & in primis patriis amica
Braſſica campis.
Nil nocens cæpa eſt: male nil olenti eſt
Allium fibra: poterit puella
Quod pati haud ſponda recubans ſuprema,
Quod ſimul eſſe.
Sunt mihi (quamvis penus omne nil ſit),
Multa durati ſale terga porci:
Capus eſt paſſa bene fartus uva,
Eſt tener hœdus:
Quem manus noſtri rapuit coloni
Matris a pingui modo lacte, nunc &
Parvus (haud fallo) mihi verna odoro
Gramine paſcit.
Quin licet plenus mihi non vetuſti
Sit cadus Græci, neque ſit Cirellæ,
Nec Maſaquanæ mihi blanda, nec ſint
Vina Veſevi;
Sunt tamen quæ Pauſilypus dat, & quæ
Dives arbuſti mihi Fauſtiana
Mittit antiquo lare, culta ruris
Nympha paterni.
Et quod eſt menſæ magis otioſæ
Dulce, quod carum magis eſt amicis,
Læta frons, ſalſus lepor, apta caſtis

Gra-

Gratia verbis
Condient mundo tenue apparatu
Prandium: quis ſcit, tibi ſi futura
Fulſerit lux? vive hodie, manet cras
Flebilis urna.
I puer, quis nam retinet? repoſta
Ligna (jam poſcit focus) adde, mox &
Affer in primis mihi grata magni
Carmina Flacci.

De Mergillina Actii.

Quicumque Aonio perquiris vertice Muſas,
Quære aliò: hinc abeunt, hoſpitium eſt aliud.
Mergillina tenet felici litore: tu ſi
Quæris eas, montem deſere, litus adi.

Ad amicos Romæ degentes.

Guide, Cæſari, Capilupe, Palon,
Quos penes vivit mea mens, & omne
Quidquid eſt noſtri reliquum, valete:
Cogor abire.
Jam vale o ſacri pater alme fontis,
O triumphati caput orbis, o qui
Ducis a cœlo Tyberine magni
Fluminis ortum.
Me vocat Siren patrias ad undas,
Dulcis ad notos ſcopulos arenæ
Me vocant horti Heſperidum, perenni
Flore nitentes.
Me Rotæ gratos vocat ad receſſus
Ægla curarum requies, paratque
Quæ meis lauros faciant virentem
Crinibus umbram.
Jam vocat me Pauſilypus, canenti
Plaudit & clari tumulus Maronis;
Me vocat toto veneranda Mergil-
lina profundo.

O va-

O vale tandem mea Roma, jam te
Quæ ſolent curæ teneant inanes,
Me juvet ſemper vacuum ſerenas
Ducere noctes
Me juvet cantu revocare ab imo
Æquore ad litus liquidas ſorores,
Dum vehor Tuſcis per amica primus
Cærula remis:
Dumque piſcantum varios amores
Cantat ad parvi leve murmur amnis
Muſa, & æternis ſtudioſa tentat
Vivere chartis.

Minerva ad Coſmum Medicem, Magnum Etruriæ Ducem.

Seu pacem, ſeu bella geras Dux inclite, ſemper
Tecum adſum ætherei vertice nata Jovis.
Me tibi dat comitem tua Virtus: linquere Olympum
Tu facis; an poſſet plus pater in ſuperos?

Ad Jo: Baptiſtam Arcucium.

Vivet Arcuci, mihi crede, vivet
Carmen invita Lacheſis ſeveræ
Dextera. invito nimium voracis
Temporis hauſtu.
Sperne fatorum invidiam obſtinatam:
Quid mihi inviſi tenebræ ſepulchri?
Surget extremis cineri favillis
Fama ſupeſtes.
Te colunt Muſæ, tibi plaudit antrum,
Aonis caſti fluit unda fontis,
Ima ſat nobis potuiſſe ſaxa
Lambere Pindi.

De

De Amore marmoreo dormiente.

Captanti ſomnum ne credas hoſpes Amori;
Cum dormit, magis eſt ad tua damna vigil.

De eodem.

Quid ſi marmoreus? quid ſi ſuper arma recumbit?
Idem marmoreus, idem & inermis Amor.

De eodem.

Ne credas puero, ſimulans nam claudit ocellos:
Nulla fides puero, ſi ſapis ipſe cave.

De eodem.

Dormiat æternum, ne cures rumpere ſomnum;
Experrectus agit fortius arma puer.

De eodem.

Somniat aſſuetas cædes, rixaſque, doloſque:
Cum dormit malus eſt, cum vigilatque malus.

De eodem.

Jactat adhuc flammas, lethales dirigit ictus,
Dum parvo inciſus marmore dormit Amor.

De eodem.

Si tu iterum tractes, dices ira; ſpirat imago;
Anne anima eſt marmor? marmor an eſt anima?

De eodem.

Hunc credam potumque merum, paſtumque papavere
Cum tuba nec ſomnos excitet ulla ſuos.

De eodem.

Quamtumvis ſtertat, quamtumvis lumina claudat,
Non credam, juret tela, faceſque licet.

De

De eodem.

Ad gemitum dormitat Amor: lamenta, querelæ
Sunt illi cantus, ſunt gemitus citharæ.

De eodem.

Pelle puer muſcam, quæ tentat rumpere ſomnum:
Cum requieſcit Amor, tunc requieſcit amans.

De eodem.

Laſſus Amor dormit, ventos agitare flabello,
Ne pigeat, pugnæ membra labore calent.

De eodem.

Carpe iter o tacitus, leviter veſtigia tende,
Pæniteat, ſi te ſentiat ipſe puer.

De eodem.

Surge Amor: en medium Titan conſcendit Olympum:
Laus eſt pervigilem ſurgere ad arma ducem.

De eodem.

Dormit Amor? dormit, ſomnum ne rumpere tentes:
Pertimuit vigilem fingere Praxiteles.

De eodem.

Marmora quando animat, dormire & marmora cogit,
Uni Praxiteli cedimus, inquit Amor.

De eodem.

Neſcio Praxiteles dixit, num ſpiritus hoc ſit
Marmoreus, num quod fingo animata ſilex.

Jocus.

Sive Dryas, ſeu Nais ades, lege carmen amicum:
Haud riſu indigna eſt res, mihi crede, novo.

Dormieram, aggreditur Veneris puer, excitor, Amor,
Dum tractat tenera telá cruenta manu.
Pone arma, exclamo: tecum quis dimicet armis?
Mox puerum apprendi, detinuique ſinu.
Ille fugit, matrique refert, ſed mater ab ulnis
Reiicit: optato Mars aderat gremio.
Tum puer in matrem regerit convicia, mater
Verberat: ad gemitum conveniunt ſuperi:
Quos inter præceps currit Vulcanus, & amens
Labitur, hinc pedibus claudus utriſque jacet.

Ad Hadrianum Gulielmum.

Uror, amo, excrucior, divellor, faucior, odi,
Surripior, jactor, reſtituor, jaceo,
Iraſcor, fugito, ſileo, queror, inſequor, opto,
Deſpero, ſpero, decipior, metuo:
Hæc in amore meo ſunt mi Gulielme, nec ipſe
Heu morior, cum jam vivere deſierim.

Ad Nitedulam.

Quid circum volitas nocturna Nitedula ſepem,
Fida comes, noſtri conſcia propoſiti?
Siſte parum, caræ dum nos ad limina Niſæ
Mittit Amor, tenebras luce repelle tua.
Quando uſtum ingenti pectus mihi flagrat ab igni,
Nec vel tantillum luminis inde venit.
Siſte procul tamen ipſa, meo ne forte calore
In flammas abeas tuque, nemuſque tuum.

Ad Alfonſum Carrafam, Cardinalem Neapolitanum.

Cum ſimul in te uno ſplendeſcant ordine miro,
O juvenis ſacræ ſpeſque, decuſque ratis,
Admirata olim quæcumque eſt docta vetuſtas;
De te quid digne dicere quis poterit?

Tu ſatis unus eras æterno carmen Homero,
Virgilio carmen tu ſatis unus eras.
Mi ſat erit ſpectare procul tua lumina, ceu quis
Eois Solem ſurgere cernat aquis.

Ad Phœbum, pro Paulo Quarto Pont. Max.

Collis o ſacri decus, o beati
Fontis, o pulchri nemoriſque cuſtos,
Phœbe Muſarum pater, o perennis
Luminis auctor.
Phœbe mundi ſpiritus, atque ocelle,
Quem Dies circumvolitant, & Horæ;
Qui ſoles ægros etiam nigranti au-
ferre ſepulchro.
Deſere argutæ juga læta ſylvæ,
Linque jam ſuetas choreas, & umbram
Arboris fruſtra olim adamatæ, & antri
Saxa canori.
O veni, o dexter faveas, & affer
Quidquid herbarum, medicive ſucci eſt:
Dum patrem ſacrum retinet moleſta
Febris, & urit.
Ecquis o Muſis locus, ecquæ erit ſpes?
Nulla poſthac gloria, nulla erit laus:
Si cadet, ſecum cadet ipſe ab alto
Vertice Pindus.
Ecquem habebit relligio nitorem,
Barbara ſqualens ſcabie, relinquet
Ille ſi cæcis abiens tenebris
Obruta ſæcla?
Cerne, muſcoſo Tiberinus alveo,
Ut modo in ripam exiliens propinquam
Amne votivam tibi pronus aram
Supplice ponat.
Te lyra jam poſtabita precatur
Nobilis nunc Parthenope, vovetque
Jam novos Siren numeros, novoque

Pectine chordas,
Quin Maronis mox tumulo excitabit
Inclitam umbram, carmine quæ ſuperbo
Efferat Pæana tuum, canatque
Fortia facta.
Ut cute erepta in laticem ire cœpit
Impari cantu, imparibuſque fatis
Marsya, ut Titania celsa ab arce
Turba repulſa eſt.
Utque victrici cecidit ſagitta
Anguis, ut Cyclops jacuit peremptus,
Ut coma intonſa niteas decorus,
Fortis & arcu.
Verùm ego innixus leviore plectro
Daphnidis fatum referam, fugamque;
Et canam in flores pueros acerbo
Funere verſos.
Ægla ubi ad noſtros gemitus reſultat,
Ægla jucundi mihi teſtis otî,
Sæpe quam gaudes alacris relicto
Viſere Cyntho.

De Maria Aragonia.

Dum petit Inarimen Divûm pater, ac ſua jactat
Fulmina, teque ſua victe Tiphœe manu;
Quid jactas Maria exclamat? ſi vera fateris,
Noſtra tuis præſtant lumina fulminibus.
Cernere vis, oculis quæ ſint nova fulmina noſtris?
Annuit ille, oculis fulminat ipſa Jovem.

De Hippolyta Gonzaga.

O quibus invita Lacheſi dare munera vitæ
Jus datur, Aoniæ turba diſerta Deæ,
Nectite, qua digna eſt, æterna fronde corollam,
Et viridi Hippolytes cingite honore comam.
Dixerat hæc Phœbus, numeros cum forte puellæ
Audiit, & reticens invidia obſtupuit.

Ad

Ad Amorem.

Non Venus tibi mater, Otiumque
Pater, crede mihi puer poterve,
Non Joci, Illecebræ, Sales, Lepores
Fratres, non Charites tibi ſorores;
Luxus, Mollities tibi parentes:
Fraudes, Inſidiæ, Doli, Pericla,
Fratres ſunt Amor, & tibi ſorores.

De Annibale Mole Jureconſulto æquiſſimo.

Tot Moles alii, nos admirabimur unam;
Natura hanc, illas ars operoſa dedit.
Materia e vili ſunt illæ, & paupere ſaxo,
Nobilis hæc conſtat divitiis animi.
Tempus edax illas, hanc nullum deſtruet ævum;
Mortales illas, hanc poſuere Dei.

Ad Joannem Moronum Cardinalem.

Cum Tiberis tumido latè prorumperet amni,
Sævaque vicinos mergeret unda lares;
Haud mirum Morone tuos ſupereſſe penates;
Non potuit ſacris unda nocere locis.
Sancta fides tutata fores, penetralia Phœbus,
Virgineus tenuit tecta verenda chorus.
Hinc ſecura igitur quam ſit mens conſcia recti
Quiſque putet, quam nec perdere poſſit aqua.

Ad Joannem Auſtrium de victoria navali per eum parta contra Turcas.

Ars, uſus, fortuna, animus, ſolertia, vires,
Inclita victricis ſunt bona militiæ.

His eſt parta Ducum victoria: ſed licet id ſit
Omne tuum, hoc auget Dux tibi magne decus,
Quod ſperare vetas, quod nos optare triumphos:
Sic ſpem, ſic votum vincis in arma celer.
Non aliter fulmen ferit ante, & territat ictu,
Quam ſonitu; & primum ſternit & inde ruit.

In Portiæ Capiciæ conjugis funere.

Dum viridi vernos carpebat gramine flores
Pociliæ Dinus dona futura ſuæ,
Vidit eos atra circum ferrugine tingi,
Et ſubito in ſpinas vertier, & tribulos,
Protinus ad litus deſcendit, dumque legebat
Candidulam concham, lurida concha venit.
Haurit aquam, dulcis quæ pura e fonte fluebat,
Et tamen hanc etiam triſtis amaror habet.
Aëra tum ſtupidus ſuſpexit: lucidus aër
Forte erat; et piceas mox abit in tenebras.
Ecquid erit lacrimans tandem proclamat? & audit:
Mortua Pocilia eſt, mortua Pocilia eſt.

Ejuſdem tumulus.

Pierides tumulo violas, Venus alma hyacinthos,
Narciſſos charites, lilia ſpargit Amor.
Phœbus odoratas lauros, Pallaſque amarantos,
Nos lacrimas ſancti pignora connubii.

Ad eamdem.

Dum parere heu ſobolem credis dulciſſima conjux,
Quot lacrimas moriens, quantaque damna paris!
Per te ego dicebar felix, per te quoque dicar
Infelix omni tempore morte tua.
Et tamen ah miſeri vitali veſcimur aura,
Cum noſtri tecum pars melior jaceat.

Quid

Quid moror? en tumulo vivum me condite, ſiqua eſt
O pietas; quando non obiiſſe datur.

Ad eamdem.

Num vivat pereatne malis qui creditur undis
Ambiguum eſt minimo morte procul digito,
Sic ego te extincta lacrimarum dum trahor undis,
Mortuus, an vivus dicar in ambiguo eſt.

Ad eamdem.

Et tantum, & tantum flevi, ut nedum una relicta
Sit lacrima heu ſaltem, qua mala tanta levem;
Fluxit & in lacrimas ſanguis, fluxere medullæ:
Quid reliqui? ni anima hæc diffluat in lacrimas.

Ad Aloyſium Tanſillum.

Dum ſenis cantas Lacrimas beati,
O pium cantum, o lacrimas beatas,
Undique & ſacris numeris reſultat
Collis, & æquor.
Dum parat pictam violis corollam,
Dum roſas primas legit, & nitenti
Flore dum replet tibi mille conjux
Caſta quaſillos.
Nec ſat eſt cari tribuiſſe agelli
Dona, at interdum ſpatiata circum
Litus attritas tibi ſervat udo
Marmore conchas.
Nos ut immitis dolor urget, ut nos
Cogit, uxorem ſequimur ſepultam,
Quò rapit mens ſaucia, quò trahunt nos
Jura ſepulchri.

CAMEROTA.

Ad Placidum Sangrium.

Sangri flos patriæ, patriæ non ultima cura,
Quem pater erudiit Phœbus, duxitque per umbras
Aonis, hac lauris per opaca virentibus antra:
Seu te forte malis nunc tempeſtatibus actum
Publica cura premit patriæ non digna ferentis;
Seu Camerota altis retinet convallibus, & te
Nunc litus, nunc ſylva juvat, ſeu montibus apros
Trudere, vel lino volucres, vel fallere piſces;
Eja agé linque aliis hæc, dum canis omnia turbat
Icarius, dum cuncta ſitit, dum deperit herba:
Atque hoc, ut potui tibi condere, perlege carmen.
Quæ fuerit Camerota olim, quid verterit artus
Virginis in ſcopulum canimus: tu plaude canenti;
Te dominum quando ipſa colit, te ſuſpicit unum.
Quis te, quiſve tuos memorans ab origine caſus
Nereidum Camerota olim pulcherrima, ſeſe
Abſtineat lacrimis? lacrimis quis parcet amicis?
Tu decus ante omnes Tyrrheni litoris una,
Una amor, una ignis: te Rex ſæpe æquoris unus,
Neglectis aliis, quin poſthabita Amphitrite
Optavit, te ſæpe Thetis per cærula nantem
Obſtupuit: per te (mirum) nova vulnera ſenſit
Tritonum Phorcique manus; monſtra hiſpida Phocæ
Te ſæpe arſerunt, tu ſæpe at deſpicis omnes:
Tantum mira novæ pollebat gratia formæ.
Iratos etiam pelagi componere fluctus
Voce potens, placido luctantia marmora cantu
Mulcebas, piſceſque vagos, ſcopuloſque trahebas
Undarum Rege invito quoquo ipſa volebas.
Quin etiam cantu ducta imo e gurgite Cete
Exerere informes rictus, Nymphaſque videbas
Undiſonis exire antris, ac per freta piſces
Ludere & in numerum Delphinas jungere flexus.

At quæ ſumma imis permiſcent, triſtia lætis,
Invidere tibi crudelia fata, peroſa
Elatos animi faſtus, mentemque ſuperbam.
Nam cum forte olim longinqua per æquora vecta
Cognatæ auſpicio Veneris, monituque Deorum
Æneadum Auſoniæ ſubiiſſet litora claſſis,
Cumque gubernator puppi Palinurus ab alta
Te nocte in media aſpiceret (dabat ipſa per umbras
Luna diem tremulo vibrans vaga lumina ponto)
Ac dulci infelix audiret voce canentem,
Continuò exarſit, longùm miratus eburni
Corporis ipſe opus egregium, Jove dignaque membra,
Miratus dulceſque modos, numeroſque canoros.
Ah miſer Icariis pelago ſe credere pennis
Jam cupit, immenſo quamvis via clauſa profundo,
Tantum optare licet, ſed quid? quando omnia terrent,
Nec quid ſperet, habet? nequicquam hæc deniq; fatur.
Seu Venus orta undis, nova ſive hoc gurgite Siren,
Seu tu alia æquorei Nymphe pulcherrima regni,
Eja age (parva peto) liceat prope noſcere cauſas,
Unde novis ſubito flagrent præcordia flammis,
Quove tot iſta malis morbo mens ægra laboret.
Huc propera; huc nando ſecura accede: natanti
Sternet aquas, facili parebunt æquora motu.
Hactenus infelix, ſed tu (vix credere fas eſt)
Dura magis ſcopulo, quo membra innixa ſedebas;
Nil contra; aſt illi Sirenum ſaxa ſubiiſſe
In mentem venit, cautuſque occurrit Ulyſſes:
Sed fruſtra memor eſſe juvat, quando impia contra
Fata trahunt, nimiumque ſibi male credulus error.
Vox placet, & blandæ captus dulcedine vocis
Ignavum furtim ſenſit ſubrepere ſomnum,
Paulatimque ratem pelago, clavumque labantem
Credit, & incaſſum nutantia membra quieti
Nititur, & placidæ furari lumina fraudi.
Uſque adeo dulci juvat indulgere periclo.
Nec tamen ipſa minus mens æſtuat undique curis,
Nec minus acer Amor flammato pectore ſævit.

Nam-

Namque inter ſomnum cantantem auditque, ſtupetque,
Auditamque inter ſomnum ſuſpirat, & optat.
Tandem decipitur ſenſim, taciruſque per artus
It ſopor, & cæcos captant oblivia ſenſus.
Jamque gubernandi cura, ſociiſque relictis
Labitur & præceps latis miſer excidit undis.
Nec promiſſa juvant Neptuni, cùm Deus ante
Fauſta hujus Veneri promiſerit omnia curſus.
Tu tamen hæc ſpectare potes, nec jam movet ulla
Te pietas, poterat ſcopulos, & monſtra movere.
At Venus interea, cui dudum Troja curæ
Progenies, Grajó raptique ex igne penates,
Advecta Idaliis medio ſtetit æquore cycnis,
Atque iterum æquoreum fratrem, Nymphaſque precata,
Ne liquidum per iter claſſis ſpoliata magiſtro
Erraret, tutaſque vias, curſuſque ſecundos
Impetrat, ut tandem ſperatis ſiſtat in oris.
Mox & diſcerptos artus, inhumataque membra
(Quis putet?) illacrimans, (ſuperos ſi flere putandū eſt)
Colligit, ac rupi, vaſtis quæ prominet undis,
Impoſuit, collemque omnem dedit eſſe ſepulchrum.
Unde etiam æternum Palinuri a nomine nomen
Servat adhuc, nautis procul adventantibus alto
Vertice proſpectans mare formidabile ſaxum.
Quo rite agreſti ſylvis de more propinquis
Conveniunt Satyri ſolventes juſta ſepulto:
Et Dryades largo diſciſſo cortice fletu
Te Palinure altum, fruſtraque ad buſta vocantes
Funereis donant foliis, tumulumque coronant
Pallenti circum viola, mœſtoque hyacintho.
Protinus his actis magno perculſa dolore
Dira animo volvens ardenti efferbuit ira,
Nec tulit æqua Venus Palinurum occumbere inultum,
Sed voluit Nympham dignas dare crimine pœnas.
Nam dum forte parat ſcopulo diſcedere, late
Obriguit, ſibi nec conſtans immobilis hæret,
Paulatimque artus ſenſit dureſcere in arctum
Contracta, & ſubito ſeipſam miratur, & horret.

Pau-

Jamque novum in ſcopulum verſa eſt, jam ſaxea ſaxum
Tota ſubit; ſaxumque intrat, nec pœnitet acti.
Quin e conſpectu triſti lætiſſima caſu
Aſpicit adverſam rupem, molemque ſepulchri,
Infelix Camerota novis deflenda querelis;
Quæ te non flerunt Nymphæ, quæ litora? Molpis
Teſtis erit, Molpis tantæ pars maxima cladis,
Quam Venus in ſilicem vertit quoque, dum tua luget
Funera: teſtis erit quondam placidiſſima Nympha
Centula natarum Bacchi pulcherrima, centum
Vinetis, vinoque potens, ſed nunc quoque triſtis
Effundens lacrimas generoſo palmite vitis:
Teque etiam Antile, paſſis te mœſta capillis,
Quam Pan erudiit ſuſceptam Molpide Nympha,
Deflevit longum calamis Montana paternis:
Te Velia, atque imo clamat Triventus ab antro,
Diſrumpenſque urnam ſubito vada linquit iniquus
Frugibus; & pleno rapido pede proſilit alveo.
Tum Jungana roſas atra ferrugine tinxit,
Jungana inſignis Pæſtani gloria campi:
Quæque ſimul noſtris modo Trentana paret habenis,
Audiit, & triſte exitium Commenta miſerta eſt.
Nuntia Fama malum tantum procul explicat alas.
Nec ſatis ulta iras, voluit quoque Cypris, ut alto
Aggere te paſſim poſt temporis advena pubes
Cingeret, atque tuo dictam de nomine terram
Incoleret, populiſque fores prædonibus eſſet,
Nec ſalebroſa viis loca te, nec vallibus imis
Præcinctæ nemorum rupes, nec ſaxa ſupremo
Fixa jugo, aut monſtris formido, & piſcibus antra
Nautarum miſerorum informibus oſſibus alba
Arcerent ſævos populatis ſedibus hoſtes,
Qui facti memores tentent mare claſſe propinquum
Prædari, ac late populos, vicinaque circum
Litora, & everſo graſſari limite campis.
Gens fera, quæ veluti prærupt is montibus acta
Sæpe ruit rapido tempeſtas turbine, & omnem
Sternit agrum, ſecumque trahens ſegeteſque, boveſque,

Cum

Cum bobus plauſtra ipſa, pecus, pecoriſque magiſtros,
Huc illuc vaſto furit impete, captaque paſſim
Tecta urit, ſecumque rapit juveneſque, ſeneſque,
Cumque patre impubem prolem, cum matribus alto
Vagitu tremulis pendentia pignora mammis;
Nec non (quod lacrimis mage dignum) ſanguine prædam
Commaculat duris trajecto corpore contis,
Aut cogit miſeram per munia triſtia vitam
Degere ſub foveis ingrata compede vinctam.
Infelix Nympha, infelix, quæ crimina tantum
Promeruere? vale, vale; & tibi carmina quando
Digna dare haud noſtrũ eſt, dignos tamen accipe fletus.
Fortunata nimis Nympha, o ſi Dardana puppis
Tyrrheni numquam fatalia litora ponti
Vidiſſet, tanto ſi non Venus acta furore
Te miſeram uſque odiis ageret, premeretque nefandis,
Si nuſquam Palinurus erat, num te magis ulla
Pulchra fuit, dum vita habuit? num voce canora
Blandior? aut poſtquam mutatam fata tulere,
Dulcior, atque homini longe gratiſſima tellus?
Te ver perpetuum exhilarat, te flore coronat
Uſque novo, te fronde ſua bona Pallas Athenis
Jam ſpretis colit, ante omnes, te vite Lyæus
Exornat, cogitque ſuam tibi cedere Naxon.
Sed quid ego antiquas recolens Camerota querelas
Te ſequar? hoc uno tantum tot damna repende,
Quod regat, & placidis nunc te moderetur habenis
Sangrius, & noſtræ referant tua funera Muſæ.

CARDUUS.

Ad Dominicum Venerium patricium Venetum.

Veneri primum mœſti ſolamen amici,
Linque precor, Lycidas dum luget, linque parumper
Pieridas, quas ipſe colis, quibus ipſe refulges.
Ite per herboſos carpentes gramina campos,
Ite ite o pecudes quo vos trahit, ite, voluntas;

Nul-

Nulla etenim Lycidam veſtri jam cura fatigat.
Voſque feræ impunè, & volucres impune poteſtis
Ite redire vias, Lycidam dolor anxius urget.
Non ego vos jaculis poſthac, non rete laceſſam:
Tela retuſa jacent ſine honore, & retia pendent
Cardinio extincto, quo non mihi carior ullus,
Cardinius cuſtos pecoris, ſectator aprorum.
Quæ poterunt ægram ſolari carmina mentem?
Ah potius focii fatum referamus ademptí.
Indignos obitus lacrimis referamus amicis:
Sunt digni lacrimis obitus, lacrimabile fatum.
Quis furor? ah tandem quæ te crudelis Acerra,
Quæ rapuere iræ? cunctis ó ſævior una,
Quas chorus exercet Dryadum crudelis Acerra,
Cum juvenem immiti præreptum funere paſſa es
Cernere, & in lacrimas non te dolor improba vertit.
Te vere quercus, vere te ſaxa tuliſſe
Crediderim; quando potuiſti perdere, qui te
Præ grege, præ jaculis unam præ rete colebat.
Ah crudelis Acerra tuos cur perdis amores?
Quo ruis? eſt Siculæ vano rumore puellæ
Fabula, nulla magis prævertit fœmina ſenſus,
Nulla magis, quàm tu, confixit Acerra medullas,
Infelix juvenis, dum te cupit uſque, paratque
Flectere blanditiis, prece, munere, dum colit unam.
Dum te per ſaltus ſequitur, loca ſentaque circùm,
Dumque tibi longa ſylvas indagine cingit,
Et lepores, damaſque uni tibi munera ſervat;
Tu pro venatu aſſiduo, pro munere, tu pro
Blanditiis cita fata paras, precibuſque Dianam
Immeritis poſcens crudelia præmia factis
Sollicitas, penituſque novo perculſa furore
Hæc ais, at ſævum mulcent nil verba furorem.
O Dea, virgineis quam dudum addicta choreis.
Excolui, mater docuit quo tempore primum
Fallere aves viſco, gruibuſque intendere lina;
Si te unam Veneriſque jocis, jucundo & Amori
Præpoſui (tanti puræ mihi federa vitæ)

Di-

Diva precor miſerere: vides, quo concitet œſtro.
Deceptam niveæ (ni fallor) munere lanæ.
Te quoque ſævus Amor vicit: quis vincet Amorem?
Cardinium Scimeris habet, tu digna repende,
Unam amat, & noſtros ſpernit jam perfidus ignes.
Vix hæc edideras, precibus cùm victa Diana
Annuit, ut vitrea nudam ſe forte lavabat
Fontis aqua æſtivo venandi feſſa labore,
Et fratris, ſpatia aſſiduo qui ſumma rotatu
Luſtrat, & aligeras ex ordine temperat horas,
Auxilium implorat, vireſque repoſcit ab uno.
Ille pererrati tranſverſo limite cœli
Urebat terras, vaſtique patentia ponti
Marmora, & Icarii rabiem canis igne maligno
Exagitans generi humano lethumque, luemque
Urgebat paſſim, ne dum morboſque ſitimque.
Senſit, & immiſit juveni nil tale verenti,
Dum celerem in caſſes trudit de montibus aprum,
Ferventem radiorum æſtum, rabidumque furorem
Sideris, atque uſtis prorepens ima medullis
Inſinuat ſeſe graſſando, & paſcitur artus:
Tum penitus miſero nocuus calor oſſa perurit:
Mox ſenſim venæque arent, macieſque calentem
Obſidet, & ſanguis vanas tenuatur in auras.
Aſt ubi crudelem eventum Dea vidit, iniquis
Ereptum fatis juvenem ſine munere non eſt
Paſſa mori, fecitque ſuo de nomine florem:
Qui nunc dumoſis conſurgens undique ſilvis
Carduus ardenti venantes ſauciat ictu.
Quæque manu, & pharetra venatica tela gerebat,
In ſpinas vertit, quibus eſt præcinctus, acutas.
Hactenus o retuliſſe ſatis tua funera care
Paſtor ab Elyſiis qui nos nunc proſpiciis agris,
Atque alias iſtic pecori das jam Deus herbas.
Quam bene nunc tecum eſt actum, non cernere quæ ſic
Nos agitant: altis novus hinc furor Alpibus actus,
Hinc Germana rapit tempeſtas omnia, quin hæc
Ceu nihil: heu tecum turpi jam fœdere vincti

Galle furens, Parthi Cilices. Thraceſque, Getæque
Exturbant, miſeraſque abigunt bona noſtra capellas.
Quin dominos, totumque ſimul populantur ovile;
Invitoſque alio cogunt nos vivere cœlo.
Uſque adeo Auſoniæ paſtores triſtis Erynnis
Torquet, & in pejus diſcors ſententia verſat.
Verum ſi ſuperis placitum, ſi noſtra repoſcunt
Crimina, ut æternum fatis jactemur iniquis,
Diſque Deæque omnes, quibus eſt res Itala curæ,
Vos o præſentes patriis ſuccurrite votis,
Vos ſaltem ſervate urbem decus orbis, ocellum
Europæ, Italiæ ſidus, virtutis Aſylum,
Hadriacas inter quæ felix enitet undas,
Quæ nobis vel numen adeſt, cui ponimus aras,
Quam veneror, præclaram urbem, ſanctumque Senatum,
Cuique triumphales æterna in ſæcula lauros
Auguror, auſpiciis ſemper melioribus auctæ,
Ut domitis penitus monſtris, atque hoſte ſubacto
Inclita barbaricos referat Regina triumphos.
O utinam tecum vivam, condarque ſepulchro,
Cara Deûm ſoboles, magnum Jovis incrementum,
Et revocem viduas extincta conjuge Muſas.
Sat lacrimis dedimus: pecudes, venit umbra, redite.

VIOLÆ.

Ad Marium Galeatam.

Quis violas Galeota tibi, quis carmina nolit
Mittere? cara tui pars o Galeota ſodalis;
Tu violas, tu carmen amas, en accipe utrumque:
Dumque canam violas, violis tibi tempora cinge.
Quæ juvenem ſylvæ flagranti pectore Jolam
Non videre olim? qui non ſtupuere canentem
Prærupti nemorum anfractus, latebroſaque luſtra?
Dum miſer huc illuc lethali ſaucius ictu
Errat amans, ſeque ipſum odit, vitatque ſequentem:
Dumque unam ipſe ardet, dum totus Hyantide ab una

Pen-

Pendet, & omne nemus reſponſat Hyanthida circum.
Quæ rupes illam, quæ non novere latebræ?
Dum pavidos imas in valles pellere damas
Nititur, & ſtudio venandi laſſa ſub umbris
Accubat, & cantu volucres permulcet, & auras.
Qui vel amore hujus Nymphæ non fervidus ultro
Ingemuit Faunus? qui non cupiere calenti
Pectore monticolæ ſylveſtria numina Panes?
Dum modo fonte ſitim pellit, modo ſole peruſta
Membra lavat, Parium longe ſuperantia marmor.
Jam caput Eois Aurora emerſerat undis,
Et revocans hilares ad munera ruſtica Nymphas
Floribus, ac nitido mundum perfuderat auro:
Cum forte optatam maſe vidit Hyanthida Jolas,
Ut moſtrarat Amor per roſcida prata vagantem,
Et vernos tenero carpentem pollice flores:
Dumque illa albenti vaccinia fuſca liguſtro
Aſſociat, variaſque roſis interligat herbas,
Narciſſumque croco, calthamque immiſcet acantho,
Inprimiſque ſinum violis pallentibus ornat,
Ac violis paſſos componit in ordine crines;
Uritur infelix longum miratus, eunti
Ut circum niteat tellus, ut leniter auræ
Exhilarent purum rorantibus aëra pennis.
Ah miſer ecquid agat? cupit ire, & perdere ſupplex
Verba ultro: at retrahit timor, & jam verba relinquunt.
Mox inter frutices latitans vix talia fatur.
En age tuta para vario tibi flore corollas
Nympha dolor, requieſque animi, pulcherrima Nympha.
Jam non congreſſus, jam non ſuprema repoſco
Gaudia, divino mihi ſat nunc lumine tantum
Poſſe frui, mihi ſat procul inſpexiſſe: quid horres?
Pone metum: in ſuperos humanis non licet ultra.
Num tibi quidve habeat referam, quid poſſit Jolas?
Parvus enim nihil eſt, tamen eſt tuus omnis Jolas.
Illa ubi clamantiſque ſonum, ſtrepitumque fruteti
Audiit, extemplo jam florum oblita retorſit
Lumina, nec niveo delapſum pectore ſertum
Tol-

Tollit humo, ut poſtquam circum nil undique vidit,
Diva fave o nemorum exclamat, cui candida curæ
Virginitas, mihi Diva fave: nec plura locuta
Effugit, & celeres viſa eſt ſe vertere in auras.
Tum juvenis properare gradum conatur: at ultra
Ferre gradum mala fata vetant, & territus hæret:
Mox cadit, & lapſum dum ſeſe attollere fruſtra
Ter parat, ah lapſus rurſum procumbit humi ter:
Nec ſibi credit amans infelix, nec ſibi conſtat.
Quin ſimulac florem conſpexit, (ſparſerat omnem
Florem illa huc illuc, miſerum cum fugit Iolam)
Colligit, atque ſinu condit, manibuſque retractat,
Atque hæc heu lacrimis verba intermiſcet obortis.
 Tune o care mihi, nuper quem pectore fovit,
Flos ille es, noſtri quem pignus Hyanthis amoris
Quæ veluti mortis certiſſima dona reliquit?
Tune etiam miſeri dictus de nomine Jolæ
Teſtis eris noſtri dulciſſime floſcule lethi.
Hæc ait, & ſuper incumbens jam liquitur omnis
In lacrimas, jam ſanguis abit, jam deficit intus
Spiritus, ac remanet nil jam de corpore, ni qui
Teſtetur vultus pallentem pallor amantem.
Fit viola, & floris paulatim arctatur in orbem,
Qui vel adhuc retinet mutati nomen Jolæ.
Tum Venus extincti caſus miſerata, vetaret
Ne dignos lacrimis obitus fuga temporis ulla,
Munere nec aliquo miſer indonatus obiret,
Inſtituit, Chariteſque nova mox lege notarunt,
Ut viola optati gratiſſima nuntia Veris
Cingeret æternum crines, & pectora Nymphis.

P O R T I A.

Ecquid erit mi cara uxor, lacrimabilis uxor?
Ecquis erit lacrimis modus? ecquæ meta dolori?
Sat mihi jam Tuſcis, Latiis nunc flenda Camœnis
Portia, dulcis amor quondam, nunc nænia triſtis:
Portia lux olim, nunc Portia noctis imago.

Uxor mi lacrimæ ſemper, lacrimoſa voluptas,
Omnia ſunt lacrimæ ſine te, ſunt omnia fletus,
Singula mi ſqualent ſine te, mihi ſingula ſordent;
Dulcia felle madent, vileſcunt omnia cara,
Gaudia dant lacrimas, lacrimas mihi quæque miniſtrant,
Tu lacrimoſa dies, tu nox lacrimoſa dolenti.
Quicquid ubique oculus ſpectat, mens captat ubique,
Sunt lacrimæ, eſt mortis miſeræ crudelis imago.
Nec tamen in lacrimas abii, dolor ipſe valebat
Vertere me in lacrimas, quod ſummum optabat, & unum
Infelix potuit qui cernere fata maritus
Infelix vidit, vidit, nec deſiit eſſe.
Portia dulcis amor quondam, nunc nænia triſtis.
O utinam in fluvium lacrimans, & triſtis abirem,
Qui propter tumulum, cinerem qui condit amatum,
Laberer, hoc ſaltem ſolarer funus acerbum.
Ah cinerem extinctum, vivos qui ſuſcitat ignes,
Ah cinerem exiguum, magnam qui pectoris Ætnam
Suſcitat; at parvo grandes accendier æſtus
Quis putat e cinere? at cineres Amor excitat alis.
Portia dulcis amor quondam, nunc nænia triſtis.
O utinam in fluvium lacrimans, & triſtis abirem,
Qui propter tumulum, noſtros qui ſervat amores,
Quique poli, terræque ſimul ſecum occulit omnes;
Delicias, & quicquid Amor magis ornat, & auget;
Qui ver perpetuum ſpirat, floreſque Sabæos.
Qui Muſas flentes, vaſtæ qui Pallados artes,
Qui Venerem, & Charitas quam parvo amplectitur orbe,
Laberer, hoc ſaltem ſolarer funus acerbum.
Portia dulcis Amor quondam, nunc nænia triſtis.
O utinam in fluvium lacrimans, & triſtis abirem,
Qui propter tumulum, qui condit dulcia membra,
Quique roſas, vel adhuc nitidi qui lilia vultus
Servat, & Hyblæis coralia nata labellis,
Quique ebur, atque aurum, demum mea ſidera condit,
Laberer, & quando miſero mi non datur ultra,
Huc circum, atque illuc amplecterer invida ſaxa;
Invida ſaxa nimis, quæ mi bona tanta tulere.

At vereor, ne æſtus tumulo qui flagrat ab imo,
Æſtus, quem noſtro ſuſpiria pectore mittunt,
Protinus exſiccet lacrimoſi flumina fontis.
Verum ego primum hoc optarim, primumque precarer,
Ut propter tumulum, noſtros qui ſervat amores,
Felicem ad tumulum, cinerem qui condit amatum,
Triſtia deſiccerent lacrimoſæ flumina vitæ.

De Petro Gambacurta.

O Hymen roſeas para corollas,
Accende o faculas Venus gemellas
Perluſtrans Paphio domum liquore:
Gambacurta venit novus maritus,
Currit ad thalamum ſalax, procaxque.
Verum ſomniat, haud canit Poëta.
Non non ipſe poteſt maritus eſſe,
Hoſtis qui thalami impotens, & acer
Gaudet cœlibe rex; deuſque vita:
Gambacurta frequens puellularum
Sectator, colit aula quas beata,
Quas comptus niveus, nitorque mollis
Nutrit perniciem in malam amicorum,
Gambacurta jocus puellularum,
Totus deliciæ, facetiæque;
Quin totuſque puella, totus aula.

Ad Franciſcum Plantedium.

Plantedi procul hinc Catonianum
Sit ſupercilium, & Sabina ruga:
Quis neget juveni jocos poetæ?
Quis neget fatuæ jocos juventæ?
Licet deſipere in loco: & jocari
Interdum licet, ac furens videri.
Lingua mi blaterat, ruit, rotatque,
Lubrico ut rota currit acta olivo:
Præceps labitur in profana verba,

Perſæpe & vomit id, quod ipſe nolim.
Hinc me pœnitet eſſe ſic locutum.
Obſcœnus calamus, pudens voluntas.
Parcendum juveni ſemel poëtæ,
Parcendum fatuo ſemel juventæ.

De P. Paulo Riccomanno, & Alfonſo Tamaſio.

Huc huc hendecaſyllabi trecenti,
Quos Riccus meus, & meus Tamaſius
Promunt ingenio, rigantque chartis:
Huc piæ lacrimæ, potenſque fletus;
Huc huc illecebræ, preceſque blandæ;
Ira Lucia ſævit impotenti.
Nunc opus lacrimis, potente fletu,
Nunc nunc hendecaſyllabis trecentis,
Quos Riccus meus, & meus Tamaſius
Promunt ingenio, rigantque chartis.
Verùm ſi miſerum parum juvabunt,
Ira & Lucia ſævit impotenti,
Valete o lacrimæ, potenſque fletus,
Valete hendecaſyllabi trecenti.

GEOR-

GEORGII ROTINI

Ad Urbanum VIII. Pont. Max.

Lux Vaticani ſalve, Pater optime, cœli,
Aurea qui triplici ſtella nitore micas.
Inclita te virtus notum ſuper æthera vexit,
Ingenio præſtas, vincis & imperio.
Urbanus ſis uſque licet: te ſidera civem
Eſſeque cœleſtem te tua facta probant.

Ad Jacobum Sadoletum Cardinalem.

Conſcius arcanæ tractas oracula mentis,
Et peragis tacito jura verenda foro.
Conſilium ſummi regis alto corde Leonis,
Et Vaticani præſidis acta tenes.
Non ſe Roma tuis tradit, Jacobe, regendam
Hactenus auſpiciis, ſed neque Roma negat.

Ad Jacobum Comminem Argentoni Dominum.

Prima ſalutavit docti vix limina Pindi,
Et vix Aonidum movit in antra pedem.
Attamen humanæ tot certa oracula vitæ
Explicat & regni jura Philippus habet.
Gaudeat hic ſeſe doctorem audiſſe Platonem;
Ille Stagiræo ſe didiciſſe ſene.
Eſt quædam ſub magno laus ſtuduiſſe magiſtro:
Major, & ex animo ſe didiciſſe ſuo.

Ad Pierium Valerianum.

Obſcura ſub nocte notæ, quas Dædala finxit
  Ægyptus, tacitæ delituere diu.
Denique depulſis patuere arcana tenebris,
  Claraque Pieria ſymbola luce nitent.
Pieridum, cæcas errorum abſtergere nubes,
  Et ſtudiis animos irradiare fuit.
Id porrò Muſis donarit Apollo; ſuopte
  Donat ab ingenio lumina Pierius.

Ad Andream Alciatum.

Humanos variæ depinxit imagine mores,
  Qualia Dædaleus ſigna Canopus habet.
Imò etiam Pharias vicit ſolertia formas
  Alciati, & Nilus ſymbola quotquot habet.
Obſcuris obducta latent Ægyptia griphis
  Dogmata, at Alciati carmine clara patent.

Ad Cornelium Muſſum Epiſc. Bitontinum.

Increpat, & populos compellit ad ardua Muſſus,
  Atque alacres urget cœlica caſtra ſequi.
Se nihil ille jubet, quin Chriſti ſigna ſecutus,
  Auſpice Franciſco, magna per auſa tulit.
Publica nimirum dicenti concio paret,
  Cum prius, Orator, quæ docet, ipſe facit.

Ad Franciſcum Guicciardinum.

Ut florum princeps, nitidique antiſtita veris
  Eminet, & ſuavi præſtat odore roſa.
Sic reliquos inter genitrix quos Florida vidit,
  Franciſco nemo nobilior poteſt.
Ille magiſtratus iterat, ſervatque clientes,
  Hiſtoriæque idem nobile condit opus.

Hoc

Hoc vaſtat ſortem, roſa pallida pendit honores;
Franciſci æternum fama celebris erit.

Ad Juſtum Lipſium.

Quæ defeſſa patrum tentavit ſcribere cura;
Quæque per ætates gignere longa dies.
Jam paucis complexa premit ſolertia Lipſi,
Et docta exiguis colligit illa notis.
Voluere quid veterum prolixa volumina præſtat?
Unus non multis ſingula Juſtus habet.

Ad Joannem Baptiſtam Portam.

Explicat arcanas naturæ Academia vires,
Quam jubet imperio Porta patere ſuo.
Quidquid terra ſinu, pelagi ſeu cæca vorago,
Exciti & gignunt ſumma per aſtra globi
Id docet, & rerum pulſa caligine, Phœbus
Porta novis radiis emicuiſſe jubet.
Per geminas olim ſubierunt ſomnia Portas;
Unica nunc omnes Porta recludit opes.

Ad Marcum Antonium Majoragium.

Dum, tua, miratur Latium quæ dogmata condis;
Et quo Rhetoricen lumine, Marce, doces;
Has viſa eſt Pitho cœlo depromere voces:
Ut mea diteſcant lumina, ſcribe diu.

Ad Jacobum Mazonium.

Impiger exhauſit totas Mazonius artes;
Quas ſubitæ memori, cum juvat ore docet.
Porticus, & ſapiens quæcumque Academia novit,
Atque Stagiritæ docta Lycea ſenis;
Combibit, & penitus gravida ſub mente repoſtum
Nec mora, nec requies; lingua diſerta ſonat.

Quid cunctabundos prodeſt audire magiſtros?
Diſcere ab hoc uno plura repentè potes.

Ad Jacobum Critonium.

Ignoto latuit Phœnix Critonius ævo,
Funereis poſtquam Mantua merſit aquis.
Scilicet, ut ſurgat redivivus in æthera Phœnix,
Auxilium poſſet qui dare nullus erat.
Famigeris iterùm Critonius exit in auras,
Et volat ingenio docta per ora virûm.
Addidit imperio manſuras Dædalus alas,
Et penna has pennas Imperialis habet.

Ad Ulyſſem Aldovrandum.

Evocat in lucem, ingenioque illuſtrat Ulyſſes,
Quæ natura ſuis abdidit in latebris.
Quæ tacito concluſa ſinu miracula tellus,
Quæ mare, quæque æther, aſtrave ſumma tenent.
Omnia ſcrutatus ſolerti indagine mentis
Digerit, & docta luce nitere jubet.
Viderit Argolicus mores, & mœnia Ulyſſes;
Felſineus certè nobiliora videt.
Ille ſibi, haud ignota oculis, ſpectavit; at iſti
Commoda plura, aliis quæ latuere, patent.

Ad Petrum Matthæum.

Ardua magnanimi dum ſcribis prœlia regis,
Et duce ſub tanto parta trophæa refers,
Quid refert molli Martem confundere cantu,
O Petre, quid blandos aſſociare modos?
Oderit Henricus tenero ſub melle venena,
Ingenua vafros reſpuit aure ſonos.
Aut nullo, aut ſolo capitur modulamine Gallus,
Sylvarum dominus quo timet ipſe Leo.

HIERONYMI RUBEI
RAVENNATIS.

Precatio ad Deum, pro bello adverſus Turcas ſuſcepto.

REctor maxime cœlitum,
  Qui Regum arma regis, duraque prælia,
Et poſt tam fera ſæcula,
  Cum ſanctam tenuit Barbarus impius
Urbem, ſanguine candidam,
  Et duro celebrem funere filii;
Nunc tandem incipis ultima
  Exornare ſacris æquora puppibus,
Magnoſque unanimes facis
  Reges, & Venetæ fortia militiæ
Jungis conſilia, & rates;
  Aſpira, intrepidoſque exhibe ad impetus
Noſtros; & cadat hoſtium
  Vis, qua lethifera vela jacent manu,
Et ſquammis adamantinis
  Noſtra ipſi excipiant, & ſpernere neſciant
Thrax ſævus jacula horrida,
  Nec victam fugiat ſulphureo pilam ab
Igni, & mole ruat ſua:
  Præbe auras faciles, & mare tempera
Inſanum, Ducibus tuis,
  Dumque urbes quatient, altaque mœnia

Vel ſolo ſtrepitu ruant;
  Ut tandem manibus, menteque candidis
Summo, Maxime, gaudio
  Læti, ipſis oculis & lacrimantibus
Multas reddere gratias
  Poſſint Chriſticolæ, & ſolvere in omnibus
Laudes, votaque debita
  Templis: aſſidua te rogat hoc prece
Summus, nobilis imperî
  Et ſanctiſſimus, & maximus, & Pius
Rector, quem tribuis tuæ
  Paſtorem Eccleſiæ; quaque poteſt, juvat
Arte, & conſilio novum
  Cœptum, ſeque in eo fortiter occupat;
Et jam magnanimum Ducem,
  Ex ipſo genitum Marte, Columnium,
Quo non corpore firmior
  Alter; nam geminum crevit in Herculem;
Nec eſt dotibus ingenî
  Illum qui ſuperet, ſive Agamemnona
Quæras, ſeu ſacra Cæſaris
  Bella, aut arma petas Hannibalis fera;
Romana locat in rate
  Præfectum: hunc ſequitur turba Quiritium,
Quæ non ante domabilem
  Turcam, & Niligenam, nomine territat
Solo; quid fore credimus
  Cum magno propior diruet impetu
Urbes, & ſocio ſuas
  Firmabit Veneto non trepidas manus?
Adſis ô modo tu, juveſque
  Inceptum auſpiciis prælium atrox tuis,
Rector maxime cœlitum
  Qui Regum arma regis, duraque prœlia.

JACOBI RUFINI.

Hymnus in D. Lucam Evangeliſtam.

DUm refero te, ſancte tuas dum pectus amore
Accenſus cupio laudes memorare canendo,
Optarim mihi cœleſti de vertice numen,
Flagrantemque auram, qua te regnator olympi
Afflavit, dum facta refers, quæ maxima natus;
Quæque olim egerunt comites, poſtquam invia rerum
Adſpexere Ducem penetrare, & linquere ventos,
Nubilaque & radiis cinctum petere ardua cœli.
Unde igitur prius incipiam? priſcoſne parentes,
Aut antiqua tuæ repetam primordia gentis?
Aut urbem, quæ prima tibi cunabula & ortus
Clara tulit, liquidis qua præterlabitur undis,
Regiaque arva ſecans placidus petit æquor Orontes?
Dives ubi varios tellus diffundit odores,
Balſamaque indigenæ, myrrhamque, & thurea paſſim
Dona legunt: dicamnè exculti pectoris artes,
Et clara ingenii monumenta? unde ætheris alti
Immenſos tibi per campos, tractuſque profundos
Ire olim licuit, rerumque agnoſcere cauſſas;
Occultas rerum cauſſas, & cernere vaſtum
Alma parens natura regat quo fœdere mundum?
Quid cœlum aſſiduis ſpatiis, atque orbibus vertet;
Cur tellus ſtet mole ſua, cur undique cinctam
Fluctibus æquor agens haud ullis obruat undis,
Littora cum ferit, & ventis maria alta tumeſcunt.

Cur

Cur non Luna ſuo ſplendeſcat lumine, & horis
Ocyus hibernis properet Sol gurgite Hibero
Tingere equos; glomerent largi cur æthere nimbi,
Eoæ quoties Atlantides abſconduntur:
At quum Tyndaridæ felicia ſidera fratres
Apparent, toto decedant nubila cœlo;
Navitaque ire paret tutus tranquilla per alta.
Non tibi præterea ignotum quid ſidera Martis
Saturnique ſimul graviter contraria terris
Portentent: cur lætitiæ certiſſima ſigna
Stella Jovis ferat; & Veneris pulcherrimus ignis.
Nec te etiam latuere hominum præcordia, quales
Inficiunt morbi, quoties ferus ingruit aër,
Mutavitque vices alternis paſſibus annus.
Tum tibi cura luis fomenta exquirere, & artus
Languentes, ſenſuſque ægros, moribundaque membra
Arte Machaoniâ, & ſanare ſalubribus herbis,
Ac famam procul egregiis extendere factis:
Uſque adeo crevit medicis ſolertia rebus;
Et tibi profuerunt dona elargita Deorum.
Magna quidem magna hæc fuerint licet, & tibi magnus
Hinc ſit honos auctus, nomenque Orientis in omnes
Fama tuum latè volitans evexerit oras;
Carminibus non propterea laudabere noſtris.
Nec tibi conceſſos Superûm dicemus honores.
Quin ego te magnum; & vectum ſuper æthera dicam,
Quod te humilē, exiguumq; animo, quodq; ima ſecutum
Harum nullus honor tetigit, nec gloria rerum;
Neu mentem flexere tuam, quæ plurima vulgo
Mirantur ſpectantque alii, tecta alta domorum
Velata aulæis mira teſtudine pictis;
Et nemora, & quæ centenis vertantur aratris
Prædia fertilibus ſulcis, atque ubere læta,
Tercentum nivei carpant ubi gramina tauri,
Et totidem paſcantur equi, fœtæque juvencæ.
Te nec opes Syriæ, aut blandi tenuere receſſus
Formoſæ Daphnes, & prata recentia rivis.
Quippe olim cœli audieras e ſede profectum

Ad-

Adveniſſe ducem fama & præſtantibus auſis
Egregium, Solymos inter, lateque fluentem
Jordanem qui mortales contemnere honores,
Et vanas contemnere opes præceperat orbis,
Quique homines faſtu, & miſerâ ambitione carere
Juſſerat, & procul humanas expellere curas:
Quando his nequicquam ſperatur poſſe moveri
Rex Superûm aut flecti favor omnipotentis Olympi.
Verum ſi quæ piæ menti ſtat cura ſalutis
Æternæ, vitamque ultra producere ſæcla
Ætherios tractus ſuper, & penetralia cœli,
Ad ſe confugeret ſolum prædixerat, & ſe
Eſſe Deo genitore ſatum cognoſceret, unde
Copia diffluerct rerum, & via prima ſalutis,
Jam promiſſa foret miſeris mortalibus ante
Quamque eſſent aſtrorum ignes, & lucidus æther.
Hæc & plura illum memorantem, & fida canentem
Ætherei præcepta patris, multiſque ferentem
Auxilium, medicaſque manus, perque oppida prorſus
Jam deploratos revocantem ad luminis auras;
Pro meritis, & conceſſo pro munere vitæ
Heu, letho Solymos ejectum ex urbe dediſſe,
Ora prius, laceratumque caput, pectuſque decorum,
Sanguinis & toto volventem corpore rivos.
Illum omnes Libani cedros, & murmure mœſto
Hermonias etiam cautes fleviſſe peremptum,
Antraque flebilibus reſonaſſe impulſa querelis.
Quin ipſum undantem lacrimarum vortice aquarum
Jordanem fluxiſſe retro, & latuiſſe ſub antris
Squallentem, & turpi rorantem uligine barbam.
Vix ea Phœnicum volitans vaga fama per urbes
Sparſerat & veris hominum rumoribus aures
Impleret, ſubito fractis quum ſedibus Orci
Magnanimum Heroëm fatis melioribus ortum
Et reparaſſe iterum, & rediiſſe ad lumina vitæ
Sponte ſua referunt, tranantemque ætheris ignes
Alta ſerenati petiiſſe cacumina cœli,
Et patris aurata victorem in ſede receptum.

Ta-

Talibus intentas quamvis aureſque animumque
Præbueras miro jamdudum incenſus amore;
Non aures animumque exples; nam ſæpe requiris
Singula qui referat, quique horum exordia pandat,
Et rerum norit cauſſas aperire latentes.
Forte docens urbes Syriæ felicis obibat
Tum juvenis priſci dictus de nomine Sauli
Regis Idumæi, clarum genus unde trahebat;
Non illo quiſquam melior, ſeu pectora fando,
Et ſenſus mulcere hominum, ſeu jura parentum
Priſcorum, ritusque, & divum ſacra docere.
Hunc quondam patris ætherei certiſſima proles
Voce vocans, ſubitoque ardenti in nube refulgens
Corripuit, mediaque via diverſa ſequentem,
Exitiumque piis meditantem, & vincla ferentem
Siſtit, & inſuetas vibranti lumine flammas
Obductum ſibi delegit, populiſque docendis
Præfecit, juſſitque externas viſere gentes,
Et nomen vulgare ſuum, ſuaque inclita facta;
Unde iter inventum cœli mortalibus, unde
Monſtra Erebi devicta gemunt in nocte profunda.
Protinus orantis, Divumque arcana docentis,
Et populum, patreſque palam ad meliora vocantis
Magna viri virtus, divini & ſigna decoris,
Adſpectuſque Deo ſimilis mentem omnem, animumque
Attraxere tuum, & cœleſti fervidus igni
Olli te adjungis comitem, alloquiiſque Deorum,
Ac vario ſermone diem, & trahis otia longa,
Multa ſuper nato rogitans, ſuper & patre multa:
Quos illo referente ambos alta atria cœli
Fœdere concordi, & paribus compeſcere habenis
Agnoſcis quæcumque ingens complectitur orbis,
Imperioque, ævoque ambo, ſummique pareſque;
Æterno nec enim patre poſteriorve minorve
Filius, at quoniam ſummo junguntur amore
Unanimeſque tenet conſpirans mutuus ardor,
Inde etiam Deus, ille Deus, qui cuncta potenti
Et movet afflatu, & conformi numine cœlum,

Ter-

Terrarumque ſinus torquet, pelagique profunda;
Præcipueque hominum ſubter præcordia ſeſe
Altius infundens Divûm cœleſtia dona
Impertitque, aperitque docens, firmatque piorum
Implens divina penitus dulcedine mentis.
Hinc canit illiſus duris cava tempora ſaxis,
Temporaque, & frontem, & manantia pectora tabo:
Hinc etiam obſtrictus vinclis, & compede durâ
Gaudet ovans animis, nec tecta inamabilis antri
Fœda ſitu, ſine luce, imâ tellure repoſta
Horreſcit deſertus inops: non ſæva ſuperbi
Verbera formidat, minitantiaque ora Tyranni.
Ille autem luctantem animam per tela, per ignes
Exhalatque alacer, properatque in funera lætus;
Certi, omnes lapidumque ictus, & vincla, necemque,
Et quæcumque ipſo tulerint in funere acerba,
Cœlicolum regis natique ea cedere honori.
Hæc tibi eo dicente, Deum ſive illa voluntas
Mutua, ſeu cœli numen ſpirabile, ſive
Lucis inardeſcens ſuperæ vigor intima aduſque
Pectora dilapſus calefacta per oſſa cucurrit,
Quo ſenſuſque tui, quo mens tua fervida ubique
Æſtuat, & ſancti conceptûs explicat ignes.
Vere novo veluti cùm Sol telluris amatæ
In gremium latè deſcenderit igneus almæ;
Illa calore tumens, & fœta tepentibus auris
Purpureos laxatque ſinus, & in æthera apertum
Edit opes, lateque ſuos diffundit honores.
Jamque Deo afflatus propiore licentius audes
Effarique palam, & poſita formidine Chriſtum
Patre Deo genitum teſtari, ipſumque ſupremo
Demiſſum cœlo populorum, orbiſque ſaluti.
Non tauri, non qui cæſæ de more bidentes
Ad delubra Deûm fibras, & conſulat exta,
Et nece balantum ſceleratos expiet auſus;
Sed propriâ qui cæde, ſuo qui ſanguine culpas
Diluat, & veterum quidquid de ſorde parentum
Reſtat adhuc, pius abſtergat, ſoluſque merendo,

Fle-

Flectere qui poſſit genitorem, & limina cœli
Fœdere compoſito referet viventibus ægris.
Atque his pro meritis jam tum cùm pontus & ipſa
Nil foret omniparens tellus, nihil igneus æther,
Ipſum perpetuò edicto caviſſe parentem;
Ne cui fas eſſet quondam ſuccedere cœlo,
Thrax, Italuſve foret, latis ſeu finibus ortus
Grajugenûm, ſeu palmiferâ nutritus Idume;
Ni ſeſe addiderit nato, legemque profeſſus
Haud dubitarit eo, ſolido ceu marmore jacta
Fundamenta, ſuæ ſupereſſe hominumque ſalutis.
Vindice quo tandem gravibus defuncta periclis
Sæcula ſpectarunt cœli convexa ſereni.
Atque ea nec tantum patriæ in confinibus audes
Spargere, & algentum populorum accendere corda;
Verùm alias te raptat amor procul orbis in oras,
Dura jubens verâ pro religione ſubire
Magnanimo lectum Gentis parere magiſtro.
Hunc omnes pelagique minas, terræque pericla
Tendentem contra, magnique ingentia patris
Juſſa faceſſentem circumſpicis, huic comes hæres
Multa timens, ubi certa inſtant diſcrimina rerum.
Ut natus genitorem alta in convalle Erymanthi
Cum videt in duro congreſſu, aut forte leonis
Aut ſpumantis apri; pavet inſcius, aſpera cogit
Et pietas ſperare & amor; ſed ſumma malorum
Ipſa timere vetat virtus ſpectata parentis.
At non me quiſquam arguerit, ceu ficta canentem,
Velle meis dubias laudes inſerere chartis,
Teſtis adeſt latè innumeras diſcreta per oras
Argivûm tellus ſceptris aſſueta gerendis,
Ut terrâ pelagoque, & littoribus deſertis
Errantes, & magna Deûm vos dona ferentes
Expulit infelix, caſoſque in vincla perivit:
Ut magno preſſos concurſu livida membra
Nudatos dirâ lapidum ſub grandine ſolus
Semineces inter ſylvas, atque arva reliquit!
Teſtis muneribus Solyme accumulata Deorum,
Le-

Lecta olim magni ſedes habitanda parentis
Progenie, tantum nunc agnoſcenda ruinis!
Ah miſera, & cæde æternum damnata nepotum!
Vobis illa dolos ſtruere, & connectere fraudes
Auſa etiam fuit, & raptos altaria circum
Vos letho dare perdendos hoſtilibus armis.
Tu quoque teſtis ades, Melite, circumdata vaſto
Jonio, tu jactatos ſpumantibus undis
Trans freta Carpathii, & ſcopuloſa Ceraunia claſſe
Vi maris illiſâ, trabibus per cærula ponti
Excipis adnantes, madidaque in veſte fluentes.
Atque imo falſos revomentes pectore fluctus.
Cetera quis neſcit? quis enim non novit ad oras
Auſoniæ, flavique advectos Tibridis arces
Omnia vos duro ſub Rege infanda tuliſſe,
Conjectumque in vincla ducem, virgiſque petitum
Immeritum, avulſumque caput cervice decorâ,
Dum Romæ ſeptena canit per culmina Chriſtum,
Et vocat intrepidus ſacra ad meliora Quirites?
Hinc te digreſſum curſu, pelagoque remenſo
Iſthmiaci accipiunt portus, & littora nota
Argolicûm: hic feſſus longis erroribus, ipſâ
Jamque ætate gravis, confecto munere vitæ,
Alta ſupervehens felix & nubila & aſtra;
Et tibi certa datur ſedes plaga lucida cœli.
Salve ingens Superis decus addite: nos tua lethi
Facta recenſentes, laudeſque agnoſcimus, ampla
Dona patris ſummi, illiuſque opera alta fatemur,
Virtutis quodcumque tuæ, quodcumque pudici
Pectoris, illius tua præſtans gloria munus.
In te illum colimus grati & veneramur ovantes.
Tene ſacer circum ſpirantibus halitus auris
Corripuit, placiduſque pio inflammavit amore?
Tune Dei ſobolemque canis, Regemque nigrantis
Extinctorem Orci, & ſublimia facta per urbes
Theſſaliæ, cœtuſque pios Orientis & oras,
Deſcribis primus noſtræ argumenta ſalutis,
Nuntiaque æternis mandas felicia chartis?

 Ut

Ut Rex ille neci ſeſe ſubjecerit ultro
Pro mortali hominum ſcelere, & pro numine læſo;
Et patris indomitas felix extinxerit iras
Hoſtia, & attonito pacem exoraverit orbi.
Hinc tibi præcipuos referentem laudis honores,
Formoſi faciem Tauri, cui lucida fronti
Cornua, & auratæ fulgent per pectora ſetæ,
Olim non fruſtra grati appoſuere nepotes:
Primus item proceres biſſenos vertice ſummo
Correptos face flammiferâ, multaque repletos
Luce refers pia corda: Ducemque in nubibus altis
Aëra per rutilum manifeſto in lumine viſum
Linquere mortales ſociis mirantibus auras.
Exin res etiam memoras, ſanctique ſenatus
Per populos data jura, novaſque per oppida leges
Impoſitas, paſſimque aras erectaque templa;
Et gentes magni dictas de nomine Chriſti.
Fortunate operum tua ſcripta Propontidos undæ
Incola jam norit, picti novere Britanni,
Et Tanain, Iſtrique bibunt qui rauca fluenta:
Et quos occiduo circumſonat æquore Nereus.
Te leget omne ſolum, te ſæcula cuncta, tuiſque
Laudibus aſſurgent; tua per veſtigia greſſus
Tuta ferent, ſcriptiſque tuis tu prævius ibis
Omnibus, & lucem prætendes: omine fauſto
Unde tibi nomen Lucæ impoſuere parentes.

CHRISTOPHORI RUFI

BURGENSIS.

In Domum Cæſcam.

INvidiam Cæſæ fugiens poſt fata ſororis,
Caucaſeos liquit Pentheſilea lares;
Mox ubi felices Latii pervenit ad oras,
Incoluit ſpreto Thermodoonte Tibrin.
Atque hic ſe ſtatuens; per ſæcula, dixit Amazon,
Vindice me ſtabit Cæſca, mille, domus.

FAUSTI SABÆI
BRIXIANI.

De Pallade, & Cupidine.

SÆpe gravi Pallas tentata Cupidinis arcu,
  Impatiens pueri facta procacis, ait:
Ulterius ſi me tentaveris, improbe, mergam
  Ignibus, aut tumido, nil miſerata, mari.
Cui Deus arridens; quid fluctus, dixit, & ignes?
  Vitricus his, illis imperat alma parens.

De Baccho, & Cerere.

Incaluere mero; demum irâ Lyſſus, & Agmon,
  Jurgia poſt, fortes conſeruere manus.
Panis ibi adſtabat durus, vinique lagena;
  His ſua percutiunt tempora ad uſque necem:
Et jacuere ambo tritâ cervice perempti.
  Quam varia ad manes eſt via aperta Deos!
Credere qui poſſet, qui vitam & gaudia fertis,
  Bacche, Cereſque, reos ſanguinis, atque necis?

De Charitibus.

Numquam deficiunt Charites: cum dantur, habentur,
  Cum abſumuntur, multiplicantur opes.

In

In ſtatuam Apollinis Palatini.

Corpore quam pulcher Titan, tam percitus ira eſt;
Intendunt ſpirant brachia, & ora minas.
Quem niſi Pontificum exarmaſſet cura, timeret
Nunc Niobe iratum facta lapis lapidem.

De Cupidine.

Stabat inermis Amor ſomno ſuperatus in umbrâ;
Cum vacuam ſerpens ingreditur pharetram.
Accedens pharetram, lentum dum tractat & arcum
Dictynna, in dextram vipera proſiluit.
Dire puer, dixit virgo; tua tela venenum
Semper habent præſens perniciosa ſuum.

De Venere.

Dum Venus Anchiſen ſub opacâ amplectitur ulmo,
Unde caput ſacrum forte pependit apri.
Hoc ſubito inde cadens, Divæ perſtrinxit amantem.
Tunc Paphia; inſequeris, ſus truculente, meos
Siccine amatores? laceraſti vivus Adonin;
Nunc & in Anchiſen mortuus ipſe tuis.

Amor thurens.

Quis thure arſuro invictum celavit Amorem?
Et terram, & cœlum qui cremat igne puer:
O Sacrum Superis gratum, ſi diditur igni:
Huc properate homines, huc properate Dei.
O quam gratus odor! ſceleri par pœna refertur,
Ut quas jactat Amor, ſentiat ipſe faces.

E Græco.

Tres Charites dulci ore, Horæ totidemque puellæ,
Meque puellaris terna cupido agitat.

Treſque Cupido arcus capit in me fervidus unum;
In me uno tamquam ſi tria corda forent.

Ad Amorem.

Improbe, inermis Amor: quid niſi fallis amantes?
Sepoſitis armis, non tamen inſidiis.
Nam ſub flore dolos; ſub piſce pericula claudis?
Allicis ut perdas, improbe, naufragio.

Ad Jovem e Græco.

Claude, Deus, magni validiſſima limina Olympi;
Sacram arcem ſerva Juppiter æthream,
Jam mare, jam tellus haſtæ eſt ſubjecta Quiritum:
Reſtat inacceſſi callis ad aſtra poli.

De Cupidine & Venere.

Nudus Acidaliis Amor excerpebat in hortis
Pallentes violas, purpureaſve roſas.
Implicitam vepres dextram læſere legentis;
Indoluit, vulnus ſenſit ut ipſe puer.
Illacrimans matri oſtentat plagam atque cruorem,
En & ais, ſpinis quæ fero dona tuis.
Cui genitrix; quæ non mortalia vulnera ab arcu
Sæpe tuo patior, fabula facta Deis?

De Ægeria.

Pone tuas lacrimas: nec enim Numa fletibus ullis,
Nec prece Lethæo tollet ab amne caput.
Nec finem faciebat adhuc pia Nympha doloris;
Cum verſa in triſtes eſt modo fontis aquas.
Proſpice ſi Ægeria exarſit jam corde maritum:
Murmure adhuc vivo mortua nam lacrimat.

De Charonte & Phaëtonte.

Venerat horribilem Phaëton combuſtus ad Orcum,
  Tranare infernam dum rate & inſtat aquam.
Tene veham ipſe Charon, puer ô temerarie, dixit?
  Cujus ab igne mea eſt pæne cremata ratis?
Cui puer; imo vehes & bis, bis fata ſubivi
  Saucius, & merſus, fulmine, & Eridano.

In balneum è Græco.

Huc ſe nudarunt Charites; & pepla Cupido
Surripiens abiit parvus, nudaſque reliquit:
Nunc ſine veſte foras confuſæ exire verentur.

Marti.

Quam prius triſti videas, Gradive, Cytherē
  Se lavat, & vitreis his natat ecce vadis.
Ne timeas: non eſt, vati male viſa, Minerva;
  Sed tua quæ blandis Cypria ludit aquis.

Ad Lectorem.

Ædifica in patria, Boreas ubi nullus, & imber;
  Conde ubi nec furto diripiuntur opes.
Hoſpitium eſt tellus: Cœlum patria unica, noſtrum
  Et regnum, & certæ quæque parantur opes.
Deſipere eſt Solem in tenebras mutare; perenne
  Regnum in vile ſolum; patriam in hoſpitium.

Ad Viatorem.

Ad nemora adproperans ades huc umbroſa, viator
  Feſſe, labore gravi; membra quiete juva.
Hic platani in medio gelidis argenteus undis
  Neſcio quid blandum fons fluit ore ſonans.

Purpureaque ſuper redolent tellure nitentes
Hic violæ immixtis Idaliiſque roſis.
Roſciduli campus prati hic, hederæque ſequaces
Effuſis pendent, illaqueantque comis.
Florentem hic ripam lambit placidiſſimus amnis
Abradens nemoris leniter ipſe pedes.
Nomen Eros: locus iſte alio non dignus honore eſt.
Hic habitant Charites, hic quoque dulcis Amor.

De Amore.

Non magnum ſi ridet Amor, ferit, urit & una;
Huic ſunt adfines, ſpicula, flamma, mage.
Vulcanus conjux, Gradivus matris amator;
Nata mari eſt genitrix dulcis amara Venus.
Dat mare ſævitiam, Mars tela intincta cruore.
Blanditias genitrix, Mulciber ipſe faces.

De Venere inter Cupidinem, & focum pictâ.

Sic placeas, Cytherea, tuo pulcherrima Marti,
Dic rogo, cur tenui veſte recincta manes?
Hic vir, & hic natus; media inter utrumque caleſco;
Suſcitat hic flammas, ventilat iſte faces.

De C. Fabio Pontifice.

Ire redire viam tutum per tela, per hoſtes,
Miraris forſan Pontificem Fabium?
Deſine mirari; Æneam per tela, per hoſtes
Qui jam ſervavit, ſervat & Æneadem.

De Aſtyanacte.

Nil ſupereſſe videns ex Aſtyanacte; cadendo
Tinxit hic omne ſolum ſanguine, mater ait.
Non opus eſt tumulo & titulo tibi, nate; cruentum
Dum ſcribis titulum, tunc facis & tumulum.

De Collatino.

Dum ſuper hoſte cadit moriens morientis maritus,
Conjugis extinctæ dextera, & enſe ſuo:
Tolle ait, o tu oculos Lucretia, & inſpice ut hoſtem
Communem Stygias perſequor uſque ad aquas.

Ad Henricum II. Gall. Regem.

Dividere hæc poteram noſtri monumenta laboris,
Et dare diverſis munere Principibus;
Qui mihi promerito potuiſſent tradere honores,
Aut aurum, aut veſtes, vel pretioſa magis.
Sed qui uſque ad cineres ulli ſe ſacrat, ob illum
Maxima lucra putat grandia damna pati.

De Tullo Hoſtilio.

Torpuerant longâ ſub relligione Quirites,
Exciderâtque ſuis Mars pater ex animis;
Tullus in arma ferox ignavam exſuſcitat urbem,
Et certanda tribus fata dedit patriæ.
Et niſi virtuti fraus huic comes ipſa fuiſſet;
Quæ paſſa eſt mater, filia paſſa foret.

De Tito Quintio.

Invertebat humum atque boves urgebat aratro
Quintius, & multo pulvere turpis erat,
Cum ſeſe eſſe Ducem ſenſit; capit arma, triumphat,
Immittitque hoſtes ſub juga, ut ante, boves
Rus repetit: gaudete boves, & aratra, & agelle;
Ecce triumphalis veſter arator adeſt.

De Homero e Græco.

Sidera ut obſcurat vertens Sol igneus axem,
Nec parcit Phœbes orbibus ipſe ſacris:
Sic alios vates tenebris oppreſſit Homerus,
Clarius ut lumen ſplendeat Aonidum.

Niobe.

Non opus inferiis, nec opus mihi fletibus ullis:
Conſtruitis fruſtra quid monumenta mihi?
Conſulit impenſæ, & noſter dolor imbribus atris:
Sum mihimet lacrimæ, ſum mihimet tumulus.

De Fabiis CCC.

Suave virent flores, & dulce immurmurat unda;
Nidificant & aves, mellificant & apes.
Hic ubi devotum Fabii fudere cruorem;
Hic ubi odoratâ conſtituuntur humo.
Inter enim flores, & mella, & carmina, & umbras,
Debuit has animas detinuiſſe ſopor.

Orpheus.

Robora, nec petras deduces amplius, Orpheu,
Multipliceſque feras nec magis allicies.
Nec mage ventorum fremitus, ſtrepitumque profundi,
Mulcebiſve globos grandinis, atque nivis.
Ipſe jaces: nam Mnemoſynes tua funera plorant
Natæ, & præcipue Calliopea parens.
Quid querimur noſtros natos periiſſe? tueri
A nece non poſſunt pignora Cœlicolæ.

De Curtio.

Sorberi inferno patriam triſtatus hiatu,
Devota arripuit Curtius arma, & equum.
Sponte & in iratas ſeſe deturbat Erynnys;
Vivus in ære, & equo conſtitit ante Deos.
Exangues populi trepidant, fugiuntque timentque;
Et niſi ad Elyſios præcipitaſſet iter,
Formidaret adhuc Pluto: nam tempore ab illo
Palleſcunt Manes, frigida Morſque metu eſt.

De

De Gigantibus.

Qui coacervarunt modo montes montibus altis,
Pulſabantque ſuis ſidera verticibus;
Infractos premit Inarime, Lipare, Ætna gigantes;
Pondere nixa ſuo nec ſuperare poteſt.
Mortui enim ſolidæ quaſſant fundamina terræ.
Nil mirum vivos ſi timuere Dei.

De Pompejo & Mithridate.

Vere magnus eras tu, Mithridate ſuperbo
Pompei, ante pedes collacrimante tuos?
Major, ubi afflictum ſolaris, & erigis illum,
Cumque dabas vitam, pacem, & amicitiam:
Maximus, imponens victo & diadema: quid ultra
Exoptas? Reges vincis, & ipſe facis.

De Poro Indorum Rege.

Quantus erat Porus noſcas, quod victus ab illo,
Cui ceſſere Aſiæ regna, duces, populi.
Vivere nolebat, cui rex virtute ſuperbit.
Captus Alexander perdita regna dedit.
Magni ambo reges, vincens hic, victus & ille:
Hic dono, hic gemitu, maximi uterque animi.

Ex Græco.

Ebrii erant omnes: fatuus vult ſobrius eſſe:
Hinc ſolus viſus ebrius, & fatuus.

De Xerxe.

Agmina conſpiciens latos diffuſa per agros,
Quæ poterant fluvios quæque bibiſſe lacus;
Ploravit Xerxes ſuper his, cum ſciret ab annis
Centum ex tot nullum tunc ſupereſſe virum.
O lacrimæ Crocodili! amens peritura gemebat
Sæculo; & ad cædem Dux trahit ipſe brevem.

De

De Antigono & Pyrrho Regibus.

Cum Pyrrhi caput Antigonus vidiſſet; oborto
Fletu, & avi, & patris tunc ſubiere neces.
Et verſans animo imperii variabile fatum,
Hoſtem regales duxit ad inferias.
Egregium eſſe putans, quem vivum vicerat armis,
Defunctum extremo vincere & officio.

De Adraſto.

Quid ſupereſt, Adraſtus ait, mea dextra? peremptis
Fratre meo, & domino, qui mihi frater erat?
Nil niſi ego infelix mihi. Diſque inviſus: at ipſa
Perdere ſueta tuos, me quoque perde, manus.
Dixerat, & ſubito manus obſequioſa peregit
Impietatis opus, ob pietatis opem.

Alexandro Magno.

Dum tibi, Alexander, Fortuna benigna quod optas
Largitur, penitus te tibi ſurripuit.
Nam patriam, mores, habitum, cum Perſide mutans,
Degener efficeris, barbarus, atque gravis,
Et dum furtivum patrem mercaris ob aurum?
Ipſe homines una decipis atque Deos.

Agamemnon.

Ille hominum, ille Ducum princeps celebratus Atrides
Poſt domita elatæ regna ſuperba Aſiæ;
Dum patriam repeto, me excepit adulter, & uxor
Incautum, & Veneri victima tanta cado;
Quæſieram longinquo ex orbe Helenamque, Parinque;
Quem propria infelix clauſeram utrumque domo.

De

De Arione.

Dum mare per medium delphino invectus Arion
  Mulceret tumidas jam citharœdus aquas:
Nereides placidæ in numerum duxere choreas,
  Luſit & in ſummis tunc Galatea vadis.
Cernere ſaltantes fuerat delphinas, & ipſos
  Tritones raucis increpuiſſe tubis.
Omnia læta inerant: Sirenes, Scylla, Charybdis,
  Latratum, dulces & poſuere dolos.
Gaudete o vates: nam poſt fera numina Averni,
  Et mare pacatum, tunc Lyra facta Dea eſt.

De eodem.

Erexit ſtatuam Periander Arionis, & qui
  Æquora ſulcanti tergora curva dedit.
Delphini monſtrat placidi pia fabula, quantum
  Exſuperent homines impietate feras.

De Mucio Scævolâ.

Hoſtibus in mediis auſus diſtringere ferrum es
  Scævola, & errantem corrigere igne manum.
Recte inquam, erraſti; poſtquam ſucceſſit, ut hoſtis
  Parceret & patriæ, parceret atque tibi.

De Crœſi Regis filio.

Mutus erat natus Regis Crœſi, unicus heres:
  Strictum enſem in patrem dum videt atque dolet;
Ne perimas Crœſum, conatus dicere, dixit:
  Nam vocem expugnat clamor, & ora metus.
Utile enim & mirum, fuit hoc timuiſſe; duobus:
  Attulit hinc vocem; reppulit inde necem.

Mutuum Auxilium e Græco.

Mendicum cæcus claudum cervice ferebat,
Et ducebatur lumine ab alterius.
Ambo imperfecti, corpus junguntur in unum;
Recte eat ut claudus, cæcus ut inſpiciat.

Cimoni Athenienſi.

Quiſnam qui incedit tantis ſtipatus amicis?
Munera qui ſecum tot pretioſa gerit?
Hic ille excelſus victor terraque marique
Cimon; qui, quod habet dividit in patriam.
Quam bene viciſti, & ſpoliaſti bàrbara regna!
Poſtquam alis & veſtis, & decoras patriam.

Octavia Neronis.

Tanta ruina mea eſt, nequeam ut deflere ruinam;
Nam mentem, & ſenſus eripit ipſe dolor.
Summa dolorum illa eſt, non poſſe dolere dolorem,
Ore tacere meum eſt; corde dolere meo.

De Homero.

Qui cœlum illuſtrat, mortales inſtruit, æquor
Demulcet dulci carmine Mæonides:
Perpetuo terram qui veſtit ſuaverubenti
Vere, in Io vitam liquit, & oſſa ſenex:
Ut quem naſcentem perfudit odore roſarum
Jam Rhodos, in violis poſt tumularet Ios.

De Syllâ & Mario.

Dicite carnifices Romani ſanguinis, o vos
Sylla cruente, & tu ſanguinolente Mari;
Eſtis adhuc hoſtes ima tellure repoſti?
Diri, & adhuc hoſtes ſub Phlegethonte ſumus.
Nec ſine ſorte ſumus diverſo more ſepulti:
Unus enim flammis conditus, alter aquis.

Pyr-

Pyrrhus Achillis Manibus.

Æterni o cineres, o formidata parentis
  Oſſa, & adhuc inter ſidera, & umbra nitens,
Hos cineres vobis Trojæ, Priamique cruorem
  Conſecro, & ante rogum, virginis hanc animam.
His placate iram, & veſtram, mihi ſemper acerbam,
  Semper honoratam, poſt quoque fata, necem.
Quæ non fecerunt tot bella duceſque, tot anni:
  Militis hæc veſtri ſunt monumenta novi.

Catoni Uticenſi.

Magnanimi exceſſûs monumentum, terra fretumque eſt:
  Nam tanto ipſe imples nomine utrumque, Cato,
Enſe virum melius monſtrans occumbere fortem,
  Quam vitam indignam vivere & indecorem.
Gloria nam major, quam ſanguis fluxit ab ictu:
  Quæ te, & adhuc laudes pingit ubique tuas.

Porcia.

Bruto digna viro, generoſi nata Catonis,
  Ebibis ardentes cur moritura faces?
Non aliter potui tantum compeſcere luctum:
  Igne exiccantur, igne domantur aquæ.

Numæ Pompilio, retrogradum.

Mens bona, non tua fraus, mores, non fabula Nymphæ,
  Carpere te fecit Æneadum imperium.

De M. Iuventio Talpâ.

Talpa, ubi poſt victos Corſos perlegit honores,
  Urbs ſibi quos dederat, lætitia occubuit.
Quid ſi viciſſet Pœnos, Galloſque Scythaſque?
  Credibile eſt illum bis voluiſſe mori.

De Æneâ.

Dardanio Æneæ, confectum ætate parentem
Portanti, cedunt ignis, & arma pio.
Viſentique illum ſub triſtitia Tartara, eidem
Dantque locum manes, terrificæque feræ.
Dum meat & remeat per tanta pericula, tutus
Non duce nonve Deo, ſed pietate fuit.

De L. Sicinio Dentato.

Romanum Æaciden, Dentatum ad ſidera cœli
Imperii auctores Marſque Venuſque ferunt.
Et Virtus & Honor tumulum non marmore ponunt;
Sed coacervarunt hic ſpolia, arma ſimul;
Armillas, torques, phaleras, variaſque coronas:
Pallas at in titulo eſt anxia; tantus erat.

De Pythagorâ.

Civibus ornatam largis opibuſque Crotonem,
E patriâ acceſſit Pythagoras Samius.
Tam virtute ſuâ, tam ſanctis moribus auxit,
Ut moriente illo ſit ſua facta domus
Delubrum Cereris, ſub quo celebratur uterque.
Sub Cerere hic Samius, ſub Samio ipſa Ceres.

Catoni Uticenſi.

Quid, Cato, jam ſperas proſtratis viribus urbis?
Adgrediare audax enſe Catonis opus
Pro patria ſemper certantem eſt turpe Catonem
Stare cadente, imo non moriente mori.

De Pythagorâ.

Pythagoram pictor poterat finxiſſe loquentem,
Verum Pythagoram conticuiſſe juvat.

Tibris Cocliti.

Quod mihi quodque tibi, Cocles, ſervaveris urbem,
Hæc ſunt ſervatæ præmia, Tibris ait:
Reſtitui patriæ & reddam per ſæcula cuncta,
Gurgite te incolumem, murmure te celebrem.

De Appio Claudio.

Inviti ut biberent, qui merſit in æquore Pullos,
Naufraga & eluſit religione Deos.
Disjectam in tumidis claſſem dux vidit in undis;
Senſit & iratos Claudius eſſe Deos.
Et jam erat a populo damnandus: vota fremebant;
Cum ſubitæ e cœlo præcipitantur aquæ.
Qui peccavit aquis, & aquis qui immerſerat urbem,
In media eſt ſubitis urbe ſolutus aquis.

Scipionibus Africanis.

Scipiadæ o quantum diſpar victoria utrique
Veſtra fuit, virtus cum tamen una foret.
Per te ſumma habuit Romana potentia apertam;
Per te ſumma habuit luxuria ipſa, viam.

Hector.

Hectora quid parvo concludis, Troja, ſepulchro?
Tam brevis ingentem non capit urna virum.
Mille rates, totidemque Duces, natique Deorum
Vix potuere illum ſternere; & ipſa teges?
Europæ atque Aſiæ fines, non Troja ſepulchrum eſt:
Uni unus titulum ſcripſit & iſte ſatis.

Euripidi.

Non hæc urna tua, Euripides, ſed tu magis hujus:
Namque tua hanc urnam g oria condecorat.

Alceſtidi.

Formoſæ Alceſti poteraſne, Admete, ſuperſtes
  Eſſe tuæ? quæ te ſic venerata fuit.
Quid poterat majus pro te, quam Fata ſubire?
  Cum nullus pro te fata ſubire velit.
Accipe pro meritis mulier digniſſima cœlo,
  Imo non mulier, ſed Dea digna Jove.
Donec erunt laudes, toto celebraberis orbe,
  Una maritarum gloria, & una virûm.

Scævola.

Ne grave, ſi huic tumulo fundis ſanctiſſime vitam
  Purpuream, & ponis Scævola, corpus iners:
Victima grata Deis, Marii non manibus ipſis:
  Fimbria nec cædis gaudia longa trahet.
Nam ſcelere hoc diro implebit tua candida totum
  Mens cœlum, manes umbra, cruorque ſolum.

Mutio Scævolæ.

Quid, Muti, in dextram ſævis? ſi lumina peccant.
  Supplicio potius mens tua digna fuit.
Nulla tamen peccat, poſtquam tua libera Roma eſt:
  Nam quod tentabas tunc facere, ipſe facis.

De Terentio Varrone.

Tempora vivaci ingenio qui longa peregit,
  Imo qui vicit ſæcula cuncta ſuis:
Humana intexit Varro, & divina retexit;
  Fingat ut inde homines, pingat ut inde Deos.

Porſenna.

Cum Porſenna gravi Romam obſidione levaret;
  Et mirarentur turba, ducesque fugam:
Bellum, ait invictane geram cum gente Gradivi?
  Scævola nam flammas; Clœlia vicit aquas.

Julia Cæſaris.

Diceret iſta patri, atque viro flens Julia, mortis
Ante rogum patriæ ni properaſſet iter:
Vel tu victor eas, vel tu: victoria noſtra eſt;
Teque ruente eadam, teque cadente ruam.
Juliam enim turpe eſt tanto ſupereſſe parenti;
Dedecus & magno ſic ſupereſſe viro.

Artemiſia.

Non contenta viro mirum extruxiſſe ſepulchrum,
Quo tot congeſtæ dilapidantur opes:
Excito meque ipſam tumulum; quo conditus uſque
Permaneat mecum nobiliore loco.
Vive illo, requieſce iſto, Mauſole ſepulchro:
Nominis illud erat, iſtud amoris erit.

De Fabio, & Camillo.

Cujus imago iſthæc? Fabii prior; illa Camilli:
Servavit patriæ mœnia uterque ſuæ;
Capta quidem a Gallis, Afro & capienda tyranno;
Hic curſu, hic tardâ reſtituere morâ.

De Catone Uticenſi.

Plus doluit Cæſar ſe non viciſſe Catonem.
Quam tot gaviſus perdomuiſſe duces.
In ſolo hoc fuerant, vires, conſtantiaque urbis;
Plus erat hunc unum vincere quam patriam.

De Narciſſo.

Hic eſt ille puer, qui dum fallacibus undis
Crederet, eſt vano luſus amore ſui.
Et nunc adſerpit languenti gramine ripæ;
Ut quibus aruerit, jam revireſcat aquis.

E Græco.

Turba poëtarum veterum diſceſſit ab orbe;
Mortua vere, inquam, cum Theodorus obit.
Nam vivente illo vixit, pereunte perempta eſt:
Uno omnes latitant in tumulo tumuli.

De Homero.

Quid tumulum tentas divino condere Homero?
Quod ſpatii cœlum continet, urna ſua eſt.

Tulliola Ciceronis.

Hæc fuit illa ſuo nimium dilecta parenti
Tulliola, inque etiam nomine blanda ſuo.
Quis Charites, Muſas, Veneres, non deperit? ipſa
Inter enim has omnes plurima, & una fuit.

Cicero.

Hæc ſacrata manus Ciceronis, & ora verenda hæc,
Unde ſalus patriæ fluxit, & eloquium.
Indicat ora manus, reſpectant ora, manumque;
Illa quod exſcripſit, illa quod inveherent.
Quid furis Antoni? nec enim maledicta tacebunt.
Lingua reciſa tonat; dextera ſcribit adhuc.

Chiron Centaurus.

Senſit Achilleam ut cædem, magnumque dolorem
Semivir, eſſe & equam vidit ut Ocyrhoën:
Corde repercuſſo ſuſpiria traxit, & inquit;
Pœna mihi eſſe Deum; dedecus eſſe patrem.

Charon, & Niobe.

Cymba mea hæc rimoſa vetus, tantum vehit umbras
Uſque leves: gravis at tu, & lacrimoſa ſilex
Naufragio ne iterum pereas in morte, tuiſque
Pignoribus fias cauſſa ſecunda necis;

Ex-

Expecta; lacrimæ, & tempus te ſolvet in umbram,
Portitor hæc: contra, trajiciam. ait, Niobe:
Amnis erit luctus, natorum ſpicula linter:
Amne meo ad manes lintreque deveniam.

De Scipione Africano majore.

Ne patriam abſumat caram civilis Enyo,
Exceſſit dulci Scipio ab urbe ſuâ.
Urbe ſed abſcedens ſecum deduxerat urbem.
Namque ubi tantus erat Scipio, Roma fuit.

Ad Catharinam Henrici Regis uxorem.

Si ſterilis viſa eſt, nil mirum, Medica proles:
Duratura diu nam genuiſſe grave eſt.
Quo plus tardaſti fœtum, lætaberis hoc plus:
Spem regni, & flores, lætitiamque paris.

Pindaro.

Ætheris unde tibi tantum, curruſque volantes?
Unde trahis mirum magnificumque melos?
Nam vehis ad ſuperos dum præmia Olympica cantu;
Teque, Lyramque iterum, Pindare, in aſtra refers.

De Scipione, & Catone, majoribus.

Romanum imperium bellis Carthago premebat.
Et cives ſcelerum jam jugulabat amor:
Plena laborabat diſcriminis intus, & extra
Urbs æterna: oritur Scipio, & ipſe Cato.
Hic juvenis, longævus & hic, domuere rebelles;
Scipio Sidonios; Romulidaſque Cato.
Multum Roma viris debes ſervata duobus,
Edomitis, pulſis, hoſtibus, & vitiis.

De Meduſa.

Si lapide in ſculpto miraris Gorgona, & horres,
Nil mirum: multo ſibilat angue caput.
Et niſi tam parvo claudatur in orbe Meduſa,
Clamares, ſemet vidit, & obriguit.

Ex Græco.

Qui laudare velit virtutem, extollat Homerum;
Cum virtute Dea divus Homerus idem eſt.

In Epicurum, & Themiſtoclem.

Prole Neoclidæ geminâ lætantur Athenæ,
Hæc patriam vitiis liberat; illa jugo.

Cornelia Pompeii.

Mactari in pelago ut vidit Cornelia Magnum,
Truncum inhumatum etiam ſenſit ut eſſe, refert:
Plena latrociniis purgaverat æquora, & omnem
Qui ſpoliis Regum condecoravit humum;
Ingratum pelagus, terra ingratiſſima, turpem
Tu tribuis cædem, tu monumenta negas.

Scipio major.

Si patriæ ingratæ cineres, atque oſſa negavi;
Si mihi pro merito nec monumenta dedit;
Gloria non ideo mihi defuit atque ſepulchrum:
Nam Carthago urna eſt, Annibal elogium.

Niobe.

Sum Niobe, quæ viva fui, tum flebile ſaxum,
Praxitelis rurſus ſaxea facta manu,
Vivo equidem ſine corde tamen: non error ab arte eſt:
Cum Superos ſprevi nam ſine corde fui.

De Atreo.

Secta nepotum Atreus, & adhuc viventia membra
Dum parat heu patri concoquere igne, & aquis;
Triſte miniſterium fugiunt elementa, paventque;
Unde gemit natos, ſtridula flamma patrem.
Nil mirum ſi Phœbus equos averterit, unde
Illacrimant ignes, unde queruntur aquæ.

De M. Bruto.

Adventare videt victorem miles, & hoſtem;
Et Domino metuens, effuge Brute, refert.
Effugiam, manibus dixit; nudavit & enſem,
Romanum & vere perforat ille latus:
Spiritum & ingentem eduxit, cui contigit uni
Parcere nec patri, nec ſibi, pro patriâ.

Niobe.

Ne foret una ſatis mihi mors, ne luctus & unus,
Repperit artificis fata ſecunda manus.
Vivere me iratis fecit de marmore Divis;
Rurſus ego ut moriar, rurſus ego ut lacrimem.

Phedra.

Per deſerta ſequi te, & ſumma pericula, poſtquam,
Brachia nec licuit implicuiſſe tibi;
Te ſequar ad Stygios melior nunc Phædra receſſus,
Jungam animamque animæ: dixit, & occubuit.

De Tantalo & Niobe.

Quiſnam eſt, qui hoc ſaxum ruiturū in tempora jam jam
Horret? & hæc quænam ſaxea imago gemens?
Proditor iſte Deûm, contemptrix iſta Dearum,
Tantalus eſt Phrygius, Tantalis eſt Niobe.
Peccarunt ambo, linguâ plectuntur & ambo;
Ad lapidem genitor; filia at in lapide.

Niobe.

Ipſa ego peccavi, non pignora, Tantalis inquit:
Figite me: nati nil meruere mei.
Quolibet in nato moriatur ut ipſa perempto.
Vivit; & ad luctum mortua non moritur.

Ad Henricum Regem Gall.

Infecunda diu tua ſi dulciſſima conjux
Viſa; nec eſt mirum, nec ratione caret,
Dî volvere preces, votiſque inſtanter ut ores:
Nil prece, nil votis gratius eſt Superis.
Poſtquam thuricremo cumulas altaria honore,
Henrice, uxoris, Maxime, pignus habes.
Sperandum eſt majus: Regem ſi regibus addunt,
Addent Dî & regnis regna aliena tuis.

Ad Leonem X. P. M.

Langueo & eſurio: ſpes in te tota ſalutis;
Cûm mihi ſis Paſtor, maximus & Medicus.
Paſcere oportet oves, & ab illis pellere morbos:
Et facies Medico, & digna Leone Leo.

Ad Franciſcum I. Gall. Regem.

Fles Agramontiadem merito, rex inclite: nam vos
Junxerat unanimes una eademque fides,
Et vos unus amor: nam ſi quid paſſus acerbi
Tu fueras, idem paſſus acerba fuit.
Nunc quia ſæpe tibi Dii adverſi, atque aſtra fuerunt,
Placet ut iratos, ivit in aſtra, Deos.

Eidem.

Lilia quis credet tangi formidine, quamvis
Fulmineas jactet Cæſar ab ore faces?

Sic oculos capiunt, & odoribus omnia complent,
  Ut pro illis certent Cypria, Flora, Pales:

Ad Henricum Gall. Regem.

Qui te non amat optimum patronum,
Et te non velit omnium monarcham;
Ingratiſſimus omnium clientum,
Inſenſiſſimus omnium virorum eſt:
Qui cum tot Charitum videre non vult,
Tantam vult Charitem invidere nobis.

Loquaci.

Sæpe homini eſſe ſolet, res peſſima, & optima, lingua:
  Quam nocet infrenis, tam moderata juvat.

Ad Amicum.

Ad tua vota manus talos emittere quod ſit
  Docta; ubi vult Venerem, præſto vocata Venus;
Senio & dexter jactu blanditur amico.
  Et quod te fugiat perniciosa canis:
Te multi laudant; ſed eis ne credito: nam tu
  Quo magis iſta ſapis, deſipis ipſe magis.

Epitaph. Card. Aleandri.

Cur tumulo non inſcripſi mea nomina, quæris?
  Ingratus cum ſit mutus & iſte lapis?
Qualis eram, dicent, & quis pleno ore Quirites;
  Si mage vis, dicent, Græcus, Arabs, Solymus,

Ad Muſas, de Lampridio.

Si meus occurrit vobis Lampridius, illi
  Amplexus dulces jungite Pierides;
Nec pudor obſtiterit, quin detis & oſcula vati
  Tam raro, qui vos excolit, ornat, avet.
Oſcula quid dixi? vos quæro amittere: nam ſunt
  Retia, quæ caſti mella Heliconis habent.

Invenietis ibi veſtras cum fratre ſorores,
Cingentes vatis Daphnide fronde caput.
Dicite ei: Fauſtus te obſervat, & ardet, & optat,
Qui genus exornas, & patriam, & Latium.

E Græco.

Fune petram Bocus ſerpens conſcenderat altam,
Forte boum paſtor, ceræ regna petens.
Cum canis armenti cuſtos, dominumque ſecutus,
Corroſit funem mellis amore gravem:
Corruit & præceps paſtor miſerabils, & mel
Dulce aliis, illi funera amara dedit.

Ad Francifcum Regem, de Jo: Bellajo Card.

Magnanime o princeps, ecquid peccavimus in te?
Supplicio inſontes plectimur ecce gravi.
Eripuiſti illum, quem dicere poſſumus urbis
Lætitiam, laudem, lumen, & illecebras?
Et deſolatæ, morientis Pallados & ſpem.
Hinc Muſæ hæc clamant, Romaque mœſta ſimul.
Quo tu Mæcenas properans te proripis? & tu
Quid rapis e noſtro, rex, Phaëtonta polo?
Bellajum fuerat melius non noſcere nobis,
Quam ſperaſſe diu, poſt caruiſſe brevi.

Ad Evagoram.

Parce; tibi Evagora dignos quis reddet honores?
Solus enim Evagoras exprimit Evagoram.

Ad Marcellum Cervinum Card.

Quænam dona tuo referam condigna labore
Neſcio, cum vires ſtraveris ipſe meas.
Ne tamen ingratus videar, digniſſime princeps,
Offero parva tibi, maxima cum nequeam:
Scilicet hanc animam, & corpus, tenuem quoque ſortem,
Et ſi quid majus corpore, ſorte, animâ.

Ad Joan. Bellajum.

Non quia dives opum, ſacri columenque Senatus;
 Sed quia virtutis ſis ſtudioſus, amo.
Suſpiro hanc, cum ſit vere pulcherrima rerum:
 Illa meæ ſola eſt divitiæ, illa decus.
Si me reſpicies, & amatus amabis amicum;
 Tu mihi ſemper eris quem coluiſſe velim.
Nam procerum ſi quis Muſis adplaudit & hæret,
 Non modo Semideus, ſed Deus ille mihi eſt.

De Franciſco Rege Galliæ.

Ne mirere meum, Lector, pro numine regem
 Si colo, quem decorant muneribus Superi.
Nam formæ imperio dignæ inſufflavit honorem,
 Inſuper & Charites addidit, alma Venus;
Robur & Alcides; & mel Cyllenius oris,
 Mars animos, Sophiam Pallas, & ingenium.
Juno regna, Tonans majeſtatemque verendam,
 Et multo ambroſiæ ſparſit honore caput.
Si neſcis quid Apollo illi donaverit; audi;
 Jurabis Phœbum, Pieridaſque loqui.
Hæc ego cum videam Divûm immortalia dona;
 Mortalem hunc ipſum ſuſpicor eſſe Deum.

De eodem.

Audiat hoc tellus, mirabitur Amphitrite,
 Quæ loquor in Reges, magnanimoſque Duces.
Quiſnam erit Heroum qui ſeſe conferat umquam
 Gallorum Regi, moribus, ore, manu?
Fulminat enſe, animo moderatur, pectine pulſat,
 Ut Mars, Rex, Vates, agmina, ſceptra, lyram.

Ad Joan. Bellajum.

Non debes; noſtræ tibi ſi placuere Camœnæ:
Gratia ſumma mihi eſt, quod placuere tibi.
Ipſe minus debes, ſi diſplicuere: relatum
Nam tibi ſat damni cùm tibi diſpliceant.
Tu tamen his atque his donas, ut munere diſcant
Diſplicuiſſe minus, vel placuiſſe magis.

Epitaph. Ambroſii Politi.

Sacrati hoc cineres tumulo: pia & oſſa quietem,
Aſſiduos fluctus poſt maris hujus habent.
Cujus erant; cernes in cœlo nomen, & aſtrum,
Si Virtus rupto carcere in aſtra volat.

Ad Joan. Bellajum Card. Pariſienſem.

Dicebam mecum: mihi quid Rhamnuſia virgo
Arridet vultu lætior inſolito?
Non quod opes ideo largas, vel tradat honores;
Sed quia opes, & honor tu mihi ſolus eras,
Proinde aliquid cum me, ſpe turgidus, eſſe putarem.
Eluſum ſenſi me, vacuumque brevi.
Nam ſpem in te & requiem ſenii Bellaje locaram:
Has aufers; quod plus, ingenium, atque animum.

Eidem.

Perditâ ut Eurydice, lacrimans obmutuit Orpheus,
Et caſum ſilvæ congenuere gravem:
Sic ego te amiſſo mœrentia pectora clauſi,
Sed ſunt flebilibus ora adaperta vadis,
His niſi ſpem mergam, quæ me deluſit inanem,
Inque caput mittam plectra, lyramque ſuum,
Succendam & libros in eam, ſim tempus in omne
De Niobe Harpocrates, de Harpocrate & Niobe.

Ad

Ad Pamphilum Saxum.

Vinci ab amore tibi patiar; quia Pamphilus ipſe es:
Sed quod me vincas munere, non patiar.
Imo, etiam patiar; quia cedit munus amori:
Quod tibi honorificum eſt, nil mihi turpe puto.

In imaginem Franciſci Regis Galliæ.

Quam ſpectatores ignari cernitis, icon
Spiritu & artifici nobilitata manu
Illius eſt, qui cuncta ſuo moderamine regna
Allicit, & gentes ingenio, atque manu.
Quod taceat, non eſt mirum: indignatur imago
Et pictam largas non habuiſſe manus.

In eamdem.

Si quis in extremo non te cognoſceret orbe
Hancque tui vultus cerneret effigiem;
Te morum, te virtutum juraret aſylum,
Principem & Heroum, te fore, & orbis herum.
Pectoris in medio optaret fruſtra ille feneſtram:
Totus ab ore tuo, rex generoſe, pates.

Ad Paullum III. P. M.

Pacis amatori ſtatuam tibi, maxime Princeps,
Ponit in arenti littore Praxiteles:
Ut qui terrarum ſedaſti bella; procellas
Tranquilles etiam non minus ipſe maris.

Mutius Scævola.

Ne doleas animoſa manus, jam Mutius inquit
Dum patitur ſacros igne peruſta focos.
Sola Deos placas; hoſtem quoque vincis: ab urbe
Igne ignem, & ferrum pellis, & exitium.

Ad Julium III. P. M.

Donaſti unde meam poſſum traducere vitam,
Laſſula, & ægra, & inops quæ reparanda fuit.
Et quod debebant alii longo ordine nobis
Pontifices ſolvis, maxime Pontificum.
Quid tibi retribuam, Juli, niſi carmina & odas?
Hæc ſunt principibus gloria, ſplendor, honos.
Aurea dona duces dent, Reges gemmea; utrique
Nec majora iſtis, nec meliora dabunt.

Epitaph. Antonii Puccii Card.

Hic Pucci oſſa jacent Antonî condita; circum
Tibris, & Aonides flent, Chariteſque ſimul.
Virtutem, ingenium excellens, moreſque benignos,
Diſcito ab inſuetis luctibus, ac lacrimis.

Ad Henricum Gall. Regem.

Ore verecundo Virtus lacerata gemebat,
Ante ædes Regum, Pontificumque fores.
Nemo illam admiſit, nec paupere juvit amictu;
Ægra jacebat humi frigore, & eſurie.
Cum pater ille tuus ſuſpiria ſenſit, & intra
Tecta vocat, veſtit, paſcit, honorat, amat.
Illic læta habitat, tecum & moderatur habenas
Et regni, atque ſuas ſpargit, & auctat opes.
Rex Henrice, ergo felix dominare: nec hoſtes
Contra virtutem, nec Deus ipſe poteſt.

Ad Alex. Farneſium Card.

Forte admiraris, princeps cariſſime, quod te
Tam raro adſpiciam, rarius atque loquar.
Quis reperire poteſt, quem ſumma negotia regum
Semper habent, & agunt, continueque vorant?
Tam-

Tamquam Atlantiades, & candida Luna vagaris,
Nec tuus eſt tota certus in urbe locus:
Te reperire alibi, quam noſtro in pectore, longum eſt:
Hic te cotemplor, cerno, ſaluto, colo.

Ad Marcellum P. M.

Non ut Pontificem ſummum, ſanctumque decebat
Marcelle, indigno conderis hoc tumulo.
Parce; ubicumque jaces, ſemper celebrabere: honorat
Non tumulus cinerem, ſed cinis ipſe locum.

Tumulus Paulli III.

Non ratione caret moles rudis iſta ſilenſque:
Æquari Paulo non valet ullus honor.
Sumptu omni, & titulo eſt major: quia maximus illi
Orbis erit tumulus; vita decens titulus.

Epitaph. Barthol. Stellæ.

Mentitur, noſtrum Stellam qui dicit obiiſſe?
Vir bonus & prudens non obiiſſe poteſt.
Sed proprias ſedes, & regna vocatus adivit;
Nam cœlum ſtellis eſt locus, & patria.

Ad Charitem.

Dum te admiraris ſpeculo, & te fingis ad unum
Uſque pilum, longas & trahis inde moras;
Quod non uraris miror: nam Solis ad ictus
Inflexos ſpeculo, gignitur ignis edax.
Sed quid flamma poteſt in tanta incendia? tota es
Flamma, & quæ tangis, proſpicis, & loqueris.

De eadem.

Sumpſerat arma, faces, arcum, Charitemque petebat
Sævus Amor; ſenſit cum Charis inſidias:

At-

Attollensque oculos, quid me, improbe, dixit, &
Et face perſequeris? te mea tela manent.
Oſtentatque libros, & acus, & ſtamina: viſis
Stamine, acu, & libris: fugit inermis Amor.

De ſe & Cupidine.

Cum petiiſſet Amor læto mea corda volatu,
Exuſſit pennas igne, quod ignis eram.
Indolet implumis, lacrimat male cautus, & illas
Quod quas ſuccendit, ſentiat ipſe faces.
Remigium alarum excrevit; tunc evolat in me,
Et mala quæque tulit, mi geminata dedit.
Noſter enim illius, noſtræ illius ecce redundant,
De lacrimis lacrimæ, deque dolore dolor.

Victoria Columna viro ſuo.

Non opus eſt illo tibi, Dux memorande, ſepulchro
Mortales poſſunt quod reparare manus:
Quod demoliri fortuna nec ulla, nec hoſtes,
Avale, nec valeat rodere tempus edax.
Rex vinctus poſuit, tibi Gallia ſtrata perennem
Victori tumulum, magnanimo & titulum.

De ſeipſo.

Igne uror, fletu diffundor: fletus ab igne
Ut tenuis, ſic fit luctibus ignis edax.
Imo ignis major ſit fletu, & fletus ab igne
Sævior, & ſemper ſic cremor, & lacrimo.
Hei mihi, junguntur diſcordes, ignis & unda;
Ut cinis areſcens igne, liqueſcat aquâ.

M. AN-

M. ANTONII SABELLI.

Joannis Petri Valeriani Nomen in Pierium vertit hoc Epigrammate.

PEtrus eras, cum te tot Norica Saxa tenebant:
  Pierus ad Venetæ dictus es Urbis aquas.
At poſtquam Cyrrha ſuperato Antra illa ſubiſti,
  Adſcribi Aoniis ut mereare choris,
Jam mihi nec Petrus, neque Pierus; iſta faceſſant,
  Sed fueris vero nomine Pierius.

M. ANTONII SABINI
IMOLENSIS.

De ſui temporis Scriptoribus quibuſdam. Ad F. Matthæum Bandellum Caſtronovenſem Ordinis Prædicatorum.

SI Romæ tribuêre umquam, Latioque Camœnæ
 Eximium nomen, perpetuumque decus,
Nunc magis, & laxis apparet Phœbus habenis.
 Parnaſſique aperit Calliopea jugum,
Fundit inexhauſtas rupes Heliconia lymphas:
 Quæ vatum linguas, oraque ſacra rigant.
Tempora Saturni, & magni Cæſaris ætas
 Emicat: Italiæ ſplendet ubique chorus.
Denique terrarum tellus pulcherrima gaudet
 Scriptorum numero, compoſitiſque libris.
Sed Mediolani mira omnia, copia rerum:
 Innumeri vates, ſcriptor & innumerus.
Nulla Dies implet non alta volumina, quæ non
 Extimeant, ſi quid Rhinocerotis habes.
Sed tamen heu quantum vereor, ne triſtis agatur
 Annus ab his, magni cauſa doloris adeſt.
Nam Bromii extincta eſt felix vindemia, ſiccus
 Civis erit noſter, ſiccus Arator erit.
Talia fama refert Baccham rigido ore loquutum.
 Iratum Phœbo, Pieridumque choro.
Jam pereant vites ſacris alimenta poëtis.
 Deque ſuo vates nunc Helicone bibant.

Di-

Dixit, & ut poſſum veris depræhendere ſignis,
Ad patrem greſſus contulit ille ſuos.
Impulit ut magni laxaret nubila cœli,
Qualia veridicus ferre poëta ſolet.
Impulit ut mixto reſonarent grandine nimbi,
Sæpius & gelida contudit arva nive.
Hinc glacies conſtricta modis increſcere miris
Cœpit, & inſolitum frigus ubique fuit.
Multi homines periere, feræ periere, volatum
Nulla avis in terris cœperat, atque polo.
Nec tamen immani ceſſerunt frigore vates
Scribere, grandiſonos ac reboare modos.
Non alius ſcriptor chartis, calamoque pepercit,
Hinc omnis lucrum Bibliopola facit.
Quidam Grammaticis magnum tribuere volumen
Alterius ſcriptis ſyllaba quæque patet.
Auctores priſcos errare fatetur, & omnes
Indocti & Docti chartea dona ferunt.
Neſciit Orator, nec turba poëtica voces
Adiicere, & verbis, nominibuſque ſuas.
Tullius has numquam ſenſit, minus illa Catullus.
Cui nomen docti docta caterva dedit.
Vir bonus, & multa doctrina præditus, omnem
Romani campum prædocet eloquii.
Dicite non alias fero, ſed phero dicite, phormam
Non formam, atque phugam dicite, neve fugam
Cetera quid referam non exaudita Cethegis,
Et quæ doctrinæ non leve nomen habent?

FLORIDI SABINI.

Antiocho Tiberio.

EXilium domino quod vaticinare potenti,
Dirâ morte inſons perderis Antioche.
O miſeras artes, quæ non docuere ſalutis,
Cum tibi monſtrarint hæ quoque mortis iter.

JACOBI SADOLETI
SAC. ROM. ECCL. CARDIN.
MUTINENSIS.

De Laocoontis ſtatuâ.

ECce alto terræ e cumulo, ingentiſque ruinæ
Viſceribus iterum reducem longinqua reduxit
Laocoonta dies, aulis regalibus olim
Qui ſtetit, atque tuos ornabat, Tite, penates:
Divinæ ſimulacrum artis: nec docta vetuſtas
Nobilius ſpectabat opus; nunc alta reviſit
Exemptum tenebris redivivæ mœnia Romæ.
Quid primum ſummumve loquar? miſerumne parentem
Et prolem geminam? an ſinuatos flexibus angues
Ter-

Terribili aſpectu? caudaſque, iraſque draconum,
Vulneraque, & veros, ſaxo moriente, dolores?
Horret ad hæc animus, mutaque ab imagine pulſat
Pectora non parvo pietas commixta tremori.
Prolixum vivi ſpiris glomerantur in orbem
Ardentes colubri, & ſinuoſis orbibus ora,
Ternaque multiplici conſtringunt corpora nexu.
Vix oculi ſufferre valent crudele tuendo
Exitium, caſuſque feros: micat alter, & ipſum
Laocoonta petit, totumque infraque, ſupraque
Implicat, & rabido tandem ferit ilia morſu.
Connexum refugit corpus, torquentia ſeſe
Membra, latuſque retro ſinuatum a vulnere cernas.
Ille dolore acri, & laniatu impulſus acerbo
Dat gemitum ingentem, crudoſque avellere dentes
Connixus, lævam impatiens ad terga chelydri
Obiicit: intendunt nervi, collectaque ab omni
Corpore vis fruſtra ſummis conatibus inſtat.
Ferre nequit rabiem, & de vulnere murmur anhelum eſt.
At ſerpens lapſu crebro redeunte ſubintrat
Lubricus intortoque ligat genua infima nodo.
Crus tumet, obſepto turgent vitalia pulſu,
Liventeſque atro diſtendunt ſanguine venas.
Nec minus in natos eadem vis effera ſævit,
Amplexuque angit rabido, miſerandaque membra
Dilacerat: jamque alterius depaſta cruentum
Pectus, ſuprema genitorem voce cientis,
Circumjectu orbis, validoque volumine fulcit.
Alter adhuc nullo violatus corpora morſu,
Dum parat adducta caudam divellere plantâ,
Horret ad aſpectum miſeri patris, hæret in illo:
Et jam jam ingentes fletus, lacrimaſque cadentes
Anceps in dubio retinet timor: ergo perenni
Qui tantum ſtatuiſtis opus jam laude nitentes,
Artifices magni (quamquam & melioribus actis
Quæritur æternum nomen, multoque licebat
Clarius ingenium venturæ tradere famæ)
Attamen ad laudem quæcumque oblata facultas,

Egregium hunc rapere, & ſumma ad faſtigia niti.
Vos rigidum lapidem vivis animare figuris
Eximii, & vivos ſpiranti in marmore ſenſus
Inſerere adſpicimus, motumque, iramque, doloremque
Et pene audimus gemitus: vos obtulit olim
Clara Rhodos: veſtræ jacuerunt artis honores
Tempore ab immenſo, quos rurſum in luce ſecunda
Roma videt, celebratque frequens: operiſque vetuſti
Gratia parta recens. Quanto præſtantius ergo eſt
Ingenio, aut quovis extendere fata labore,
Quam faſtus, & opes, & inanem extendere luxum!

De Quincto Curtio.

Ire per æternos ævi venientis honores
Conſpicuum meritis, & jugi vivere famâ
Fas illum eſt, quem fata vocant, cui pectore præſens
Excubat, atque animum cœlo adiicit ignea virtus:
Cujus ſæpe ſagax trepidis prudentia rebus
Veſtigavit opem, docuitque haud ſera Senatum:
Sive armis ille, & dextra, ſeu morte cadentem
Servavit patriam, atque hoſtes in funere vicit.
Nec tamen eſt decorum tantorum maxima merces
Laude hominum, aut poſitis trivio ſpectanda trophæis,
Quamvis longa datum ſtruerent in ſæcula nomen:
Verum illuc melior ſpes evocat, unde recepti
In lucem ſumus, ac patrios revocamur ad ortus,
Cum cœlum, ſuperoſque lares, axemque ſerenum
Suſpicimus, rapido circum qui ſidera flexu
Torquet, & immenſos actis ciet orbibus orbes.
Hunc pater omnipotens alterna luce micantem
Conſtituit, nec non pulchra in ſpectacula claris
Ignibus, & multo ſtellantem inſigniit auro,
Dignam ſedem animis præſtantibus; illa Deorum,
Illa domus nobis patria eſt: hic nobile magnæ
Accipiunt pretium, regnantque per æthera mentes.
Sed fuit hoc olim: ſuperas evadere ad arces
Regia tecta Deum cœtu meruere frequenti

Magnanimi heroës, priſcis quos extulit annis
Tunc, cum larga ducum fundebat ſemina tellus.
At nunc (quandoquidem hæc turpi conſumpta veterno
Jampridem infelix, inhonoraque tabuit ætas,
Et cecidit decus, & dominantum more ſiniſtro
Ejectum ingenium, virtuſque faceſſere juſſa eſt)
Nos veterum facta haud ſegnes repetamus avorum
Fortia, & ad priſcum curam hanc vertamus honorem,
Qua fortuna ſinit, quantum eſt conceſſa facultas.
Sitque prior, quem non metus, & gravis ira Deorum
Terruit, atque altæ non monſtra immania terræ;
Quin facto egregio infernis ſe traderet aris.
Nam ſive infenſis Capitoli, arciſque Lycææ
Præſidibus Superis, clauſi ſeu turbinis æſtu
Mota loco tellus ſpatii diſcrimine vaſto
Abſtiterat, medioque foro patefacta vorago
Abrupta in præceps, immenſa, oriſque profundi
Summotas referans fauces (trepidabile viſu)
Tartaream ad noctem, ac ſedes penetrarat Avernas,
Intuleratque diem, cœloque refuderat umbram.
Prodigium horrendum, ceu nigro abduntur hiatu
Tænara, Cumææque domus latebroſa Sibyllæ.
Extemplo exciti monſtro populuſque, patreſque
Concurſu approperant magno, & de collibus altis
Denſi adſpectantes, Stygii ut portenta ſepulchri,
Atque atram videre luem, rimoſaque circum
Æquora, & immani jam jam vi rupta barathro,
Perculſis ſtupuere animis; tum frigidus artus
Concuſſit tremor, & ſubito per membra cucurrit:
Nec jam ſtare gradu, aut tumulis ſublimibus audent.
Sub pedibus latè ſcindi, infidumque labare
Omne ſolum, colleſque ipſi ſubſidere in ima
Tartara, & obſcura mergi ſub nocte videntur.
Jamque metu trepidos, ſubitaque redire volentes
Inde fugâ fallit conatus, & ægra receptum
Geſta negant, gelido concretis ſanguine fibris,
Nec vires membris notæ, nec vox ſonat ore.
At veluti ſi quando truci ſub imagine ſomni

Declivi e ſcopulo ripave horremus ab altâ
Præcipitem caſum; refugit calor oſſibus omnis,
Et vires & membra cadunt: non anxia vocem
Verba ſonant; preſſos ſopor & timor alligat artus:
Haud ſecus Æneadæ gelidâ formidine tardos
Implicuere gradus, nec vis ſua tollit euntes,
Spectàntesque fugam, prorſuſque extrema trementes:
Tandem ubi gliſcenti gravis eſt mora viſa periclo.
Incubuitque malum violentius, & metus alter
Excuſſit ſtupidos, ac mentis reddidit uſum:
Quærere opem rebus ſummis, & nitier omni
Auxilio, raptimque cavas explere latebras
Aggere projecto, & congeſtis molibus inſtant.
Incaſſum labor omnis, & irreparabile damnum
Humanam contemnit opem; ſpes una ſuperſtes,
Si quis apud Divos veniæ locus: ergo per omnes
Ire aras pueri, & matres, timidæque puellæ
Supplicibus votis certatim expoſcere pacem
Numina ſancta Deum, cœloque extendere palmas;
Nec minus interea Tyrrhenæ gentis haruſpex
Fata aperit, ſic divinis monſtrantibus extis,
Ore canens: o Dardanii ſpes inclita Juli
Mars pater aſtrifero genus, & cui nobile cœlo,
Et virtute fidem, & præſtantibus adſtruit armis,
Non hæc Cælicolûm grave, & inplacabile numen
Nunc portenta novat, ſed hianti luridus Orco
Eumenidum dolor, & ruptæ diſcordia terræ
Inſigni redimenda bono, quo maximus uſus
Imperii ad columen, famæque ſequentis honorem.
Hanc fati obſcuram vocem, monituſque Deorum,
Concilio exceptos, non unis mentibus omnes
Accipere: ambigui ſenſus, diverſaque patrum
Murmura, nec cunctis eadem eſt ſententia linguis.
Acer erat bello, & primis ſpectatus in armis
Curtius, eductum Curibus quem antiqua vetuſtis
Nobilitas laude, & ſerie decorabat avorum.
Namque ferunt, Urbis jaceret cum prima ſuperbæ
Fundamenta pater, captaque ex arce Sabini,

Feminei ultores raptus, jam valle ſubirent,
Conferrentque aciem, atque anceps fortuna duelli
Ambigeret: facinus clarum, longeque fuiſſe
Egregiam laudem, & nomen memorabile Curti.
Iſque diem (poſtquam ad pacem verſa arma, duceſque
Imperii junxere fidem, dextraſque dedere)
In partem merito patriæ & præclara vocatus
Præmia, nec ſtudio deinceps, nec defuit uſu
Romulidis, longamque dedit deſcendere prolem.
Tali ortus genere, & proaviti nominis heres
Curtius, ardenti ſæpe in certamine victor,
Quæſieratque manu decus, & virtute tenebat
Exſuperans animi juvenis; ſive arduus alto
In pugnas ſe ferret equo, ſeu Marte pedeſtri
Adverſum exciperet collatis ictibus hoſtem.
Huic pater ætheriam ſuperi converſor Olympi
Immittit ſubito mentem, reſeratque latentes
Fatorum ambages, ipſumque in funera poſci
Submonet, & dubiæ quæ ſit via certa ſalutis.
Ille ardet, largoſque alti bibit ætheris ignes,
Divinum ſpirans: nec jam mortalia cordi.
In patriam quippe & pietas, & funeris atri
Exequiæ laudum æternæ, multuſque ſuorum
Urget amor: tandem, velut acri concitus œſtro,
Irrumpit medios, teſtatus numina Divûm.
Nec mora, pro patriâ infernis ſe deſtinat aris.
Arrectæ mentes cunctorum, omniſque receſſit
Pectoribus timor, & cæcis lux reddita rebus;
Magnanimi juvenis fato inferiiſque propinquis.
Curritur, effuſique ſenes & vulgus inundant,
Agglomerantque foro, & ſi qua deſpectus in unum eſt
Ædeſque, tumuloſque, & culmina Pallantea,
Tarpejamque arcem, Divûm faſtigia latè
Conventu cumulant pleno, addenſantque coronas.
Jamque aderat longâ ſenior cum veſte ſacerdos
Funereis mœrens vittis, ſacrumque litabat
Plutoni Stygio: aſt alii nigroſque juvencos,
Et furvas jugulant pecudes: ipſe audiit vota,

Nun-

Nuncupat, & juvenem ſpargit fluvialibus undis,
Voce ciens triplicemq; Hecaten, magnamq; parentem
Tergeminoſque Deos: tum numina dira precatur
Eumenidum, populiſque gravem depellit Erinnyn.
Stant taciti circum, linguiſque ſilentibus unum,
Unum omnes fixi obtutu, immotique tuentur
Armatum extantem, atque æratâ luce coruſcum.
Ille autem (nam fata premunt, longaſque recuſant
Ferre moras) coram vacuum progreſſus in æquor,
Ut ſtetit abruptæ titubato in margine ripæ
Pallidus, inque atram dejecit lumina noctem:
Rettulit os rurſum cælo, ſublataque tendens
Brachia, in has ſupplex exſolvit pectora voces:
Dî patrii, quorum auſpiciis ſtat maxima Roma,
Et pater omnipotens, & noſtri ſanguinis auctor
Bellator Mavors, Vulcane, paterque Quirine,
Veſtaleſve foci, Janique biverticis ora.
Audite hæc, ſanctumque precanti advertite numen.
Si qua, nefas, virtutem odit crudelis Erinnys,
Ad pœnamque vocat: fratis hic communis abeſto.
Unus ego haud ſegnis dextrâ, nec frigidus armis:
Hanc animam, inferno umbrarum regi, & Stygiis Dîs
Devoveo; lucemque volens, auraſque relinquo:
Tantum dura mei fugiant diſcrimina cives:
Hanc ſpem quam patriæ incolumis dant fata, ſepulchri
Et mortis comitem poſco: ac mecum ire ſub umbras?
Tum vos infenſi manes, queis Romula virtus
Diſplicet, invidiamque movent ingentia facta;
In me omnes conferte iras, & quicquid acerbum eſt,
Vertite ab excidio patriæ, exitioque meorum:
Ipſe luam: ſimul hæc dixit. ſimul aſtitit olli
Conſpicuuſque auro, & Maſſyli pelle leonis
Arce fremens bellator equus, quo tendere in hoſtem
Primus, & obſtantes incurſu rumpere turmas
Suetus erat. ſubitaque acies turbare procellâ:
Hunc ubi terga premens, dorſoque exceptus amico
Impulit, & notis habilem tremefecit habenis,
Nil mortale putans, animique interritus heros:

Viſa

Viſa hominis major facies, procul ære refulget
Sanguineo galea, & flammis rutila arma coruſcant.
Interea cœlo Superûm Rex magnus ab alto
Urbem Dardaniam adſpectans, ſævoque ſuperbum
Contemptorem animum mortis, dabat inclita facti
Præmia, ſecum animo volvens, curamque fovebat:
Cum lacrimas, promptumque ferens mœſto ore dolorem,
Triſtis ſic medio cœli ſuper axe Quirinus
Alloquitur: o, cuncta pater qui fata gubernas,
Æternumque regis: en quo ſpectata tuorum
Incidit, aut quali damnatur funere virtus,
Non hæc exactis olim ſperavimus annis.
Cum ſedem hanc terræ regno, externiſque triumphis
Romanumque tuo ſancibas fœdere nomen:
Atque ante hoſtili virtutem opponere ferro
Unum opus, & labor unus erat, pretiumque laboris
Imperium patriæ, aut lethi ſors clara ferebat.
Nunc jam quid ſupereſt; aut quam fortuna ſinit ſpem,
Si manes rigidos etiam & fera Tartara contra
Bellandum eſt? num dicta retro mutata recurrunt
Fata tibi? aut cœpti piget, & ſententia verſa eſt?
Et nunc iſte quidem juvenis capite improba rerum
Detrimenta luit, vivuſque immittitur Orco.
Inſcius ullius culpæ: ſic digna rependis
Præmia virtuti, genitor? hæc gratia prompta eſt?
Si quod conceptum eſt in te facinuſve, ſceluſve
Æneadis, generique meo, te verius ipſum
Tela dare, & ſeptem repetitis ictibus arces
Fulmine deiicere, ac ſedes abolere nepotum.
Sin autem & caſtæ ſunt res, nec juſtius ullâ
Relligione pater colevis, ſub numine ſemper
Roma tuo, puroſque tibi meditatur honores:
Parce tuis, pacemque refer: ſic Romulus orſus.
Tum pater, ætherio pellit qui nubila vultu,
Talibus it contra. Nec te dolor iſte timentem
Sollicitet, mea progenies: neve aſpera fingas
Fata tibi, & cœptos animi dimitte labores.
Urbi Romuleæ latè debetur ab ortu

Quid-

Quidquid ad occaſum rerum jacet, & vaga quidquid
Tethys obit, refluoque adlatrant æquora ponto:
Stat fixum hoc, nec fluxa retro ſententia nutat.
Quin jam aderit, cum tu Romana in ſceptra videbis
Heſperiamque omnem, & gentes tranſire remotas,
Imperiumque, genuſque tuum; nec triſte querare
Supplicium egregii juvenis: non ille ſub umbras
Tartareas maneſve cadens deſcendet ad imos.
Hunc animum, has mentes, hæc corda excelſa tuorum
Eſſe velis: fretoſque ſua virtute Quirites
Et conferre manum fortunæ, & temnere mortem.
Sic etenim via, ſidereas quæ ducit ad arces,
Et famæ meritum ſteterit decus. his ubi mœſtum
Lenit omnipotens dictis gemitumque repreſſit;
Continuo tacitus ſecum majora volutat.
Stant Jovis ad ſolium geminæ ſuper aſtra ſorores
Mente ſatæ æternâ, queis cœtu eſt cura Deorum
Adlegiſſe pios, humanaque nectere Divis.
Harum unam Pietatem alto deſcendere ab axe
Imperat, & Curti manes adſiſtere ſacros.
Illa Jovi parens, nimbo fulgente per auras
Cincta volat, longamque cito dat tramite lucem:
Qualis ſæpe polo ſaliens ſub nocte ſerenâ
Stella fugit curſus ſubito trajecta volucres.
Et jam Tarpeï ſupra faſtigia templi
Aſtitit, inque arce extrema delapſa reſedit:
Cum juveni viſa eſt mentem majoris imago
Adſcendiſſe Deæ: juvat ire in funus, & omnes
Præcipitare moras: ſonipes ſub pondere ſueto
Ardet inexpletum exultans; jamque ardua jactat
Brachia, jam pede tundit humum, hinnituſque canoros
Suſcitat, & vivos ſcintillat naribus ignes.
Eſt locus extructo ſuggeſtu, & molibus extans,
Parte fori adverſâ celeber, quem nomine noto
Roſtra vocant; primi unde duces, plebiſque magiſtri
Affari populum, atque edicere ſcita ſolebant.
Hinc juvenis freno, & ferratis calcibus acrem
Egit equum, lora effundens: hinc fervidus illum

Im-

Impulit: attoniti primo motu, fremituque
Diriguere omnes, mens, & calor oſſibus hæſit.
Ille rapit medium campi, curſuque citatum
Quadrupedem vaſtæ immittens in aperta ruinæ
Dat ſe in prærupta, atque ingenti rupe ſecutâ
Involvenſque, ruenſque ſpecu deſcendit ab alto.
Ac velut aërio præceps cum monte revulſum
Saxum ingens in prona ruit, moleſque ſubjectas
Volvit, & aſſultu rapido latera obvia rumpit;
Dant gemitum lateque fragor geminatur in auras:
Sic tellus, ſic præcipiti pulſata ruinâ
Contremuere fora, & longas referentia voces
Templa ſonant: ſtetit obrutu ſtupefactus, & amens
Intento populus circum, immotuſque pependit
Magnus eques uſque attonitis, horrorque, feroxque
Procurſus, cladeſque viri ſuprema moratur
Ante oculos: etiam arma tonant: etiam auribus ingens
Inſultat fragor, & torpentia pectora pulſat:
Currentemque diu trepidant, horrentque cadentem.
Ut primum ſonitum, atque umbras diſcuſſit inanes
Reddita mens, cœloque dies oblata ſereno eſt,
Emotæ extemplo curæ, cunctique reverſi
Ereptum ad juvenem ſenſus: viridis ſubit ætas
Digna Deûm potius veniâ, fatiſque ſecundis,
Et decor & mores placidi: tum clara recurſant
Facta animis, tantæque recens pietatis imago.
Verbaque, ſupremæque preces; quo funere certus
Occiderit patriaſque cadens ſervaverit arces,
Ultro morte obitâ, & pallentes miſſus in oras.
Cum tamen hunc miſerum ſpes deſolata parentum,
Conjugis & caræ fletus, natique vocarent
Dilecti ad curam laris, antiquoſque penates;
Tantum illum patriæ, & generi tribuiſſe ſuorum,
Ut ſeſe exitio & fatis communibus unus
Traderet: hæc inter liquentia pectora dulcis
Stringere amor, lacrimæque ſequi; & crebreſcere voces
Laudantum, ac ſortem miſerantum mortis acerbam.
At jam confuſum diverſo ex agmine murmur

At-

Attollit magis, atque magis: jam ſparſa ſolutis
Turba ruit cuneis; fremitu tonat arduus æther,
Ceu quondam in ſilvis leni cum flamine primum
Offenſæ crepitant frondes, & lenta ſuſurrant
Murmura: mox valido ſi turbine fortior Auſter
Incubuit, ſtragemque dedit; ſtrepit omne tumultu
Confuſum nemus, & populata cacumina jactat,
Conſternitque ſolum ramis, it ſtridor ad auras.
Jamque patres, primique ducum, lectique ſenatus
Fatorum augurio proceres, quique alta gerebant
Imperia, aut ſacros ornabant vellere canos,
Inceſſu tacito coëuntis ad oſtia terræ
Adveniunt, cinguntque lacum: tum cetera circum
Turba premit, cœtuſque implet ſtipata profundos.
Et nunc hac, rurſum hac impulſum fluctuat agmen.
Dant fruges tumulo lætas, & munera prima
Apponunt: pars incenſis altaria flammis
Conſtituunt, peraguntque preces, & rite ſacratos
Deſcribunt fines lituo, frontemque, latuſque,
Ultimaque, & meritos grati teſtantur honores,
Certatim effuſi in laudes hinc nota frequentant
Militiæ decora, & murales ſæpe coronas,
Defenſumque manu civem, ſocioſque receptos,
Indomitumque animi Volſcum, vel comminus enſe,
Eminus aut jaculo, atque irarum vindice dextra,
Proſtratum; ſpolia inde cavis aſtantia tectis:
Ut non conſilio inferior quam fortibus armis
Sæpe locum inſidiis deprenderit ad juga, ſæpe
Inclinatam aciem turbataque ſigna ſuorum
Acrius intulerit pugna, turmaſque morantes
Vi junctæ virtutis, equoque obnixus ab alto
Impulerit: tu non hoſtili cæde tepentes
Sternere agros, non magnanimûm præferre trophæis
Martia dona ducum, laudis meramque, modumque
Eſſe tuæ, decorumve finis: tu ſæva refutas
Portenta, & Stygium præclara morte furorem.
Te diri ſtupuere amnes, te ſancta cadentem
Concilium ad Superum, cernentis & omnia cœli
Ex-

Extulit & Pietas, & vitæ prodiga virtus.
Salve certa ſalus patriæ: tibi præmia mille
Sidereis collata locis: nec plura mereri
Fas homini eſt, aut ſi fato quis major eodem
In terram Deus ille alto demiſſus Olympo.
Et tamen humanæ quantum tibi reddere laudes,
Quantum animi, linguæque valent, non gratia deerit.
Non Amor officiove decus: celebrabere grati
Voce ævi, generiſque tui ſervator & urbis.
Nec minus interea lacus hic, quem funere magno
Impleſti moriens facti immortalis honore,
Perpetuum, ſanctumque tuum, & memorabile nomen
Proferet, æternæque aram virtutis habebit.

Ad Octavium, & Federicum Fregoſos.

Dii vobis grates refero, & pro numine veſtro
Supplicibus veneror palmis cœleſtia templa,
Quod me ad fallaces fortunæ mobilis auras
Vela expandentem dudum, & malefida legentem
Cum populo vada, navifragis repetiſtis ab undis
Servatum in portus, & ſævo ex æquore raptum.
Scilicet haud tanti eſt dites vel carpere ramos
Extremorum Arabum, flaviſque inſiſtere arenis,
Hermus ubi, aut multo quà circum turbidus auro
It Tagus, ut tantos æſtus, duroſque labores,
Tot motus varios animantum in pectora diræ
Exacuant curæ, penituſque cupidine cœco
Inconſulta abeat ſæclis fugientibus ætas,
Et dirum invergat capiti nox atra ſoporem.
Hæc eſt en potior quanto & mage tuta periclis
Vita coli? modico & contentum vivere paucis:
Hæc eſt & Diis, & votis comitata ſecundis.
Si non regificos incendit purpura cultus
Bis ſaturata oſtro, Tyriis bis merſa venenis,
Nec matutino regalia limina circum
Concurſu innumeros ingens capit aula clientes,
Ampla nec Inachiis inſurgunt tecta columnis,

Nec

Nec domus eſt luxu, thalamiſque ornata ſuperbis:
At tutam dulce eſt crebro oblectare quietem
Seceſſu placido, & viridantis gramine ripæ.
At neſcire dolos, & nullos noſſe tumultus
Armaque, nec tepido ſpumantes ſanguine campos.
Abſunt hinc fraudes perjuræ, arteſque nocendi,
Inſidiæ, & ſimulati actus, & livida cura:
Conſciaque haud molles excludunt pectora ſomnos.
Atque equidem ſic eventus felicia ducant
Numina fortunentque meos, primum ardua nitar
Aſtra ſequi, & cauſſas rerum explorare latentes:
Quis Superum rapidis diſcreverit orbibus axem
Ingens ingentem, & paſſim conſperſerit auro:
Atque idem immenſos quo concitat agmine motus,
Unde per obliquum contra eluctantia tendant,
Et ſeptem imparibus diſcurrant ſidera ſignis:
Qui terris ſtatus, & refluus qua exuberet humor,
Quæ ventis ratio, ac nebulis: nec adire pigebit
Ortuſque, rerumque obitus, vitaſque animantum.
Quin jam nunc amor eſt jucundis paſcere curis
Spem tantam, & cœptis inſtare, Eja omnis abeſto
Cauſſa moræ: vocat en flagrantis regia cœli,
Divinuſque aures complet ſonor. O ubi celſis
Sideribus qui me & lato deducat Olympo
Singula mirantem circum ſpectacula, quique
Suadeat infectas terrai excindere peſtes,
Et purum ætheriæ mentis tutarier ignem?
Felix ille operum longe, egregiuſque laboris,
Et decoris, qui non ignavo pondere preſſus
Corporis evicit molem; culpaſque morantes
Reppulit, atque illum Divûm indulgentia major
Excepitque polo, & nitidis ſuperintulit aſtris.
Hanc vitam veteres olim tenuiſſe parentes
Crediderim, ſtudiiſque agitaſſe in talibus ævum:
Cum primum terris hominum præclara propago
Extulit os, poſuitque pedem poſt Lemnia furta,
Vulnificoſque ignes, factumque inſigne Promethei.
Ille quidem ut noſtros glebaque & flumine vultus
Fin-

Finxerat effigiem ad Divûm, Titonia Pallas
Affuit, & generoſæ artis mirata laborem
Juvit Apollineis ſimulacra accendere flammis.
Quæ ſimul ac contactu ignes hauſere supernos,
Flagrantemque animam, ſubito (mirabile dictu)
Contremere, & trepidare novo ſpirantia motu:
Atque oculis primum vigor extitit: inde per omnes
Paulatim rigidi deſcendere corporis artus,
Oſſaque corripere, & membris inferre teporem:
Hinc homines mundo immiſſi, quos ſtirpe recenti
Progenitos, ſimileſque Deûm, volucreſque, feræque,
Ipſi amnes, ipſa obſtupuerunt æquora ponti
Ceu reges venerata ſuos: tum dædala tellus
Nullis verſa jugis, nec duro exercita ferro,
Sponte ſua in cererem campis ſe effudit apertis,
Dulces ſuffectura cibos verum: ocyus illi
Ut libo facili, aut pendentibus arbore baccis
Naturam explerant, & puri fluminis undâ,
Vertebant orbes oculorum ad ſidera, & alto
Mentem affectabant cœlo prope littora rubræ
Tethyos, aut fuſo quâ Nilus adæſtuat amne,
Et patriæ memores recolebant nomina gentis.
Aſtrorum inceſſus varios, Solemque potentem,
Conſtanteſque vias, ſolenneſque ordine motus,
Ipſumque æthereum regem omnipotentis Olympi.
Huc me etiam ſtimulis nimio præſtantibus actum
Parnaſſi adverſis ſub rupibus, avia quamquam
Sit via, & erectis hinc atque hinc ardua ſaxis,
Tum pondus grave me valles detractet ad imas,
Primaque pæne ipſo titubet fiducia greſſu;
Huc tamen ignea vis animi rapit, & cupidum ingens
Urget amor; aderit Cyrrhâ Latous ab altâ,
Collectoſque æſtus, lymphaque, umbraque levabit.
Sin hæc non molles mi abdicunt ſtamina Parcæ,
Meque labor primo ſubigit deſiſtere clivo,
Aſt ego te haud ulla cunctantem fraude locorum
Adſpiciam Federice alacrem pervadere, & omnes
Exuperare moras, arcemque potirier altam:

Cui nova me virtus, ſæcliſque incognita priſcis
Dulcis amicitiæ ſociatum fœdere ſancto
Addidit, o cordis merito pars maxima noſtri,
O gentis Freguſæ decus, & ſpes digna tuorum,
Adſpice quæ coëant tibi numina: Cynthius auctor,
Pieridumque chori, Dryades, Nymphæque ſorores
Dona ferunt, violiſque, & purpureis hyacinthis
Spirat humus: ſedenim ante omnes Jovis inclita virgo
Attonſæ foliis innectit tempora olivæ,
Dilectumque ſacrâ permutat ab ægide pectus.
Porro ego ſuſpiciens inſignem lætus amicum
Gratabor, feſtoſque dies hoc nomine ducam:
Ipſe legam Paphias vicino a littore myrtos
Aut capiti decus, aut umbram: virideſque Napæas
Non illaudato revocabo ad carmina cantu.
Fortunate animi, largo cui prodigus æther
Munere divitias menti indidit, & bona magnis
Intellecta Deis, populo ignorata nocenti.
Fortunate animi (neque enim eſt obſcura premitque
Fama fidem) non te ventoſi gloria vulgi
Abſtulit in præcepſque dedit: non terrea ſomnos
Rupit avaritia, atque auri cuſtodia pallens.
Accumulant alii quæſtus, precioque ſuperbos
Invadunt faſces, aliena ad littora tendunt
Mille ſub inſanis freta pervolventibus Euris.
Hic bellum, & ſubitas accendit in arma cohortes,
Non dextræ memor, & jurati numinis olim:
Plauſum alius plebiſque auras meditatur inanes:
Hic varios ſumit vultus, dominoque potenti
Blanditur, gravis hos cura, & crudelis adurit
Ambitus: invidiæ ſtimulis torquentur amaris,
Et tacito optatas inhiant in pectore mortes.
Interea non fas ſolenne, ſuuſque pudori
Dignus honos; gaudent ſuperante libidine ferri
Et neſcire modum, fineſque habuiſſe refixos.
Qualis ſæpe nova nimium dulcedine captus
Invectus curru bijugo, ut dimiſit habenas
Auriga, atque ardens nota bis voce vocavit,

At-

Atque acres animavit equos, illi agmine raptim
Proſiliunt, ſpatiiſque ingentibus æquora aperta
Per vacuum nunc ſublimes, nunc pectora proni,
Corripiunt, certantque fuga poſt linquere ventos.
Acrius hos ſtimulis agitator fervidus inſtat
Infrenemque adigit currum: non ille pericli,
Fortunæque memor, nec jam ſudoris anheli:
Donec fraude ſoli, ſcopuloque offenſus iniquo
Præcipites proturbat equos: cadit alter & alter
Continuo conſors, lapſu correptus eodem:
Corpora humi fœda impellunt: ruit æreus axis,
Et currus ſuper atque rotæ vertere gementes:
Fit ſonitus, creſcit ſublatus in æthera clamor.
Ipſe volutus agro, cupidæ temeratius artis
Non plauſus jam nec laudes, voceſque faventum,
Sed paſſim effuſos riſus, inimicaque ſentit
Sibila: quam vellet prenſis nunc parcere habenis,
Adductoſque manu melius frænare jugales?
Non ſic qui caſus rerum & Rhampuſia ſecum
Fata agitat, metuitque cavens adverſa ſecundis
Nam quem non ſtrepitus vani, fortunaque blanda,
Fluctivagas ſolido traxerunt littore in undas?
Dî terris geniti ac magno pietatis honore
Evecti ad ſuperos, tuque o ſanctiſſima Virgo
Sæpe humiles noſtrum ſolita exaudire vocatus,
Hunc juvenem ſervate pii: ſunt omnia in illo,
Si prorſum egregia, ingratis male cognita ſæclis;
Et date inoffenſos annorum extendere curſus.
Fratrem etiam: neque enim Octavi non maxima fratris
Eſſe ſalus curæ debet, mortalia, quando
Ille animo factiſque ſupra: quis nobile, & altum
Virtutis decus, atque viri præſtantia corda
Neſciat, ac dignos laudum non reddat honores?
Utque fidem ſævis ſtabilem, invictamque pericliſ.
(Teſtes Umbræ arces, flumenque inſigne Metaurum)
Præbuerit? tanta eſt nullius gloria facti.
Cum ferus Auſoniæ prædo, cum raptor Iberus
Ferrum, ignemque ferens everteret oppida muris.

Regnaque contereret bello, ſtrageſque cieret
Infandas: primum imparibus ſe objecit in armis
Octavî dolor, abſenti tutatus amico
Spem rerum extremam, & montis juga celſa Feretri,
Nec metus, hoſtileſque minæ, morbique, fameſque,
Viſque infida intus mentem domuere, nec ipſa
Fœdatura oculos crudeli funere mater,
Mater quæ miſera e vallo captiva tyranni
Tendebat nato palmas: ſtetit aſpera contra
Omnia, & ipſa ſuo tenuit ſe robore virtus.
Quid narrem ſolio (indignum) ut turbatus avito
Adverſos placide caſus gerat? illa virorum
Genva ferax, pelagique potens Ingaunia tellus,
Magnus & aëria qui proſpicit æde Monœcus
Numquam animum talem claras ſub luminis auras
Effudere: ſibi hic non ſe, ſed civibus ortum
Eſſe ſuis putat, & patriæ præſtare ſalutem
Ante ſuam mavult: nec regni inſignia tantum,
Quantum juſtitiam ac veras ſibi poſcere laudes.
Macti ambo virtute novâ, concordia fratres
Pectora, qui dulcem inter vos ſpiratis amorem.
Sicut Amyclæos vulgata eſt fama gemellos
Conſociaſſe animas: quorum cum Caſtor ademptâ
Luce gravem traheret Stygiis ſub vallibus umbram
Regna inamœna habitans, infernique atria Ditis,
Fratrem animi totas ſeptem per devia Lunas
Erraſſe in ſolis ſilvis; non luminis ille
Phœbei adſpexit radios, non ſueta relegit
Arma manu; ſqualent deſertis cæſtibus arva,
Nec cœtus pugilum, curſuſque agitantur equorum:
Tantum homines, lucemque averſus, & immemor auræ
Fletu indulgebat, & te cariſſime frater,
Te ſurgente die, te ſera nocte vocabat.
At quoties illum ſecreta in valle cientem
Ex alto gemitus, quoties ſuſpiria ruptis
Turbantem lacrimis tacito cum flumine lapſus
Audiit Eurotas? queſtu nocturna relugent
Taygeta, & latè vicinia mœſta Therapnes.

Quin

Quin [urebat enim penitus præcordia mœror]
Ante Jovem tales fertur fudiſſe querelas:
Huncne mihi pater, hunc vitæ immortalis honorem
Ingratum tribuiſti, ut fratris acerba viderem
Funera nec tantos finirem morte dolores?
Et nunc quid jam optem jucundum, aut dulce ſine illo?
Solus ego teneam terras, ubi vulnera præſens
Hauriam, & aſſiduus tractem? poſt ſedibus addar
Cœlicolûm, ille abſit Stygiis diverſus in oris
Unanimis? quid me ante tuo de ſanguine cretum
Profuit? aut quæ digna mali ſolatia tanti,
Das nato pater omnipotens? heu jungere curas,
Nec capere affatus alternave verba licebit
Amplius? iſſem imas fratri comes ipſe ſub umbras.
Non me tantus edat victum dolor: aurea juro
Sidera: non ullam valeo ſperare quietem.
Quod te per genua, atque tuum venerabile numen,
Per ſi qua eſt lacrimis mens non aliena precantum
Obteſtor, nati genitor miſerere, mihique
Aut fratrem redde, aut (hanc ſi via nulla finit ſpem)
Ne permitte ſolo: paribus da occumbere fatis.
Dixit & in gemitum, ac fletus prorumpit amaros,
Multa querens, crebroque appellans nomine fratrem.
Quis motus pietate, & magno victus amore
Juppiter a tenebris fratrem revocavit Averni:
Sideraque amborum cœleſtibus addidit oris.
Quæ non tantum æther, ſed pontus, & alta ſonantis
Æquora Neptuni norunt: quin ſæpe videntur
Opportuna polo, vi tempeſtatis & atro
Turbine deprenſis præſentia lumina nautis.

THESEUS SALA

UTINENSIS.

In obitum Barbadici.

HÆc conjuncta brevi teſtentur ſcripta ſepulchri,
Fata fuiſſe hominis, grandia facta Dei.
Perfidus agminibus, terraque, marique coactis
Sævit, ut & Venetos perdat, & Auſonidas.
At ſibi perfidiæ pœnas inducit, iniquo
Milite confertas dum vorat unda rates,
Hos Pius, atque Leo, certatim & fortis Iberus
Urgent; invictæ fœdus amicitiæ.

De Auguſtino Barbadico.

Victima, Victor, honos, reſeravit, perdidit, auxit,
Cœlum, Thraces, Urbem, ſanguine, morte, trophæis.

Jo: Baptiſtæ Marchetani.

Æquoreas ſpecie immani, formaque ſecabat
Undas horrendus, terribiliſque Draco.
Miratus monſtrum pelagi Rex territus, inquit.
Juppiter omnipotens æquore pelle feram;
Bellatrix Aquila, indomitus juſſuque Tonantis
Mox Leo decurrunt, dilacerantque feram.
Ergo Aquilæ pelagi telluris ſitque Leoni
Imperium pariter, cedat & ipſe Draco.

HIE-

HIERONYMI SALINÆ CÆCI.

Ad Poëtas.

CHaoniam canitis natam Jovis arbore glandem;
Legiferæ ſegetes munera grata Deæ:
Vos ulmos, & apes complentes nectare cellas,
Et tardos canitis læta per arva boves.
Vos & equum canitis, qui frena ſonantia mandit;
Atque arva, & multo gramine pingue pecus.
Sed mihi quid prodeſt audire hæc, ſi mihi deſunt
Glans, ſeges, ulmus, apes, bos, equus, arva, pecus?

In Joannam Aragoniam.

Adſpicis hem, properat quæ nunc elata quadrigis,
Cujus forma Deæ? num Cynoſura venit?
Non quia curvati ſquamoſis flexibus anguis
Membra ligarentur: num Jove nata Venus?
Duceret ante jugum niveas Cytherea columbas:
An Charis eſt? duplici juncta ſorore foret.
Num Juno? traherent pavones eſſeda picti.
An Luna? accenſas ferret opaca faces.
Eſtne Aurora? roſis ornaſſet tempora pictis.
An Diana? abſunt tela, pharetra, fides.
Num Pallas? regeret juvenilibus ægida palmis.
An Muſa? incuterent plectra, lyramque manu.

Quam tandem ipſe vocem? Regum de ſtirpe Joannam,
Divarum partes quæ regit una novem.
Qua ratione, dedit nitidum Cynoſura nitorem,
Et Venus ora, Charis lumina: Juno pedes;
Luna genas, Aurora manus, humeroſque Diana,
Virtutis Pallas munera, Muſa ſonum.

ALFONSI SALNESII.

De Federe inter Pium V. Pont. Max. & Philippum Hiſpaniarum Regem Catholicum, Clariſſimoſque Venetos, in Turcas compoſito.

Dialogus. Pontanus, & Ninibæus.

Pont. HEſperiæ dum Roma ferox labentibus annis
Bella movens Geticæ jactabat tela pharetræ,
Et trabeata ſuis gaudebat ſola trophæis,
O Ninibæe; faces ardebant inter utraſque.
Sed modo jam placidos ſecum componere vultus,
Incipiuntque novas rerum ſibi ſumere formas.
Nonne recordaris velut olim pila volabant
Adverſum Heſperias animoſo Marte phalanges?
Ut quoque Dardaniæ felix victoria ceſſit?
Quam modo teſtantur factis rutilantibus arcus.
Nin. Præteriti repeto, Pontane, miſerrima bella
Temporis; (heu miſero) dum facta nefaria volvo;
Mens, animuſque dolet. Quid enim niſi vera profari
Prodeſt? debuerant etenim concordia mitis,
Atque fides conſtans jungi: nec tanta periret
Gens Hiſpana ferox, necnon Romana propago.
Sed tandem tempus fugitivum cuncta revolvit:
Nam

Nam video poſitos ſublimibus arcibus ignes;
Et volitare focum rutilum ſuper aëra fuſcum,
Feſtaque per vicos fieri clamante Senatu:
Iſta dat Heſperiæ decus immortale Philippus
Gaudia Pontifici ſummo. Tu talia narres.
Letitiæque velis nunctantæ exponere cauſam.

Pont Regnant perpetuo contra fera regna tyranni
Bella Philippeis inſignibus; atque minaci
Officiunt Turcæ Chriſti rutilantibus armis.
Turcus atrox fidei noſtræ ſæviſſimus hoſtis
Pugnabat dubio crebro cum Marte Philippo.
Sed nunc tempus erit, quo barbara diruet arma
Heſperiæ dux altitonans, quo Boſphora tela
Rumpentur Scythicis paulatim clauſa pharetris;
Aut nigra jactantis penetrabunt viſcera Mauri.

Nin. Quomodo (ſi nullus regnare potentior atro
Orbe poteſt Turca, qui, jungens agmina diris
Grandia militibus, ſinuoſum diruet orbem:
Qui, velut horrendus Leo, nullæ parcere prædæ
Scit, vel jactandis qui gaudet ſæpe ſagittis,
Gorgoneis qui tela jacit compoſta venenis)
Concidet? o utinam tremefacta potentia præceps
Nunc eat: ut toto regnet pax inclita mundo.

Pont. Clariferos inter Venetos, ſcis, tempore noſtro,
Et rabidum Turcam ſatis impia federa cauſa
Mercis erant: quæ rumpit atrox ſine lege tyrannus
Bella movens. Quæ forte forent primordia noſtri
Magna mali, auxilium niſi duceret ampla poteſtas
Pontificis ſacri, vel maxima cura Philippi.
Nam pater ille Dei princeps, qui ſceptra gubernat
Eccleſiæ, & Veneti quorum per culmina cœli
Fama refert nomen, vires, & regia facta:
Et Rex Heſperiæ celeberrimus ille Philippus,
Unanimes fiunt; ut poſſint fundere Turcam.
Diſſociare poteſt hos Turcæ nulla poteſtas.
Stagnanti quamvis pelago diſcrimina tentent
Mille modis variis: Sed quid diſcrimina poſſunt
Adverſus Chriſti vexillum? perdita ferme

Reſtituet, durusque vagis ſuccumbet in undis
Thrax, cernes ruptas pelago ſpumante triremes.
Roma quid antiquos miraris grata triumphos?
Templa, theatra, domus, aurata palatia, pulchra
Geſta ducum, regesque tuos, & facta Quirini?
Temne triumphales arcus, & culmina famæ
Grandia, contemplans redeunt ut tempora regni
Saturni, veniuntque Jovis jam ſidera grata.
Nin. Lætitia premor [heu] nimia, dum talia narras.
Antiquos olim memini dixiſſe parentes,
Deficiet compreſſa Boæ per bella poteſtas
Ardua, & amplexu jungentur brachia firmo.
Pont. Omne latus cœli rumpetur pondere lapſo,
Igniferique cadent de ſummo culmine currus;
Et ſuper alta maris conſiſtent æquora lati
Sidera, & errabunt obſcuris tecta tenebris:
Et prius æthereos producere terra liquores
Nolet, & obliquo decurrent tempora curſu;
Quam ſolvatur amor fidus, quo jungitur almus
Chriſticola, aut pereat ſpatioſi machina mundi.
Orat dum ſupplex divina mente Propheta
Ille Deum, vincit; ſi deſinit atque precari,
Vincitur: eſt virtus fortiſſima: Sic modo vincet
Heſperus, & Venetus conjuncto numine patris,
Pontificiſque, ſacri. Jam nunc Hiſpania bellax
Barbariam vincet minimo pugnando labore.
O Ninibæe ſacræ paulatim barbara regna
Eccleſiæ (ſic alma volunt nam numina Chriſti.)
Parebunt. Nunc feſta facit ſolemnia Roma
Conſpiciens quantam ſibi det concordia felix
Lætitiam, vel quanta ferat victoria dulcis
Gaudia. *Nin.* Sic, credo, totum Pontane per orbem
Peſtiferi tremefacta jacet prius ampla poteſtas
Turcæ conſpiciens diræ præſagia mortis.
Pont. O Ninibæe ſacrum jam nunc oracula Divûm
Implentur, quæ ſacra refert ſcriptura: futurum
Cernunt eventum: fiet nam paſtor, & unus
Grex, ac Idolis Babylon truculenta peribit.

Nin.

Nin. Nunc reddam grates tali pro munere Chriſto.
Jam ſiquidem properant firmiſſima pignora pacis,
Nunc volo Martigenûm Romanûm feſta videre:
Et valeas Pontane, licet diſcedere nollem.
Pont. I Ninibœe bonis avibus: lætique fruamur
O utinam tantis feſtis: ut corda quieſcant
Aſſiduo ſævi belli defeſſa labore.

Navalis Victoria a Joanne ab Auſtria Claſſis Chriſtianæ Duce Generali, ex Turcis parta, brevis enarratio.

Vela dedit poſtquam curvis Hiſpanicus heros
Puppibus, Heſperiæ populoſæ labitur oris,
Fluctiſonum ſcindens æratis Nerea roſtris,
Oceani quærendo lares; ubi carbaſa Turca
Flata tenet, claſſemque feram, vaſtando propinquas
Chriſticolûm terras, Oriens quas fluctibus ambit.
Jamque per horriſonum pelagus dare vela triremes
Curabant, Thetidiſque vagos in gurgite cano
Perluſtrare ſinus: donec quæ littora verno
Proxima ſunt Zephyro linquunt, tanguntque Trinacriâ
Sicaniam; calida juxta quam Mulciber Ætna
Præparat arma Jovi. Siculo ſic carbaſa portu
Ad Mamertinos, claſſem componere causâ
Conſiſtunt, ubi miles erat generoſior optans
Arma movere truces in Turcas, & Venetorum
Inſignes homines roſtrata claſſe parati,
Et fremebunda ſacris Italûm gens apta trophæis,
Omnis quo portu ſe præparat. Ac ubi quicquam
Ordine compoſitum fuerat, dant æquoris undis
Velivolas proras: & tempeſtate ſerena
Itur ad Oceanum placidis ſpirantibus Euris.
Quæ poſtquam videre ſacri de gurgite Divi,
Obſtupuere; velut cum Dardana cominus arma
Laomedontei cernunt, ſubitoque timore
Concuſſi fugere procul, domibuſque ſacratis
Vulcani curant abſcondi: bella parare

Optan-

Optantes ducibus noſtris, quod per mare latum
Audebant ſic ire ſacri ſine numine Glauci.
Quos Neptunus amans belli, dominuſque minacis
Æquoris aſpiciens fugientes, undique clamans
Acceſſit; timidis quibus ardens talia dicit.
Credideram, ſuperi comites, vos numina vaſti
Eſſe maris: ſævum tenuit mea dextra tridentem;
Ardentes fluctus, & monſtra marina gubernans:
Vos etiam pelagi regere ardua clauſtra putavi.
Quod ſi vera profor; quænam dementia veſtros
Perturbare poteſt animos, ut corda timore
Urantur; patiemur enim, ſi numina ponti
Sancta ſumus, regnent alii? proh dedecus ingens!
Numne rapi impune Divorum ſceptra licebit?
E domibus propriis velli quis linquet in orbe?
Externos homines nobis hæc tollere clauſtra
Linquimus? & fugimus, cum nos victoria certa
Spectet? jam fremebunda nigri ſolvantur Averni
Flumina, concurrant animoſo Marte phalanges
Undarum: quæ quicquid aquis ſubmergere poſſint,
Undæ latrantes diſſolvas Æole ventos:
Circius ora replens ſpiret reſonante boatu,
Vulturnuſque rapax, ac Auſter fulmine pollens,
Et Zephyrus linquens clementis nomina, contra
Acres horrificus factus vomat ore ſuperbo
Flatus, & Boreas dominus ſeptemque trionum
Carbaſa compellant nigrantibus undique ventis.
Deſine Glauce nigras jam paſcere gurgite Phocas,
Et fias iterum tumidarum cultor aquarum,
Ut miſeris volvas contraria tela procellis.
Piſce ſedens reſona magno clangore tubarum
Per freta ſuſtollens animos, & nomina Triton.
Et vos cæruleis virides Nereides antris
Verſantes pugnate, feros ut fluctibus hoſtes
Volvatis. Siculos habitantes virginis inſtar
Sirenes ſcopulos, meliori carmina cantu
Concelebrate: viros molli dulcedine cantus
Vertite, & æquoreis mergatis vallibus; olim

Ut ſocios Ithaci truncos feciſtis Ulyſſis.
  Hæc cum dicta forent, miſſa formidine belli,
Omnis in arma ruit; cœpit quoque quiſquis adire
Mulciberum qui tela daret. Quo tempore Pallas
Armipotens Ætna verſans, petit arma ſonaci
Vulcano: quibus illa virum decorare Joannem
Auſtriacum flagrat. Quæ cernens ordine recto
Ire Deos in bella truces; Neptunia clamans
Numina, flammivomos oculis ſpirantibus ignes
Alloquitur, ſummo jactans de vertice criſtas,
Iratasque ferox tollens ad ſidera voces,
Talia facundo declamans ore profatur.
O Divi, cur tanta ſacras incendia mentes
Perturbant? gelidæque premunt hæc pectora curæ?
Quo ruitis? quo veſtra volant Mavortia tela?
Cui breviter Neptunus ait contendere cauſam:
Præcipue oſtendens, quanto percuſſa timore
Numina fugerunt amplas Jovialis ad ædes
Vulcani: cui pauca refert contraria Pallas.
  Poſſe latere Deos nihilum quod in orbe, putaram
Verſatur: vos arma tamen ſine lumine rerum
Accipitis, vultiſque ſacrum de culmine Divum
Dici, cum nullos ſulcantes æquoris alti
Cognoſcatis aquas, decepti bella parare
Curetis contra dominum; qui tollere quærit
Hoſtes, quos medio pelago diſcurrere cernit
Ut dominos: clarum non vos cognoſcitis illum
Heſperiæ regis fratrem? qui monſtra domare
Exoptat Turcæ, dicentis cuncta creata
Submitti imperio proprio, dominumque potentem
Eſſe cavi pelagi? Venetos non cernitis urbis
Cultores placidæ, qui tollere ſceptra furenti
Neptuno poterunt? Vobis hæc gloria Divi
Magna datur: pellant Hiſpanica tela furorem,
Barbaricum, qui ſceptra Dei rectoris aquarum
Arripuit: volvitque maris metuendus in undis
Verſari, nihilo faciens ſacra numina ponti?
Dicite quæ præceps veſtras inſania mentes

Verſat? ut indomitum linquentes æquore Turcam
Accepto medio ſeſe jactare triumpho,
Nunc contra placidos ventorum regis amicos
Arma movere fero certantia Marte velitis?
Nunc vobis, quas Turca ferox jam ſuſtulit, amplè
Reſtituentur opes Hiſpano vindice. Quod ſi
Heſperios animis contra pugnatis iniquis,
Non credam vos eſſe Deos. Mihi credite; Turcam
Vertite: ſecurum cernetis tempore parvo
Pontum, quem ditus nunc poſſidet ille tyrannus.
Hæc ubi dicta dedit fervens Tritonia Pallas:
Aſſenſere Dei. Boreas tamen omnia contra
Seſe facturum promittit: deſerit atque
Ille Deos fugiens ad tetri litora Turcæ.
Sed Pallas comitata Deis cito pervenit ante
Hiſpani ducis aſpectum: cui turba Deorum
Auxilium præſtare parat: venerando Joannem
Auſtriacum, veluti ſi numina fulgida Phœbi
Aſpicerent: omnes ad ſidera clara polorum
Extollendo manus clamant: Victoria certa
Eſt tibi; Turca ferox gelidis ſuccumbet in undis.
Tunc capiti Pallas galeam, clypeumque ſiniſtræ
Impoſuit, cœpitque ducem componere noſtrum
Armis, quæ dederat fumoſa Mulciber Ætna.
Sed jam tempus erat pugnæ: Quo forte triremes
Ordine diſpoſito veniunt, certamen inire
Curantes. Sed pauca prius fortiſſimus heros
Militibus referens generoſis talia dicit.
O decus Heſperiæ: ſi quando tempore belli
Pugnaſtis, Turcas telis ſuperando feroces;
Nunc magis, omne genus temnentes mortis acerbæ,
Debetis pugnare ſacri pro nomine Chriſti,
Defendendo fidem, quam barbarus iſſe fatigat.
Nunc tempus pugnæ, quo quiſquam nomina famæ
Acquiret magni defendens regna Philippi.
Nam ſi victores evadimus, omne ſubactum
Parebit noſtro imperio: Si barbara contra
Agmina (quod dominus nolit) nos æquore rumpunt:

Per-

Perdidimus regnum cum nomine. Temnite mortem,
Eccleſiæ ſanctæ pro numine tela moventes:
Nam qui privati fuerint vitalibus auris,
Æterne vivent; & mortua corpora ponto
Reſtabunt, animæ verum cœleſtia tangent
Sidera: orbe boni remanebit gloria facti.
Vos Deus omnipotens ad cœli gaudia dulcis
Magna vocat, duro ſi pondere corporis hujus
Exonerare parat, miſeriſque educere terris
In regnum ſine fine potens. Quo Chriſtus amatos
Amplectens animas placida virtute coruſcas
Jam veſtros perduxit avos. Pugnate feroces;
Nam vobis dabit auxilium Deus arbiter æqui:
Vobiſcum fertis dominum terræque, mariſque:
Aſt illis inimica favent nunc Dæmonis arma.
Quod ſi Chriſticolæ vos victi terga timendo
Vertitis, an patrios ſperatis tempore parvo
Poſſe videre lares, niſi captos? & ſuperatam
Heſperiam? totumque orbem concurrere bellis?
Sed quoniam Fortuna vocat clamore ſuperbo,
Ut tandem pugnæ ſolvamus tempora juſtæ,
Et vos magnanimos video, delector abunde.
Hic iterum ſævos hoſtes pater ille tremendus
Carolus aſpexit: verum decrevit in armis
Decertare, videns quam ſit Fortuna revolvens,
Eventus dubios promittens: nunc tamen illa
Nobis affirmat clarum ſpectare triumphum.
Poſſe quid eſt igitur quod poſſit pectora veſtra
Perturbare? equidem nobis victoria certa eſt.
Vos mare longinquos claudit; ne vertere terga
Poſſitis: vos nulla ſalus manet undique ſeptos.
Tempus adeſt, veſtri quo præmia magna laboris
Sumetis: nam Turca timet: dominuſque dolorum
Submerget pelago cum tetra gente triremes,
Ut merſo inſignem Moyſi Pharaone triumphum
Ille dedit, mergens falcatos æquore currus.
Orat pro vobis pugnantibus omne creatum,
Jamque Pii Quinti ſummi jejunia Patris,

Et

Et ſacra, placarunt iram clementis Jeſu.
Romani terræ domini, pelagique patentis,
Atque Quirinales patres, genteſque togatæ
Summi Pontificis juſſu: qui fœderis hujus
Adverſus Turcas pharetratos extitit auctor,
Hic adſunt; Quorum imperio quod lumine, matris
Sol rutilus luſtrat flammanti, paruit amplæ.
Præterea Veneti cultores urbis aquoſæ:
Quorum ſi tantis Reſpublica mota procellis
Non eſſet varioſque daret Fortuna labores,
Sola valet Turcam bellis ſuperare potentem.
Nunc partum pugnis aliis Romanus honorem
Oſtendet: Venetuſque ſuæ fulgentia famæ
Signa dabit pugnans. Italûm gens undique bellax
Indomiti cordis decorabit nomina factis.
Tres ſumus unanimes, quorum ſi quiſquis adiret
Hoc munus, ſolus pelago ſubmergeret hoſtem.
Fortiter eſt igitur pugnandum vel moriendum.
Tunc tacuit, rigidus vexilla minantia Turcis
Expandens. Quibus aſpectis non parvula miles
Gaudia ſuſcepit, promittens corde ſuperbo
Tradere ſe pugnæ, quamvis diſcrimina tentet
Mille; licet morti mandetur tempore belli.
Tunc heros genibus flexis veneratur adorans
Effigiem innocui referentem vulnera Chriſti,
Quam vexilla tenent cœleſti tincta colore.
Et ſic exclamans ait. O moderator olympi
Chriſte nitens: ſanctæ bellis qui conteris hoſtes
Eccleſiæ, tollens infandis regna tyrannis:
Nunc ſiquidem licite pugnamus, regia Turcæ
Sceptra mari fundas; ut te ſine fine bonorum
Laudemus dominum. Ne linquas quæſumus undis
Hunc mergi populum, propria quem morte paraſti.
Auxiliare tuis: oculos converte precamur
In nos: nam quoties placidos oſtendis ocellos,
Vincimus audaces hoſtes, lætique triumpho,
Collaudare tuum incipimus per ſæcula nomen.
His dictis incenſi animi dant ſigna trophæi

Venturi: nam quiſquis avet ſe tradere morti,
Omnibus unus amor belli, licuitque vadoſo
Fortunam tentare mari. Sic ordine miles
Currentes animo juncto prorumpit in hoſtes.
Jamque quieſcebant undæ: cum quiſque videre
Cœpit ab anguſti venientes arce triremes
Naupacti, quærendo malum: quod manca pararat
Fortuna. Ac ubi conjunctæ fuerant, cito cantant
Claſſica: nam reſonat ſtrepitu taratantara magno,
Inter utraſque pari concurrunt Marte triremes,
Raucarum ſubito motæ clangore tubarum,
Atque prius crepitando ferox bombarda ſonabat
Horriſono ſtridore ruens; rumpendo triremes,
Et lacerando feros homines. Hic rupta triremis
Viſcera ſciſſa tenens mediis demergitur undis,
Ruptaque, veliferi ceciderunt pondera mali;
Combuſtæ proræque cadunt, puppeſque recurvæ.
Tunc tonitru certare polos, vel in æthere nubes
Credideram, labique ſacro de culmine currus.
Sed Boreas curans promiſſis ſtare, juvabat
Principio Turcas, inflans currentia ponto
Vela nigro: verum comites cum vidit in atros
Ire hoſtes, ſubito linquit commercia Turcæ,
Et venit ad noſtros jam circiter arma moventes.
Qui poſtquam juncti fuerant, ſine mente timoris
Ad gladios venere truces: hinc pila volabant,
Et contra jaculis pugnabat certus, & arcu
Turca minax, Scythicis juxta pugnando ſagittis.
Interea juvenes fortiſſima tela gerentes
Pontibus exponit validis Hiſpanicus heros:
Ut quidam Turcæ valeant ſuperare recurſus,
Per remos aſſi currant, vincantque triremes,
Ingrediendo feris pugnent ut fortiter armis,
Turcarum mittantque rubro nigra corpora ponto.
Impaſti piſces lapſorum vulnera lambunt;
In mediis undis: nam tunc Neptunus ad antra
Cæruleis portare facit, quæ mortua, lymphis
Corpora ſunt laniantque avido diſcrimine piſces.

Protinus Auſtriacus jam tunc dux agmina Turcæ
Perſequitur, veluti nobis promiſerat ante.
Intortis nam membra jacent pelago obruta telis
Maurorum: medium corpus tranſverberat ictu
Cuſpis acuta, figens ſpumantia corda retorquet.
Non lorica moras, nec ferrea pectora præſtant,
Ne rumpant calidi præcordia corporis enſes.
Labitur hic moriens, recidens ſuper arma, cruorem
Ore vomens. Hiſpana tamen clamoribus inſtant
Agmina: dum cernunt meliori Marte triremes
Vincere; nam pelagus tam multa cæde rubeſcit,
Nec non Turca tremens jacet obrutus undique telis.
Sed noſtri tandem ſupero jam Marte triumphum
Ducentes, victam retinebant æquore claſſem.
Plures biſcentum celeres rapuere triremes:
Turcarum periitque ducum gens inclita pugna.
Quod poſtquam vidit Libycæ Carthaginis ille
Perfidus everſor, nec non Algiricus atræ
Confugiens Rex mortis onus, maris ardua tentat
Culmina cærulei: quem non potuere fugacem
Rumpere. Nam nox alta ferens prænuncia ſomni
Vergebat, triſtis chaos inſcrutabile mortis.
Et jam per duodena vehi Sol aureus aſtra
Liquerat, igniferis conſiſtens curribus, alta
Sede tuens tacitæ jam Lunæ lucida ſurgunt
Cornua: cum noſtri gaudentes Marte ſuperbo
Junguntur, (res digna notâ) per lata videres
Æquora Turcarum devolvi corpora tali
Junctâ modo, ut nemo poſſet diſcernere pontum
Inter collapſos Turcas. Quos turba Deorum
Ponto ſubmergens in nigrum mittit Avernum.

Summe pater cœli, terræ moderator, & undæ,
Quem tibi dant cœlis tanto pro munere, terrâ
Detur honos: curent Mortales reddere grates:
Jam ſiquidem cernunt cariſſima pignora pacis
Hoſtibus extinctis, tigres quos collibus atræ
Hircanis aluere, ſilex genuitque Sicanus.

Victor ovans propera; nam te Capitolia Romæ

Con-

Condecorare volunt, & laurea ponere ſerta
Invicto capiti: veluti poſt Gallica bella
Cæſar abeſt, vetereſque duces, Parnaſſia laurus
Ornavit quorum viridanti tempora ramo.
Fama erit, Auſtriace, toto celeberrima mundo
Hæc tua: nam te ſaxa vocant, & monſtra potentem.
Et leo qui ſenſit ferratæ vulnera clavæ
Amphitryoniadis, cernens te monſtra domare,
Corruet ante pedes. Ardens Bellona timebit,
Marte ſedente fores claudentur, reddet honores
Parthenope lætos ob nuncia grata quietis.
Namque tibi Deus omnipotens, moderamine mundi
Unâ concedet poſt Martia prœlia claras
Cœlorum penetrare domos, & fulgida clauſtra.

JO: BAPT. SALVATORINI

MEDIOLANENSIS.

Somnium ſuum: Ad candidum Lectorem Præfatio.

ARtis Apollineæ ſtudium, mihi pectore in imo
Fixit Olympiacæ mirum virtutis amorem,
Quæ mihi mox aliquid pareret memorabile digni
Nominis, & famam lucentia ad aſtra referret:
Cumque volutarem, Juvenes, nunc dulcia furta
Carminibus celebrare ſuis, Puerumque minacem,
Sive aliud, quod jam veteres cecinere Poëtæ,
Conſtitui tentare viam, quà tollere poſſem
Nomen humo, & tandem tenebris emergere victor,
Atque Panomphæo Patri pia munera ferre.
Ergo ſollicitus cupida dum mente revolvo,
Quid ſequerer, veterum num ſola Poëmata vatum,
Qui curas dixere Deûm, convivia, luſus
Carmine facundo, Lethes quod mergitur unda.
Num canerem, quod ſancta jubent mandata Tonantis,
Et Chriſti lex mera foret, quæ ſplendida quamvis,
Et vitæ recludat iter, veræque Salutis,
Non verbis ſpecioſa tamen, nec texta diſerto
Ore: Sed hæc tandem potior ſententia viſa eſt
Res Chriſti (ſi fata darent) celebrare latino
Carmine, & electas vili de pulvere gemmas
Egregias, fœdiſque micans de ſordibus aurum
Æthereo libare Patri, gratiſſima certè
Munera, quam molem paucos ſubiiſſe videmus,
Quique tamen vigili ſtudio, Superûmque favore

Pon-

Pondus id aggreſſi, Daphnes cinxere corona
Tempora, & inſigni petierunt ſidera laude,
Conſtat eos ætate gravi ſudaſſe ſub atro
Pondere: jam variis aderat Prudentia rebus.
Quapropter licet haud frontem Phorcynidis unda
Abluerim, nec flore genas mihi prima Juventa
Vix decoret, tamen ingenti perculſus amore,
Virtutis, Sophiæque ſacræ, Phœbique ſuperno
Numine fretus, ab his exordia ſumere duxi,
Quæ minime vulgata forent, quæ grata Parenti
Æterno, cui ſola ſat eſt humana voluntas.

SOMNIUM.

Rex hominum, Divumque Parens, Altiſſime rerum
Conditor, imperio cujus Phlegethontia Ditis
Regna tremunt, terræque ſolum, cœlique profundi:
Tu Pueros animare ſoles ſermone diſerto,
Qui fulti Bonitate tua, non ignea regum,
Sanguinei non ora ducis, non Principis horrent.
Cernis ut audaci penetro rutilantia cantu
Sidera, & æthereas ſedes, mens ardet in altum
Surgere, ſed deſunt vires, niſi Numina nobis
Sint tua dextra; Precor, ne dedignare precantem.
Da referam, quæ viſa mihi, dum noſtra ſoporem
Lumina carpebant placidum. Da maxima poſſim
Tecta Deûm, Cœlique Decus percurrere verſu,
Da liceat Juveni capto virtutis amore
Ferre per hos fluctus pelagi victricia vela,
Qui ſubeat tandem portus, puppimque corona
Virgineæ lauri decoret: nihil inchoat altum
Te ſine mens hominum, præſens illabere vati,
Divinis accende mihi præcordia flammis;
Quicquid id eſt tibi, Summe Pater libamus ad aras
Cordis, & hæc primæ tenuis cape dona Juventæ,
Quæ precor aſpicias ſicut gratiſſima primi
Munera paſtoris: ſed jam mea pectora tangit
Ecce furor, cantuque jubet ſudare ſub axe.

Humentis jam ſigna capri Titania lampas
Liquerat urnigero Juveni vicina, diemque
Attulerat, magni ſoboles qua vera Tonantis
Pertulit Hebræam legem, qui primus acuto
Marmore membra ſibi ſecuit pudibunda, capeſſens
Juſſa Dei; croceoque nitens velamine conjux
Aurea Tithoni, currus e gurgite vaſto
Tethyos extulerat, tenebris Oriente fugatis;
In tecti cum ſolus ego penetralibus almas
Invigilans amplector opes Heliconis, & Artes
Humanas, varumque Patrem; nam perfida nobis
Occluſit Fortuna viam, quæ ducit ad alta
Caſtra ſati Stagira brevius, ſeu Cæſaris almi
Cui tantus debetur honos, quod corpus in unum
Clauſerit antiquas leges, Juriſque nitorem;
Sive Patrum conſulta, Dei qui maxima ſceptra
In terris, triplicemque gerunt qui fronte coronam:
Sive Senis Coi, medicaſque Machaonis artes,
Cum ſtudiis igitur mea mens hæreret, alumni
Tunc Samii ſublime nota, dextrumque cacumen,
Hac ratione Deûm ſedes, ſuperoſque receſſus
Scandere nitebar, tenebraſque repellere fama,
Hæc colerem dum rura, quibus memorabile nomen
Annibali ſervatur adhuc, qui martius Heros
Romulidas torpere gelu cum cerneret hoſtes,
Cum Duce Sempronio ſtatuit committere pugnam
Non procul a Trebia, victor retulitque trophæum;
Ecce mihi ſubito declinat lumina Somnus,
Somnus iners, qui ſæpe monet ventura, canitque,
Quæque latent ſemota procul præſentia reddit;
Atque ita deponens placido perfuſa ſopore
Tempora deduci in pratum ſum viſus amœnum,
Quod vario ſub flore virens referebat honorem
Veris, Agenorei ſurgunt ubi lucida Tauri
Cornua, cum rident nitidi per rura colores,
Felici cum gaudet humus ſub ſidere, paſſim
Cum ſemen genitale Venus Cytherea poſcit.
Non ibi Bacchea Cynareja cortice myrrha,

Aja-

Ajaciſque comæ deerant, & thurea virga;
Et crocus, & viridans vulgo redolebat Amomum,
Atque decus Narciſſe tuum, violæque nitentes,
Et Thymus, & Nardi ſuave ſpirantis ariſtæ,
Et Coſti, Caſiæque ſeges, Balanique, roſæque,
Liliaque, & molli ſudantia Balſama ligno,
Cinnamaque, & flores Arabum, Cythiſique virentes,
Et quicquid nemore Idalio, Cilicumque viretis
Naſcitur, ac aluit quondam formoſus Adonis:
Quas avidus telluris opes cognoſcere, circum
Omnia luſtrabam: medio non pervius ulli
Quadrupedum generi, Natura factus, & arte,
Fons vitrea ſurgebat aqua, quem plurima propter
Arbor erat, lateque ſuos tendebat in altum
Vertice ſublimi ramos, Mauruſia citrus.
Ac abies, & fagus ibi platanuſque vigebat,
Phyllidis atque comæ, Cybele & gratiſſima pinus,
Myrtus Acidaliæ Veneri dilecta, Joviſque
Conſcia fatorum ſublimis & Herculis arbor,
Tinctaque Thysbeo candentia poma cruore,
Buxus, odoratæ Cedri, Bromiique corymbi:
Perpendens quæ cuncta duas excelſa cacumen
Sidera mirabar lauros attollere, quarum
Altior una caput ſummo condebat Olympo,
Stelliferaque Deûm Patria, ſolioque Tonantis,
Sub quibus, allicerent multum cum lumina noſtra,
Lætus odoriferos ſtatui decerpere flores,
Quos pratum virides inter produxerat herbas,
Conabarque caput celebri redimire corona,
Huic vigil incumbens ſtudio, cui mente licebat,
Et frondes, baccaſque levi quas flumine lauris
Heſperia flans ventus humi decuſſerat, inter
Texebam, cupiens noſtram circundare frontem,
Cederet huic certe nemori celeberrima cantu
Sylva tui Corcyra Ducis, rutilanſque ſororum,
Fulva tuebantur vigiles ubi poma Dracones;
Atque ita dum volvo cupidus vaga lumina circum,
Ecce Jovi qui tela gerit ſecat aëra pennis

Ales, & arripiens me tollit in æthera leni
Ungue, nec offendit quicquam; Ganymedea ut olim
Dardanium rapuiſſe ferunt, qui dulcia Regi
Pocula Gnoſiaco gelida perfunderet unda.
Utque tulit vatem capiens in vertice ſacro,
Unus Olympiacis aſtans ex ſedibus, eſcam
Fatidico ut Juveni ferret, qui vana Deorum
Numina ſpernebat, Beli & ſimulacra nefandi,
Juſſus & idcirco a populis in carcere claudi,
Atque pium rigido caput objectare leoni,
Sed ferus innocuo Superum pietate pepercit,
Qua conjux pharetrata Nini circundedit urbem
Aëreis celebrem muris, atque aggere cocto;
Aut veluti claro dilapſus ab æthere vatem
Suſtulit ignicolor currus, Titanis ad ortum,
Mater ubi primæva dolis decepta Sathanæ
Mortiferis vetitas fruges admovit ad ora;
Haud aliter me crine tenens Regina volucrum
Aëra per vacuum mediam tranavimus oram,
Qua gelidæ tantum nubes gignuntur, & imbres
Aëris affectus, regio namque altior igni
Æthereo vicina calet, virtuſque vapores
Si traheret Phœbea, calor disjungeret, aër
Vinceret humores, rapido quia proximus igni,
Qui tandem conſumit eos, & in aëra ſiccum
Vertit & hac cauſa varios ardere cometas
Cernimus ingentes ſolitos prædicere motus;
Propterea credebat in his longæva vetuſtas
Tractibus aëreis Vulcanum cudere Patri
Arma Jovi, ſævaſque faces, ictuque triſulco
Fulmina, quæ ſonitu medias ſcindentia nubes
Mortales terrere ſolent; hinc horrida grando
Et Cereri metuenda ſonat, dulcique Lyæo,
Hinc ſtrepit horriſonum tonitru, gelidaſque per alpes
Expuitur nix alba, tonant Eurique, Notique.
Hic domus eſt Scythici Boreæ, Zephyrique tepentis,
Quæ loca traicimus, nobis ac eſſe per altum
Æthera cœpit iter, qui purior aëre ceſſit:

Hic ego deſpiciens vaſti maris æquora vidi
Ut cingunt telluris onus, quæ corpore toto
Sit licet una, tribus membris diſcernitur; arva
Boſphorus Europes, Aſiæ ſejungit ab oris,
Et Pontus, Phryxea ſoror cui nomina fecit,
Et Tanais, qui regna petens horrenda Thoantis
Præcipiti rapidus ruit in Mæotida curſu;
Aſt Aſiam Libya diſtinguunt flumina Nili.
Et mare quo periit Princeps Ægyptius olim
Contemnens mandata Dei minitantibus armis;
Finibus Europæ Libyam diſcriminat æquor
Herculeum, qua condit equos Sol lucidus undis,
Et Pharium pelagus, qua ſtat Mareoticus Auſter:
Atque ita tunc animo referens mortalia rempſi
Regna humileſq; domos hominum, terramq; jacentem:
Heu cæca humani generis prudentia; quantum
Nubila mens ſemper, quæ numquam proſpicit unde
Venerit, aſtriferos nec lumina tollit ad axes,
Nec ſtudet ad patrios umquam remeare Penates:
Sed tantum miratur opes, hæc infima tantum
Tecta cupit, parvique facit ſublimia regna,
Maxima nec credit dominari Numina terris,
Incerto ceu cuncta putet contingere caſu:
Si nobis mens recta foret, generoſaque; Mundi
Illecebras, luteaſque domos, vitamque fugacem
Divitiaſque leves nihili faceremus, & eſſent
Quæque voluptates odio, cæleſtia ſemper
Regna ſtuderemus Superûm præcepta ſequentes
Scandere, & ambroſiis epulis accumbere Divûm;
Namque globus telluris iners collatus Olympo
Eſt tetro ſpelunca ſinu, quam circuat humor
Tartareæ Stygis, & mœſtæ Cocytides undæ,
Adde in nos quod ſæva jacit Fortuna ſagittas
Ardentes, miſeroſque ferit, ſuſpiria, fletus
Et lacrimas, gemituſque parit, longoſque dolores.
Sic repetens ſortis noſtræ infortunia mecum
Deflebam, cum nos Hecate indiviſa recepit,
Integra ut ardentes radios Hyperionis, unda

Huic

Huic nitidam lucem infundit germanus Apollo,
Omnia quæ vario motu terrena gubernat,
Cernere jamque licet. clarum qua fronte per orbem
Læta ſuum Majæ ſoboles volvatur. Et ecce
Illuſtri ſplendore micans Cythereius ignis:
Hæc duo Phœbeum comitantur ſidera lumen.
Nec rutilo procul orbe ferunt veſtigia: Cumque
Inſpicerem, jam natus adeſt Titanius, amplo
Qui pelagus, terræque ſolum complectitur ore,
Aſtrorum ſublime decus, nitidiſſima lampas,
Jamque mihi terquinque ſuos perfecerat orbes,
Virginis Icariæ poſtquam ſub limine primo
Lumina naſcenti arriſit lætiſſima pandens;
Dumque jubar ſacrum veneror, radioſque benignos
Vatibus egregiis, celeri tranare volatu
Cœpimus horribili minitantem incendia vultu
Mavortem, morboſque graves, & noxia bella,
Ignea cui facies, radiis oculique micantes,
Sævaque Bellipotens in me dum lumina vertit,
Juppiter excepit placidus nos fronte ſerena;
Sed tamen horrebam cernens referentia plumbum
Ora Senis, falcemque feram, ſyduſque malignum:
Jamque propinquamus cœlo, quo pulchra locavit
Sidera Rex Superûm, cum magnum conderet orbem,
Hic duodena micant animalia fixa nitenti
Signifero: Princepſque Aries in vellere fulvo
Reſplendet: Tauruſque ſuam qui Gnoſia ad arva
Vexit Agenoriden Tyriæ per Doridis undam.
Dehinc Helenæ gemini fratres Ledæa propago:
Torrida & hinc ſequitur Cancri flammantis imago,
Æthiopum quo rura calent, & Gangis Eoi:
Atque Leo clava compreſſus ab Hercule magno,
Namque Molorche tuos ſaltus vaſtaverat omnes,
Sydus & Icaridis rutilans: & Scorpius ingens,
Signaque chelarum tenebras æquantia luci;
Deinde potens arcu Æmonio nutritor Achillis:
Atque Caper Neptune tuus: Trojanaque proles
Gnoſiaco dilecta Jovi & Cythereidis aſtra.

Cla-

Clara quibus Phœbæa patent veſtigia ſignis.
Præterea latè aſpiciens, immobile cerno
Sydus Horizontis noſtri, quo vela gubernat
Nauta per æquoreos fluctus, ſtellataque circum
Arctophylax tua plauſtra, duos videoque Triones,
Heſperidumque feram flammis tergumque nitentem
Quæ magnis utraſque ligat complexibus Arctos,
Et fulgens Ariadna tuum Baccheja munus;
Dehinc Proles invicta Jovis, quæ victa coëgit
Monſtra ſubire jugum, ſpolio decorata leonis,
Et Lyra, qua Geticum vatem placaſſe leænas
Fama refert, auraſque noti ſtraviſſe furentis
Cernitur, & volucris, cujus recubare ſub alis
Fecit Amiclæam Juvenem Rex Juppiter olim,
Et pater Andromedæ quondam regnator in arvis
Æthiopum; forma quæque auſa laceſſere Nymphas
Oceani, & pœnas dat adhuc pro talibus auſis,
Sidereis vincliſque nitens Cepheïa Nymphe,
Quemque tulit Danaë decepta cupidine fulvi
Roris; Equoſque audax docuit qui jungere primus;
Ante oculos quæ lacte Jovem celebrata Capella
Pavit; & Anguitenens Phorbas Triopea propago;
Herculis & magni telum, quod dicitur olim
Occidiſſe feram volucrem, quæ corde Promethei
Ora cruentabat, ſaxis ubi Caucaſus horret;
Atque avis, illuſtrem puerum quæ Regis ab Ida
Suſtulit; et Delphin domino dilectus aquarum:
Atque Meduſæo gemitus de ſanguine præpes
Bellorophontis equus, ſacram qui protulit undam,
Qua ſoliti magni vates immergere frontem;
Et tria Deltoton ſignantia ſidera Grajum
Admiror, Cetumque neci Danaëius Heros
Quem dedit; & Phaëtontis aquas, Leporemque fugacem
Quem ſequitur canibus venans armatus Orion;
Et malum ratis Æmoniæ, qua maxima Proles
Æſonis, & Grai comites Phryxæa petentes
Vellera, Colchiaci regis ſubiere Penates;
Dehinc ſanguis Saturnie tutus Phyllirius Heros,

Dona Jovi ſacrata ferens, quo juſtior alter
Non fuit, aſpicitur; flammiſque micantibus Ara,
Et nitidum Cratera petens Phœbejus ales,
Gutture quem ſicco ſitientem curva moratur
Hydra, nec optatos ſinit exhaurire liquores;
Et Piſcis cui prœbet aquas Puer undique ore;
Plejadas & Tauri vernas a clune micantes;
Quaſque corymbifero Infanti admoviſſe feruntur
Ubera reſpiciens, luſtro, pulcherrima & aſtra
Multa coruſcanti flammâ, queis Græcia nondum
Nomina, & altiloqui cantu finxêre Poëtæ;
Omnia quæ cernens lucentia ſigna Parentis
Æterni mirabar opus, dumque ipſe revolvo,
Obſtupui ſubiens in nona volumina Cœli;
Hoc alios rapiens valida vertigine ſecum
Volvit ad occiduos Indorum partibus orbes,
Qui proprio motu ex Zephyro volvuntur ad Eurum,
Ferre licet primi motus cogantur habenas;
Dehinc vitreas ſuperamus aquas glacialis Olympi,
Cui nitor impoſuit nomen cryſtallinus. Ecce
Jam nobis poſtrema patet cœli ora micantis
Ignibus æternis, ubi maxima præmia Divûm;
Hic me depoſuit pedibus Jovis armiger uncis,
Suſtineat quamvis Phœbeam lampada viſu,
Cum tremulo tantas non poſſet lumine flammas
Cernere, nam tardant oculos contagia molis
Corporeæ, ceu Nyctimene non inſpicit ignes;
Adfuit extemplo Superûm a Patre miſſus, Jaſpis
Ornabat quem fronte nitens, & læna tegebat
Candida, quæ gemmis dives fulgebat, & auro,
Flavaque cæſaries per lactea colla refulget;
Hunc ſimul ac vidi caput inclinare, genuque
Flectere conabar, tanto commotus honore,
Ille ſed erexit ſtratum, dextraque prehenſum
Continuit, monituſque mihi dedit ore benigno.
Quid facis? haud equidem ſacro me dignor honore,
Hoc tantum venerare Deum Numenque triforme,
Et Dominum cognoſce tuum, qui juſſit adeſſe.

Me tibi, ut oſtendam Superûm felicia regna;
Non datur hoc cunctis, ſed quos vocat æthere ab alto.
Unus ego ex ſeptem, qui fulgida ad ora Tonantis
Aſtamus, Phœbique orbem properante rotatu
Torqueo (ſic enim ſtatuit moderator Olympi]
Ne paveas, tutum ſummo te limine ſiſtam,
Num dubitas Cœli ardentes te inferre per oras?
Me duce quem Superis præſentibus edidit Anna
Dives, & incolumis Medo remeavit Araxe,
Ditis & evaſit laqueos, funuſque paratum.
Hic ait, & rutilos capiens me duxit in ignes:
Empyreæ ſublimis hic eſt fulgentior aſtris
Porta Domus, gemmis dives radiantibus, auri
Materies precioſa micat, nitiduſque pyropus,
Perſpicuo & lucem jaculans carbunculus ore
Non deerant, Phœbum dicas fulgere nitentem:
In medio late viridans reſplendet Jaſpis,
Sapphyrique decus flavi, rutilique topazi,
Sardonichyſque rubri, venienſque a chalcide gemma,
Cryſolithuſque micans radios ad Apollinis alti,
Deſidiamque fugans, morbos jecoriſque beryllus,
Sardinuſque lapis, viridis, caſtique ſmaragdi
Splendor, & Eoo cryſopaſſus ab amne petitus,
Flavet & œbalii retinet qui nomina floris;
Purpureus madidum reprimens amethyſthus Jacchum;
Has variis ſpecioſa fores emblemata ſignis
Ornabant, vivoſque hominum referentia vultus,
Hæc longè [ſi humana licet componere Divis]
Egregii ſuperant ſpirantia ſigna Myronis,
Phidiacæque manus, excuſaque molliter æra
Lyſippi, & facile amittit collatus honorem
Praxitelis decor, & celebres Euphranoris artes,
Sordet & ingenium Myos, & Polycletica virtus,
Mentoreuſque labor, fama & Theodoria cedit;
  Nam patet exculptum, felicem Chriſtus ut alvum
Virginis intactæ ſubiit: mox editus auras
Ad ſuperas ſub rupe cava, Latonia proles,
Noctivago poſtquam curru luſtraverat orbem

Signi-

Signiferum novies; Et natum deinde Tonantem
Ut prono coluere genu, tria dona ferentes
Perſidis Eoi Reges, quos duxerat Aſtrum,
Aſtrum, quod veteres olim cecinere Parentes:
Præterea cælatus ineſt Baptiſta Deorum
Nuncius, innocui qui perfundebat Jeſu
Amne comam, ſupraque ſuum fulgore tegebat
Auricomo natum Pater omnipotentis Olympi:
Atque ſalutari monitu revocâre videtur
Ad veræ virtutis opes a crimine plebem,
Reſtituenſque hominum vires in priſtina Chriſtus
Pectora depellit morbos, queis nulla magiſtri
Pharmaca Phyllirides, non ars Phœbæja prodeſt;
Voceque perſpicua populos ad pocula vitæ
Vera vocat, Patriſque ſui felicia pandit
Jura, docetque viam, liceat qua ſcandere cœlum.
Et tandem cælata patent ſanctiſſima geſta
Omnia Divinæ Sobolis, quam magna caterva
Divorum ſequitur, manibuſque inſignia palmæ
Invictæ radiant, poſt hos exercitus ingens
Pontificum caſtam voluit qui ducere vitam,
Quique homines vixere pii, vitiiſque nefandis
Erexere caput, Ducis & mandata ſequuti.
Atque opus hoc avido perlegi lumine totum;
Cumque volutarem Divûm præconia mente,
Ecce ſenex venerandus adeſt, qui limina ſervat,
Viribus inſignis, mento cui plurima pendet
Canicies, cui ſtant ardentia lumina fronte,
Quem radians fulgenti auro circundat amictus,
Gemmiferi totum rutilantes pectus Hydaſpis
Illuſtrant. & Gangis opes, Arabumque lapilli,
Et caput Iliaco decorata labore tiara
Velat, & egregiis manibus duo tela refulgent,
Ductoremque meum verbis compellat amicis,
Antiqui memor officii, reminiſcitur annos
Præteritos, atque hos veluti præſentia cernit
(Omnipotens dedit hæc etenim Rex munera Divis)
Tempora, cum fuit Herodis conjectus in umbras,
Et

Et fractis eduxit eum de carcere vinclis
Dux meus incolumemque foras evadere juſſit:
Miratur me deinde, videns, vultuque ſevero
Hæc dedit. Heus Juvenis, cui curas parturit ingens
Jampridem virtutis honor, duroſque labores:
Dic age: Mortali tibi quæ nunc cauſa Polorum
Suaſit iter? viviſne parent hæc invia regna?
Pauca ſub hæc inquit Ductor: ſi maxima primi
Noviſſent mandata Dei ſervare Parentes,
Scilicet hæc eſſent Superûm palatia vivis
Pervia, ſed poſtquam Pietas offenſa nefando
Crimine, ad hæc magni rediit ſublimia cœli
Regna, parens hoc clauſit iter, tamen omnia pandit
Cui libet altitonans, haud lege coërcitus ulla;
Ergo Dei juſſu, facilis cuicumque petenti
Qui favet, atque preces humanè ſuſcipit omnes.
Ducere per Cœli tractus, Divûmque Penates
Conſtitui hunc Puerum, ſedes ut cernere poſſit,
Præmiaque ætherei civis: nam proderit illi
Æternas vidiſſe domos, atque ora Tonantis,
Et poſthac caſus audentior ibit in omnes,
Telaque Fortunæ ſpernet, ſævoſque labores
Vincet, & illecebras Mundi, virtutis amore,
His quoque non oberit, quorum referetur ad aures.
Mox ſenior mihi dixit. Habes quæ munera vivi
Ferre ſolent? illis cum limina ſcandere Sancti
Ætheris alta licet, ſummi pietate Parentis
Profer, & oſtendas fulgentia pignora nobis:
Tunc ego. Dive ſenex, repetens cui maxima Patris
Regna ſuas commiſit oves, & paſcua Chriſtus;
Hic nihil eſt (oculis tibi fas id cernere) tantum.
Hæc mihi ſunt abiens terris mortalia liqui
Cetera. Scis nobis Hermi non eſſe fluenta,
Stagnave Pactoli, non aurea flumina Gangis,
Non magni Salomonis opes, nec munera Xerſis,
Hic mihi dux contra ſic fatur. Id extrahe coſtæ
Quod levæ geris in medio. Tunc ora loquentis
Atque ducis verba inſpicio, rerumque mearum

Con-

Conſcius admiror, tamen hæc mandata capeſſo,
Atque ſinu dextram injicio. Tunc corde revelli
Imo viſa mihi foliis, & vimine virga
Aurea, & extraxi ramum, quæ fulgida Petro
Munera porrexi, vultuque accepit amico
Janitor, & nobis aditus reſeravit Olympi;
Ingrediens tacitus rutilantis limina miror
Interiora domus, effictaque mœnia in auro,
Qui mihi cernenti ſuſpenſo lumine, Ductor
Sic ait. Hic Mundi vobis incognita rerum
Fata volubilium; datur hæc excerpere nulli
Scripta homini, cui mens conjuncta cadavere languet
Cernere nec finitur Patriam caligine merſo;
Hæc ita Dux referens Cœli me traxit in aulam.
Panditur hîc Superûm ſedes, & regna beata;
Hîc ea magna quies, hic eſt ea læta voluptas,
Nemo poteſt quam mente ſequi; Quid maxima dicam
Præmia? & egregios celebris quos vidit honores
Palladis urbs quondam, domuit cum Perſica Regis
Arma Neoclides, vel cum Mavortia Roma
Victores mirata Duces, faſceſque ſuperbos
Geſtiit, omitto Perſas, Juvenemque Philippi
Invictum, Regeſque Syros, namque omnia Mundi
Gaudia, muneribus ſiquis componat Olympi,
Sunt nihil, & tenues fugiunt ceu fumus in auras;
Tunc mihi dux. Attolle acies: En cognita proles
Prima hominum, Paſtorque ſuâ qui cæde rubenti
Vir pius occumbens Fratris livore tumenti
Tinxit agros, quia dona Patri jucunda ferebat:
Hic Domini primus nomen ſublime vocavit;
Hic fortis, validuſque Faber; Germanaque præſtans
Viribus ingenii, varias quæ repperit artes:
Ecce ſenex, Divûm monitu qui condidit inſtar
Montis opus vaſtum, quo ſe tutatus ab atra
Illuvie, ſobolemque ſuam, volucreſque, feraſque;
Ille ſacer vates qui vos ſub imagine vidit
Humana cœleſte genus, qui vertice ſummo
(Struxit ubi Templum Sapiens Davidica Proles)
Ob-

Obtulit æthereo cariſſima pignora Regi.
Aſpice biſſenos Patres. Hic fronte ſerena
Pulcher Joſippus, Qui propter Somnia, Fratrum
Impulſus livore, Phari migravit ad arces,
Ægyptique ſolum, roſeo quam grata venuſtas
Ore ſedet: viden hunc! radiis cui cornua fulgent
Clara? dedit Solymæ Genti præcepta Tonantis.
Per medios & ſicca tulit veſtig a fluctus;
Qui ſequitur Bellator erat Dux inclitus armis
Et forti Mavorte potens, qui duxit in arva
Iſacidas promiſſa ſibi, quæ fulcat amœnum
Flumen Jordanis placidis comitantibus undis,
Quique ſoporiferam noctem cum cerneret umbras
Et nigrum proferre caput (victoria ut eſſet
Dignior, ac hoſtis majori fundere ſtrage
Regis Amorrhæi fugientia caſtra daretur)
Juſſit eam currus bijuges inhibere volantes,
Traxit & alipedum Clarii Titanis equorum
Lora, ſtetitque diu medio Sol aureus axe.
Femina bellatrix hæc eſt, quæ caſtra coëgit
Regis Aſoræi Solymis diſcedere ab arvis;
Illa potens animo, Patriæ victricia mœſtæ
Signa tulit, Ducis Aſſyrii fluitantia tabo
Colla ſecans. Aſt hæc mortis de faucibus olim
Eripuit genus ulta ſuum gratiſſima Regi
Perſidis, & Patrum ſummo decoravit honore:
Hic vir hic eſt divina canens modulamine ſuavi
Carmina, Jeſſæa veniens ab origine vates,
Sternere qui juvenis tenera lanugine vernans
Allophylum potuit fretus virtute ſuperna.
Ex hujus radice ſacra, ſerieque nepotum
Tot ſancti fluxere Duces, moderamine juſto
Qui populum rexere Dei, ſceptroque potiti
Servitii depreſſa jugo ſua regna cruenti
Eripere a ſævis manibus potuere Tyranni.
Huc propera. Cerniſne virum? quem ferrea turba
Diſſecuit Judæa, ſequens conſulta Satanæ;
Obrutus hic ſaxis, Patriæ dum crimina dira

Corrigeret, fœdamque viam damnaret Averni.
Fatidicum nunc cerne Senem, qui ductus in agros
Joachimo cum Rege, Nini qua martia conjux
Coctilibus cinxit muris Babylona ſuperbam,
Quemque tuli caput in ſummi vergentis ad Auſtrum
Montis, & oſtendi Regis mirabile Templum.
Tres Juvenes mirare, Dei qui vera colebant
Numina, ſpernentes ſtatuam, ſimulacraque vana,
Ignea, & idcirco juſſu fornace recluſi
Principis: æſtates ſeptem qui gramina carpſit
Pronus more boum, lætiſque erravit in arvis;
Sed timuit Vulcanus eos flammæque minantes:
Hic pater, & fortis ſoboles, quæ juſſa parentis
Cœlituum veneranda ſequens, a Rege receſſit
Antiocho; cultuſque Deûm contempſit inanes;
Illi omnes hæc regna colunt, cœleſtia Moſis
Sectarunt qui jura, vias legeſque ſequuti
Naturæ, verumque Deum novêre, priuſquam
Siderea nova progenies deſcenderet Arce;
Corde tuo nunc ſolve metum, jam ſumma tenemus
Culmina, jam ſummi Patris ſe Regia monſtrat:
Maximus hic Nymphes Chriſti Myſteria quondam
Novit Joannes, venturaque ſæcula, Patmo
Cum Cæſar damnaſſet eum, quia magna docebat
Juſſa Dei, veramque viam monſtrabat Olympi.
Nunc opus eſt animo ingenti, nunc pectore firmo;
Hanc tibi nunc nubem eripiam quæ lumina tardat,
Obſcuraſque parit piceæ caliginis umbras;
Dixit & æquales vidi Tres lumine Soles,
Æternos, & jure pares, ſceptroque perenni,
Qui molem fecere Poli, Terræque Mariſque,
Hancque gubernari levibus juſſere miniſtris
Mentibus æthereis: vitalia ſemina fundunt
Corporibus; Genus hinc Hominũ pecudumq; vagantum,
Et vitæ gregis æquorei, volucrumque volantum,
Atque horum implebat decies lucentior igne
Fulgor Apollineo, Cœlum, Terraſque patentes.
Ut radios vidi tanto ſplendore micantes,

Attonitus cecidi, vox & mihi faucibus hæſit,
Arrectæque comæ, ſanguis præcordia liquit;
At mihi dux ſacro reſperſit lumina ſucco
Ambroſiæ, meliuſque datur mihi cernere, poſtquam
Erexi caput Angelico medicamine tutus.
Talia tunc fatur referans miracula. Soles
Tres illos venerare pie, quibus οὐσία ſimplex
Una ſubeſt, quibus unus honos, eademque poteſtas.
Aſpicis in medio rectum velamine veſtro?
Cui facies humana; graves, duroſque labores,
Servitiumque ferens immania fata ſubivit,
Patris ut has clauſas primævi crimine ſedes,
Et vobis reſeraret opes flammantis Olympi.
Illa (vides) concepit eum clariſſima Virgo,
Stirpis Jeſſææ dominatrix maxima Mundi,
Carcere quæ miſeros homines diſſolvit Averni,
Atque triumphato Phlegethontis Rege, benigna
Reddidit humano generi pia numina Patris;
Hæc vobis eſt tuta ſalus, hæc pacis origo,
Et facilis, ſi quando vocas, tua vota, preceſque
Conciliat Nato, regit hæc tua vela per altum,
Hac duce non poteris dubias errare per undas,
Hæc nobis Regina, poteſt recludere ſancti
Clauſtra Poli, trepidatque cohors hanc peſſima Ditis.
Nunc iſtam mirare, nitent cui lumina flammis,
Sidonio quam læna tegit fucata rubore
Pro ſolio patris ætherei, cuique ignibus ardent
Pectora. & in medio decorat quam corde pyropus,
Principis hæc magni ſoboles æterna Deorum,
Non ignem, ferrumque timet pro laude Parentis,
Hæc patiens, hæc præbet opem cuicumque petenti,
Hæc cernit virtutis opus: non invida, læto
Lumine: non agitur crudeli crimine, numquam
Laudibus erigitur, ſummos non ambit honores,
Infunditque ſuos radios in pectora Divûm.
Hæc quoque verſatur terris, menteſque piorum
Accendit ſplendore ſuo; geminaſque ſorores
Hæc habet egregias, olim quæ fata ſubibunt,

Nec licet Empyreas ſedes habitare Tonantis.
Omnibus hæc aliis præſtat, longinqua vetuſtas
Quam minime ſuperare valet, quam ferrea numquam
Mors premit, hæc ſemper terris dominatur, & alto:
Agniferum nunc cerne, fuit qui lucifer almum
Ante diem; vox magna tubæ clamantis in agro.
Hunc Pater omnipotens afflavit numine ſancto,
Materna cum tectus adhuc teneretur in alvo,
Quem ferus immerito ſtygia de ſtirpe Tyrannus
Suſtulit, infandum quoniam damnabat amorem.
Ecce ſuo perfudit humum qui ſanguine primus
Prolis ob æthereæ laudem, Regnique patentes
Vidit Olympiaci ſedes, & præmia Divûm;
En pia progenies magna comitante caterva,
Quæ Chriſti nova juſſa tulit, qua luce nitenti
Sidera clara fugat Cœlo Tithonia conjux,
Et Phœbus qua condit equos in Tethyos unda
Occiduæ, ſeptemque fluunt qua cornua Nili,
Quaque riget concreta gelu Mæotica tellus.
Hic dextra cui mucro nitet, lævaque libellus
Aureus, atque ligant intextæ pectora gemmæ.
Ex acri depulſus equo, dum mente volutans
Chriſticolûm cædes atque impia funera, adiret
Qua parit ingentes palmas antiqua Damaſcus;
Hic Petri poſt fata, ratem ferventibus undis
Rexit in æquoreis Romana ſede potitus.
Teſtis & oppetiit Chriſti perculſus amore;
En decus Actææ gentis Dionyſius, alma
Qui populis præcepta dedit, qua regius amnis
Dividit a Celtis pugnaces Sequana Belgas:
Magdalidos Germanus hic eſt, quem munere vitæ
Jam functum ſuperas Chriſtus revocavit ad auras:
Hic genitus Stridone Senex, facundia cujus
Splendet in ore triplex, legis veteriſque noveque
Lampas, & hic vobis tenebras, noctemque fugavit;
Hic mangnus Pater Hipponis, qui fulminis inſtar
Inſequitur Fauſtum, Tyria Carthagine natus;
Traxit hic aſſiduis precibus Phlegethontis ab amne
Cæ-

Cæſaris undecimi manes ad regna beata;
Hic Patriæ tutela tuæ, ſyduſque benignum,
Cui ſolers Apis ambroſio congeſſit in ore,
Sicut Ariſtonis geniti, fragrantia mella,
Cernis heremicolam Paulum? cui tegmine palmæ
Nuda cutis cooperta fuit, ſiccamque levabat
Perſpicuo qui fonte ſitim, cui Delius Ales
Exiguæ munus Cereris præbebat in antro,
Aſpice nunc Helenes prolem, quæ caſtra fugavit
Oſtenſæ virtute Crucis, Maxentia victrix,
Quæque ſuas conceſſit opes, Romamque potentem
Pontifici, perfuſa comas in flumine ſacro.
Cui cernis fulgere caput, Thaumante creata
Hunc veluti ſi veſte ſua circumdaret Iris,
Nubibus atque tegi niveis, & pectore in imo
Ignitas ardere comas, atque ora micare
Ut ſolet in medio lampas Phœbeïa cœlo,
Recluſumque piis manibus fulgere libellum,
Egregius Juſtinus erat, qui motus amore
Chriſticolûm, ſtatuit celeberrima templa Tonanti,
Et genus Arriadûm toto extirpaſſet ab orbe,
Hunc niſi Pontificis moviſſent vota, preceſque:
Ejus hic eſt ſanguis, fudit qui ſæpe Getarum
Sithonias acies victor, retulitque Trophæum,
Juris & Oceanum brevibus concluſit in undis:
Qui ſequitur celebratus erat Theodoſius. Ille eſt
Magnanimus Cæſar, tumidam qui Perſida vicit,
Imperio Chriſti crudelia bella ferentem:
Hæc ea bellipotens celebris cognomine tanto,
Et longe ſuperans famam, Pipinia proles,
Quæ Chriſti ſub molle jugum Saxonica regna
Miſit, & Hunuldi ſceptrum, ſævoſque furores
Perdidit Hunnorum, regnataque littora Mauris:
Vicit Adelgiſum, Normanorumque tumultus;
Et tandem Solymam victrix penetravit in arcem,
Improba quam imperio Gens Agarena premebat,
Venit & ad Patriam ſpoliis orientis onuſta.
Gallorum Ludovicus hic eſt pietate, vel armis

Egregius, Princepſque potens ſudavit eodem
Pulvere qui invictus, Memphitica tranſiit arva,
Littus Erythræum redimitus tempora lauro
Victrici, Regeſque Syros frænare, ſuperbam
Atque Palæſtinam potuit, Cananæaque Rura;
Hæc duo Gallorum clariſſima lumina Gentis.
Virgineum nunc cerne Chorum, quem maxima Virgo
Mater Olympiacæ Prolis regit. Aſpicis almam
Coſtida? Maxenti furias quæ ſprevit & enſes,
Cui lucens inſigne rotæ, quæ magna Senatus
Gloria Siderei, digitos decorata Smaragdo:
En Chriſti quæ jura dedit, comitata ſorore,
Maſſiliæ, Rhodani flumen qua labitur ingens:
Hæc Stygium potuit pedibus ſubſternere Ditem
Margaris Antiochi virgo telluris alumna;
Illa Syracoſia colitur celeberrima in urbe
Lucia, quæ tempſit flammas animoſa virago;
Hæc illis pia regna patent, qui maxima Chriſti
Nituntur præcepta ſequi virtutis amore,
Affectuſque graves animi domuêre ferentes.
His ſtatuit Pater omnipotens hæc præmia, Divos
Eſſe jubet, cœlique ſacro dignatur honore;
Quid dubitas igitur duros perferre labores?
Cuncta ruunt, Mors ſæva rapit mortalia ſecum
Omnia: Dic ubi nunc Romana potentia? dic quo
Perſarum ſit gaza loco? proſtrata ſuperbi
Regna Nini, Phrygiique Midæ, Fortunaque Regis
Æmathiæ, jacet illa potens opulentia Xerſis:
Hæc pereunt, ſed ſola manet laus, gloria, fama,
Immortalis honor, quem virtus optima gignit,
Et mores: igitur ne cede laboribus ullis,
Et quamvis adverſa tibi Fortuna ſagittas
Invida virtuti jaciat, tamen omnia frange
Tela, nec orbe premi timeas: hæc bellua ſemper
Egregiis inimica fuit, temeraria tecum
Pugnabit, ſed dura ſubi certamina victor;
Vivida fac adſit virtus, Clementia Regis
Semper adeſt, animumque tibi, vireſque miniſtrat;
Hæc

Hæc domus aſſiduis gaudet ſudoribus alma,
Pellitur hinc quiſquis turpiſſima gaudia Mundi,
Et Cypriæ Veneris fœdos amplectitur ignes.
Inprimis venerare Deum, qui numine dextro
His ſemper favet ingeniis, quæ proſpicit uti
Viribus aſſidue, nervos intendere & omnes,
Patris ut has liceat ſedes conſcendere Divûm,
Dehinc vigiles ferre auxilium cuicumque benigne
Si licet, & nulli verbis, nec rebus obeſſe:
Deinde velim tua mens ſtudiis capiatur honeſtis,
Et ſacræ quandoque petas æterna vireta
Legis, ubi curas animi ſedare licebit:
Sic poteris veſci Ambroſia, Cœloque potiri.
Dixerat: hoc tandem ſermone ſilentia rupi.
Quæ nobis præcepta mones ſervanda, recondo
Mente memor, capioque libens, totiſque ſtudebo
Viribus amplecti (faveant modo Numina Divûm,
Et validum mihi ſufficiant præſentia robur)
Sed quoniam tibi cura mei data Patre Deorum,
Cœlicolumque domos pandis, celebrandaque geſta,
Fare precor (niſi ſcire nefas) qua ſede quieſcat
Altiloquus Chriſti interpres, Zebedæa propago.
Hæc ego: Dux autem memorans ita ſancta reſolvit
Ora, & ab antiquis annis exordia ſumpſit.
Cum proles æterna Dei rediiſſet ad auras
E tumulo, ſuperas victrix, poſt funus acerbum,
Quo vobis eſt parta ſalus, vireſque Draconis
Proſtratæ, qui ſorde ſua, vitiiſque nefandis
Turpiter humani generis fœdarat ubique
Ingenium, ſtygiique lacu perfuderat amnis,
Hæc Sociis mandata dedit, ſpirabile Numen
Infudit quibus igniferæ ſub imagine linguæ,
Omnibus ut populis, medio quos cernit ab axe
Phœbus, & occidua currum cum mergit in unda,
Quoſque videt croceo ſurgens Aurora cubili,
Afferrent veniſſe Deum, veramque ſalutem
Deſcendiſſe Polo, terris & crimen avitum
Æthereum donaſſe Patrem, jamque aurea ſæcla

Surgere, & imperium Ditis cecidiſſe profundi,
Saturnique genus miſſum Phlegethonte docerent;
Ilice & incluſos lemures Acherontis avari
Chaoniâ, Delique jugis, antroque ſonante
Carmen Apollineum Lyciæ (Quæ oracula Chriſtum
Sentirent cum ſede Patris vitale ferentem
Auxilium vobis terras petiiſſe jacentes,
Virginis atque pium corpus ſubiiſſe, ſuaſque
Expandiſſe fores) tenuere ſilentia paſſim;
Mox gentes nova quæ cuperent hæc jura Tonantis
Amplecti, Chriſtique jugo ſubmittere molli
Cervices, ejuſque ſequi veſtigia, vivis
Fontibus abluerent, vetus ut reſtringere crimen,
Et falſo Jove contempto dare maxima vero
Dona Jovi, & Chriſti imperio ſervire liceret;
Ergo capeſſentes Socii mandata, per orbem
Intrepide veneranda Dei præcepta tulerunt;
Ille Senex cui petra dedit cognomen, & ædes
Claudere cui ſuperas Cœli, & reſerare poteſtas,
Mœnia Romulidum, Paulo comitatus, adivit;
Frater Joannis (cædi cui colla Tyrannus
Stirpis Idumææ Solymus præcepit, iniqui
Pontificis ſuaſu) petiit Tarteſſia rura,
Gerioniſque domos, qua Sol ſubit æquora pronus;
Bartholomæus aquis tinxit cœleſtibus Indos;
At pius Andreas animos luſtravit Achæûm,
Helladis atque oras, æterno lumine Chriſti;
Ad loca Medorum Thomas, atque Arſacis oram
Venit, & Eoûm penetrans ad Regna Sophorum
Inſtituit pia Templa Deo, ſacrataque Chriſti
Flumina, primævi ſceleris luſtrantia labem,
Aurea & erexit fabricata Palatia cœlo
Candiphoro Regi, nitidiſque inſignia gemmis,
Regia queis radians Phœbi collata, domuſque
Memnonia cælata manu, Scaurique theatrum,
Et moles Epheſi toto celeberrima in orbe.
Et labyrinthei flexus, ædeſque Neronis,
Marmarici Paſtoris erunt magalia, turpis
Seu

Seu palea congeſta domus de ceſpite vili;
Phaſidis ingreſſus regnum, Mithridatis & arva,
Abluit amne ſacro populorum corda Philippus;
Ivit ad Æthiopum gentes Matthæus, & almam
Imbre ſalutifero mentem perfudit Egyppi
Regis; & albenti Templum de marmore Chriſto
Condidit, atque pias demum truncatus ad aras;
Niligenûm ſed regna Simon Cananæus adivit,
Et tandem cum Fratre comes, migravit ad oram
Perſidis, & docuit Regem Babylonis ad axes
Stelligeros iter, & veræ præcepta ſalutis;
Ritibus antiquis Solymas avertere gentes
Ad nova ſacra Dei ſtuduit, ſed culmine Templi
Truditur aëreo præceps Jacobus, Jeſum
Dum Populum docet, atque umbras caliginis aufert
Divus Joannes [cujus cognoſcere ſedem
Eſt amor, hancque tibi pandam, ſed ſumpſimus orſum
Altius, ut veterem melius comprendere caſum
Fas tibi, nec pigeat longo ſermone teneri;]
Miſſus ad Jonios, Regna ac Aſiatica, poſtquam
Diva parens, cui terra ſubeſt, cui militat æther,
In Cœli tranſlata domos, (cum virgine virgo
Vivere nam voluit, terris dum vita manebat)
Sed deinde imperio Romani Cæſaris, Urbem
Venit, & alma Dei quoniam præcepta ferebat,
Haud trepidans, olei ferventis ſtagna ſubivit;
Quapropter cum triſte nihil perferret; acerbus
Æneadûm de gente, Titi germanus, ab Orco
Miſſus, eum juſſit Patmi ſcopuloſa per arva
Ducere in exilio vitam; quod magna voluptas,
Atque fuit jucunda quies, namque omnia cœli,
Imperio patris ætherei, myſteria, & agni
Innocui thalamum vidit, ſacroſque hymenæos;
Et poſtquam rapuêre canes, Plutonis ad umbras
Romulei manes cruciandos Principis igne,
Liquit Joannes Patmon, dehinc rura Cayſtri
Et Caras, Lelegaſque viros, & mœnia adivit
Urbis Amazoniæ, populis ubi corda rigavit.

Fonte ſalutifero, ſimulacraque vana Dianæ
Abſtulit, & veteres aras, & fixit in imis
Pectoribus Chriſtum, Divinæ & laudis amorem;
Cumque foret gelidus fragili tardante ſenecta
Sanguis, & ignavæ caperent jam tædia vitæ,
Templa ſubit, Civeſque Epheſi ſervanda Tonantis
Scita docet, Patriæque jubar fulgentis Olympi,
Atque Dei monitu foſſæ telluris hiatum
Condit, & ingreditur, Populo ſpectante, ſepulchrum
Vivus, & arva petit Clarii Titanis ad ortum
Me duce [ſic magni juſſit Pater optimus Orbis]
Exultans ubi vivit adhuc, nitidiſque juventa
Exuviis ſenii poſitis, alacriſque virenti
Robore decerpit dulciſſima gaudia, curæ,
Et gemitus, & mœror abeſt: ſed maxima regnat
Ac æterna quies, ſancta & ſine fine voluptas.
Illa colit longævus Enoch felicia rura,
Igniferoque ſenex evectus ad æthera curru,
Cujus ad imperium rapidus deſcendit ab alto
Ignis, & in geminas placidus ſua flumina partes
Fecit Jordanis properans Aſphaltidis undam.
His tribus hæc regio colitur, cui Theſſala Tempe
Et cedunt nemora Elyſii celeberrima Grajo
Carmine, & hos gladio minitans Paranymphus, & igne
Pro foribus cuſtodit agros, quos frigora numquam
Hydrophori, rapidæve canis ferventia adurunt
Sidera, ſed leni ſemper Sol temperat aura,
Non illic Borealis hiems, non impetus Euri
Murmurat, & ſævo perflans Niloticus Auſter
Turbine, & Heſperiis Zephyrus non ſpirat ab oris;
Ver ibi perpetuum, ſemper viridantia prata,
Arboreæ vivuntque comæ, fugiuntque per arva
Perſpicui fontes, vitreoque in gurgite Protei
Squamigeræ ludunt pecudes, paſſimque vagantur:
Hæc ſociis eſt læta domus, quos tarda ſenectus
Non premit, & numquam frigent in corpore vires,
Vivida ſed virtus, ætas patienſque laborum:
Hos ſervat Pater Omnipotens, ſecliſque tuetur
Om-

Omnibus, auxilium poſſint ut ferre jacenti
Criſticolûm Populo, cum bellua carcere aperto
Ultima per totas vulgo bacchabitur urbes,
Mortaleſque ſuæ legis dulcedine captos
Lethifera, trahet ad flammis ardentia ſtagna,
Inſtruet atque acies contra qui numina Chriſti
Vera colunt, Stygioque negant parere Tyranno;
Agmina & in bellum ducet Magogica ſecum:
Tunc pietas Divina ſui miſerata dolores,
Et populi gemitus, hos tres demittet in orbem,
Intrepido qui corde, metu frigentia mortis
Pectora cultorum Chriſti, ferventia reddent
Ejus amore pio, leges & Dæmonis atri
Eſſe Acheronteo demiſſas amne docebunt,
Et Chriſtum prolem eſſe Dei, cui munera ſoli
Latreæ, cui dandus honor, Regnoque probabunt
Sublimi veniſſe Patris, terriſque ſalutem,
Æternamque ſuo vitam peperiſſe cruore,
Ut vates cecinere, vias legemque ſequuti
Naturæ. Tunc teſtis erit Jaredica proles,
Atque illam defendet Enoch; & carmine ſicut
Prædixêre viri, ſua qui veſtigia vitæ
Duxerunt per Moſis iter, tunc ſanguine cretus
Thesbæo Pater Helias tutabitur illud;
Magnus Joannes Chriſti ſanctiſſima jura
Aſſeret, & ſolùm reſerent quæ limina Chriſti,
Maxima & ambroſiæ pariant quæ munera vitæ;
Atque omnes tandem certamina dura ſubibunt,
Inſignique Deûm venient ad Regna triumpho;
Quod petis audiſti, arrectis nunc auribus aſta,
Janitor æthereus dicendi exordia ſumet,
Enthea proque Dei ſolio nunc ora reſolvet.
Hæc ubi dicta, ſenem venerando aſſurgere vidi
Ore, micant geminæ claves cui pectore ſacro,
Et flexit cum fronte genu, cultuque verendo
Depoſuit triplici inſignem diademate mitram
Purpuream ante illos Soles, quibus una voluntas,
Atque horum nutu poſtquam data copia fandi,

Maximus ille Senex placido ſic pectore cœpit.
O Superûm Pater omnipotens, & trina poteſtas.
Sit quamvis mihi non dubium, quin cuncta gubernes,
Volvanturque tuo juſſu mortalia, fervens
Sed tamen is perſuaſit amor, quo diligo ſemper
Te Nymphamque tuam, cujus mihi regna dediſti
(Ingentes habeo pro quo tibi munere grates)
Pauca loqui, meritoque preces effundere, Plebis
Inſpires ut corda tuæ, quo juſſa ſequatur,
Atque tuas leges, turpi nec more ferarum
In vitium crudele ruat, nec mutua curet
Prœlia, nunc heuheu gemitus mea pectora tangunt,
Impedit atque dolor vocem, cum cerno furentis
Martis opus ſævire inter Regna Itala: Princeps
Maumethi fera progenies ſæviſſimus armis
Imminet excidium minitans, Romæque ruinam,
Quæ Fidei vexilla gerit ſanctiſſima noſtræ,
Nec quiſquam parat hanc molem divertere belli,
A Duce Threicio Latios defendere fines;
Auſonii Reges nunc bella domeſtica tractant,
Dumque inferre ſtudent ſibi mutua vulnera, miles
Barbaricus populatur oves, & paſcua noſtra,
Nunc pardi, nunc dirus aper, nunc callida vulpes,
Nunc gryphes, ſævique lupi, per ovilia regnant,
Nuncque canes infida gregis cuſtodia languent,
Viribus amiſſis trepidat nunc Paſtor, & olim
Magnanimus Leo nunc torpet. Regina volucrum
Hoc audet Mavortis opus, bellumque ſubire,
Sithoniamque feram detruderet, alite ab illa
Sed petitur, deberet opem quæ ferre, nec alas
Explicat, has etenim circumſtant undique tela.
Humanas exoſa domos, juſtiſſima virgo,
Æquata quæ lance regit mortalia regna,
Nunc redit ad noſtras ſedes, limenque paternum;
Res hominum infelix ſacra pietate fugata
Fertur, ut a Borea pelago ſine remige puppis,
Nunc vada Trinacriæ Scyllæ, nunc ora Charybdis
Radit, & in Syrtes Libycas nunc pellitur æſtu.

Æquo-

Æquoris undiſono, nunc qua furit ira Maleæ.
Crimina cuncta regunt orbem, virtuſque fugatur
Exiſio, Divinus honor contemnitur, uſquam
Accipiunt non templa focos, nec munera: laudes,
Quas parit inſudans virtus, durique labores,
Humanum non pectus alunt. celebreſque triumphi,
Majeſtas veneranda jacet peſſumdata legum,
Si quis iter niveæ ſequitur virtutis, amore
Cœleſtis Patriæ, invigilans nocteſque, dieſque,
Pellitur a cunctis, & ni tua dextera præſens
Ingeniis quæ ſemper adeſt cupientibus aſtra,
Ferret opem, quam ſæpe fames ſaturare ſub altis
Ilicibus fauces ſiccas impelleret! omnes
Nunc homines ea ſola juvant, quæ commoda lucri,
Divitiaſque ferunt; mores, & cetera, quamvis
Laudibus, & magno pretio digniſſima, ſordent,
Virtuti non ullus honor, nec moribus almis:
Pierides, vateſque pii ſpernuntur, acerbos
Nunc ruit hæc ætas mœſti Phlegethontis ad amnes;
Nuuc ſtygiæ venêre Canes ex faucibus Orci,
Fluminibus nunc corda ſuis mortalia Pluto
Irrigat, Alecto furit heu Cocytia paſſim,
Tartareis emiſſa vadis, nunc ſævit ubique.
Pallida Tyſiphone, ſpumas nunc Cerberus ore
Lethifero ſpargit, nunc regnat dira Megæra.
Scipiadæ, Curiique patres, amboque Catones,
Atque Senes Fabii, vetus & Romana propago,
Theſidæque viri, Lacedæmoniique parentes,
Qui te neſcierant, melius vixere, & opacæ
Rectius in noctis mentem rexere tenebris,
Quam tua qui tantum venerantur Numina voce,
Et ſua Plutoni Stygio præcordia donant,
Immanique Erebo, tantum cognomine dicti
Chriſticolæ, quibus irradias Hyperionis auram
Æternam, reſeraſque fores cœleſtis Olympi;
Sub Decii, fratriſque Titi, crudique Neronis
Fluctibus, & Veri, melius ſe puppis habebat
Noſtra: procelloſos etenim tunc æquoris æſtus,
Pla-

Flamen & horriſoni Boreæ ſuperabat acerbum,
Et vigilans tunc ſemper erat, validuſque magiſter,
Teque ſequebatur, pelago nec cedere norat.
Optabatque tua vitam pro laude paciſci,
Nunc vero qui vela regit, jactatur in alto,
Et gelido nunc hymbre madet, rimiſque fatiſcit
Navis, & evadit Notus in certamine victor:
Maxime Rex igitur, cui quondam has linquere ſedes,
Æternoſque lares, humileſque inviſere terras,
Et triſtes ſpoliare domos, Plutonia Regna
Ad Cœlum, Solymoſque patres revocare ſepultos
Suaſit Amor, Stygiiſque homines diſſolvere vinclis;
Fer precor auxilium miſeris mortalibus, umbras
Eripe Tænareas, æterno lumine luſtra,
Et vires oſtende tuas, ſolumque potentem
Eſſe Deum, tua Cocyti fac numina Princeps
Sentiat, & rapidæ flammis Phlegethontides undæ;
Ah noſtræ ſuccurre rati, fac gurgitis hujus
Grandiſonos ſuperet fluctus, Boreamque coërce
Biſtonium, flatuſque noti, ſævamque procellam,
Quod ſupereſt mare da tuto ſulcare profundum,
Poſſit ut hos portus felices læta ſubire,
Daque piam mentem, clavum qui in puppe gubernat,
Retia fac ſuperet, diri Plutonis & arma;
Tu pietas, tu ſumma quies, precor aſpice dextro
Lumine mortales, terris immitte favorem.
Talibus oravit noſtri perculſus amore
Claviger, & ſubito vox eſt audita, ſacraſque
Cœlicolûm ſedes, totum & tremefecit Olympum,
Tunc Divi ſiluere omnes, & talia fata eſt.
Iſte dolor, tua qui vehemens præcordia torquet
Me propter, Nymphamque meam, latiſſima cujus
Committo tibi Regna, mihi eſt gratiſſimus; illum
Sed depone, tuo pelle hanc ex pectore curam.
Sic ego permiſi puppim Symplegadas iſtas,
Et Syrtes intrare meam, fluctuſque Maleæ.
Omnibus ut pateat mea Sancta potentia terris;
Atque meum Numen, pietas, & maxima virtus,
Hoc

Hoc etenim ſedabo fretum, ſternamque procellam,
Dumque furit Notus, ingenium, fortesque lacertos,
Robur & oſtendet, puppis qui vela gubernat,
Torporem, ſomnumque meis & inertia nautis
Corda nego, ſacri quibus ætheris annuo ſedem.
Ad me nemo venit, niſi qui certamine turmas
Vicerit hoſtiles, dignus fueritque corona,
Et mea qui præcepta ſequi conatur, & audet,
Atque ſubit quoſcumque mea pro laude labores,
Vincit & æquoreos venientes undique fluctus.
Nec trepidat ventorum iras, pelagique furentis,
Huic ſemper mea dextra favet, vireſque ſecundas
Sufficit, & demum cœleſtia præmia donat;
  Alituum Regina potens mea juſſa faceſſet,
Ibit & in caſus omnes fortiſſima bello,
Conteret ac hoſtes, qui martia bella parabunt,
Imperiumque meum per regna patentia Mundi
Proferet, & ſupra terras, Neptunia & arva
Cincta caput lauro victricia brachia pandet;
  Non igitur doleas, mea ſi nunc fluctuat undis
Navis & immergi a Borea videatur in alto,
Me cito cognoſcet memorem fandi, atque nefandi,
Meque pium mortale genus, ſemperque potentem,
Falce mea ſarmenta metam, ramoſque fluentes
Vitis, & ignivomam jaciam Phlegethontis ad undam,
Frondentes & veſte mea circumdabo frigus
Sithonium ne lædat eos, ventique rigentes,
Et fructus mihi deinde neget, dulcemque liquorem.
  Dixerat, Angelicæ mira dulcedine mentes
Cum ſubito cœpere ſacras extollere voces,
Cœlicolumque Patri lætum Pæana canebant;
  Dircæus non tale melos teſtudine vates
Aurata cecinit, cum diruta poneret urbis
Mœnia Thebanæ, traheretque ſequentia ſaxa;
  Nec Linus, Urania Soboles & Apolline nata.
Quemque oculis caruiſſe ferunt, quia carmine doctas
Auſus erat comites cytharaque laceſſere Phœbi;
  Non ita Biſtonius vates modulatus, Averni

Cum peteret loca Tartarei, ſedeſque profundas,
Qui Stygii (ſi vera ferunt) crudelis Regis
Pectora placavit cantu, fidibuſque canoris,
Eumenidaſqae feros implexas crinibus angues,
Et cujus mirata ſonos Letheja curſum
Flumina mutarunt, triſtes Acherontis & undæ,
Et vultur Titii crudelis tundere fibras
Deſtitit, ac inhians Erebi latrantia cuſtos
Ora canis tenuit, cantum & ſtupuere cruentæ
Belides, immanis ſtetit ac Ixionis orbis;
Et ſi vel Clarius Pater, & vocalis Arion,
Et Muſæ coëant, Cytharæque repertor, & omnis
Cantorum celebrata cohors, ac ſidera pulſent
Cantibus, ingrato ſtrepitu garrire putares;
Quapropter rapuere mihi cœleſtia ſenſus
Carmina, & extemplo ſubiit mea pectora quidam
Inſolitus vigor, ac alacris circumſtetit ardor:
Carmen erat memorandum illud certamen, & ingens,
Spirituum quod ſancta cohors cœleſtibus armis
Geſſit, ab Empyreis domibus cum vana ſuperbi
Serpentis projecta gravi ſub tartara caſu
Agmina, dum proprium decus & mirata nitorem
(Pro ſcelus) imperium tentant ſublime tonantis
Et ſedes ambire Dei, ſoliumque perenne.
Addebant, Superûm Pater ut calefecerit aura
Vitali tellure ſatæ præcordia prolis
Primævæ, poſtquam ex nihilo ſpectabile fecit
Hoc opus, & vario decoravit lumine cœlum,
Arboribus, cunctiſque feris, & gramine terram,
Implevitque vagas monſtris ſquamantibus undas,
Juſſit & ignota nitidum veſtigia Solem
Ferre via, clariſque ſuis ſplendoribus umbras
Pellere ſomniferas noctis, lucique præeſſe,
Germanæque globum tenebris præfecit opacis;
Præterea dulci cantu, cytharaque canebant,
Felices ut primus Homo (ſic juſſerat orbis
Conditor) incoluit campos, ubi flumina ſurgunt
Quattuor: Euphrates fluvio qui rura Medamnis.

Irri-

Irrigat effuſo, latam Babylonis, & urbem
Dividit, undarum magna ſtipante caterva:
Lucidus & Tygris, qui præterlabitur agros
Medorum, curſu celeres æquante ſagittas,
Magnus & hinc oritur Ganges, qui tendit ad oras
Eoas, aurumque parit, gemmaſque nitentes.
Ac Nilus, qui Regna petit Memphitica, torto
Flumine, & Ægyptum nigra fecundat arena;
Æquor, & ingreditur Pharium per cornua ſeptem:
Dehinc celebrant, ut poſt tenera incunabula Mundi
Mentis inops genus humanum ſe labe nefanda
Criminis involvit, ſupero nec grata parenti
Dona dedit, queis inhians Plutonis avari,
Atque erat idcirco tota cum ſtirpe necandum,
Cum vetus illuvies terras abſcondit in undis,
Sed tamen æterni ſtatuit Clementia Patris
Fatidicum ſervare Senem, caroſque nepotes,
Qui poſſent hominum prolem reparare jacentem;
Multaque præterea repetebant carmine læto
Quæ minime licet heroo comprendere cantu.
Hoc etenim non audet onus mens noſtra ſubire,
Aſſidue licet ora mihi Phorcynidos unda
Influeret, Phœbi coëuntibus undique rivis;
Sed tamen hæc referam quæ carmine digna reponi
Mæonidæ, facunda colit quem Græcia, ſeu quem
Andinus veneratur ager, vel Apolline magno.
O Domini quam mirus amor, noſtrique parentis,
Quo ſemper genus humanum complectitur: o quam
Eſt pietas immenſa, Jovis qui regna profundi
Abſtulit, & lucem miſeris mortalibus almam
Fudit, & antiquum chaos, ac extinxit opacas
Tartareæ noctis tenebras, & regia Ditis
Rupit, ab Empyrea natum cum miſerit arce,
Quem voluit ſubiiſſe, homines quæcumque pericla
Ferre ſolent, & morte ſua reſecaſſe parentis
Crimina primævi, vitamque æternamque dediſſe;
Quinetiam nunc fata ſuæ miſeratus acerba
Plebis, opem feret, ac hoſtes, qui ſæva minantes

Bella parant; proſternet humi dirumque Tyrannum,
Immani qui ſtrage furit, terramque cruentat
Cædibus innumeris, Cocyti flumine tetro
Immerget, regnique caput Babylona; vetuſque
Diruet imperium, ſcelerataque tecta domorum
Evertet, ſedeſque ſuas ibi ponet avari
Serpentis lethæa cohors, ſtygiæque volucres:
Mortales gaudete igitur, celebrate parentis
Ætherei laudes, vobis deſcendit Olympo
Auxilium, pax, ſumma quies, æterna voluptas.
Vir ea finierant, ſuperæ cum Janitor arcis
Hæc ad me converſus ait ſermone benigno:
Cum tibi nunc liceat felici munere Patris
Cœleſtes haurire ſonos, mortalibus iſtis
Auribus, utque oculis præſentia cernere Divûm
Gaudia, & æthereos Soles, quibus omnia patent,
Et quorum imperio ſubſunt cœleſtia regna,
Et terræ, Phlegethonque furens, campique liquentes,
Fons hic inexhauſtus, veniunt hinc omnia vobis
Munera, poſce aliquid: dabit id clementia Regis:
Et quamvis illi pateat ſententia quæ ſit
Nunc animo, & videat tibi quæ ſint munera cordi
Præcipue; gaudet tamen ut tua vota recludas
Ore tuo, mens eſt etenim gratiſſima ſupplex:
Tunc ego, Sancte Pater, tua nunc præcepta ſubibo,
Idque petam Divûm a ſummo Genitore, quod olim
Orabas, Chriſti facies cum fulgida, (ſicut
Ignis Apollineus medio reſplendet in axe)
Viſa, ſuper caput excelſi ſublime laboris.
Id mihi concedat precor immortalis Olympi
Rector, ut hic liceat Superûm decerpere tecum
Munera, & ambroſia veſci cœloque potiri;
Vix ea fatus eram, cum ſic veneranda reſolvit
Ora Senex: Hæc arva colunt ſublimia tantum,
Corporeæ mens alma quibus de carcere molis
Libera: tu nondum tumulo terreſtre cadaver
Condis, & idcirco repetes mortalia Regna,
Teque ſuis Fortuna petet ſæviſſima telis;

Tunc

Tunc hauſit mea corda dolor, maduêre tepenti
Rore genæ, cum me noſti in fœdiſſima terræ
Regna reverſurum, & miſeras deſcendere ad umbras
Eſſe opus; atque iterum curas, & ferre labores,
Sed tamen Empyreos Soles tria Numina in uno
Numine, reflexis genibus proclivis adoro,
Summiſſa ſic voce precans, & ſupplice corde.

Magne Pater, qui corda potes mortalia ſolus
Noſcere, mens cujus Cœli diffuſa per oras,
Atque maris, terræque globum, qui totus in omni
Parte, nec humanis oculis comprenſus ab ullo,
Et cujus pietas lemurum nos carcere fœdo
Vindicat, atque Jovis ſtygii fera vincula frangit;
Oro preces audi, manibus quas fundo ſupinis.

Da mihi mens in te ſumma pietate quieſcat,
Da ſemper te corde geram, ne ſæva furoris
Tela Cupidinei penetrent, Diriſque profundis
Armaque Junonis Stygio perfuſa veneno,
Nec mihi livor edax veniens Acheronteis ab undis,
Lata nec ingluvies ventris dominetur, & iram
Fac ſuperem Mavorte ſatam, diramque Megæram,
Da poſſim tua perpetuo mandata ſubire,
Et leges ſervare tuas, da mente volutem
Semper Olympiacæ ſanctiſſima munera vitæ,
Atque precor tua dextra potens diſcrimina quævis
Arceat, atque mali fallaces Dæmonis aſtus,
Atque ſalutifero accendas præcordia nobis
Igne tuo, Jovis ut tenebras extinguere poſſim
Tartarei, decus atque tuum perpendere recto
Lumine, & ignavæ ſtimulos contemnere mortis.

Optime Rex da ſerta mihi contexere baccis
Quas parit hæc radians laurus, quæ crine virenti
Conſpicitur velare tuum ſublime Tribunal,
Et nitidos concede mihi decerpere flores,
Quos tellus effundit, ubi ſe tollit in altum
Arbor, & inſignis penetrat convexa polorum,
Vitali da ſumme Pater, reſtringuere nobis
Hymbre ſitim, [illegible] tuos, qui pectora magna

Accendant humana tuæ virtutis amore;
Da mihi, lethiferas orcus ne præbeat undas.
Dehinc precor, ut populo parcas erraſſe fatenti
Chriſticolæ, ſcelus atque velis abolere nefandum;
Mox jubar infundas, luſtrataque pectora cunctis
Sordibus aſpergas Pietatis fonte ſalubri,
Ut conſtans in lege tua reſplendeat, aurum
Depoſita veluti ſcoria fornace refulget;
Et referes o Magne Pater vitalia genti
Lumina, quam ſtygius Pluton ambagibus atris
Implicuit, fœdamque ſuo demerſit in amne;
Nec ſinit ut rectis oculis ad ſidera poſſit
Omnipotens verumque tuum cognoſcere Numen,
Sed ſuaſu peritura colat ſimulacra Deorum.
Pande, viam pecudeſque vagas ad ovilia coge,
Et fontes oſtende tuos, & paſcua numquam
Sicca, ſed æthereo ſemper viridantia rore,
Omnibus ut liceat poſt multa pericula nobis
Has Ædes penetrare tuas, & nectare veſci.
Talia fundebam, ſolio cum maximus ignis
Exiit horrendo ſtrepitu, ingentique fragore,
Non aliter quam magna ciens ſi murmura raucum
Aëra percurrat tonitru, quo tempore regnat
Sirius, & ſubito tremuere Palatia Divûm;
Omnia tunc genibus cecidêre animalia flexis
Quattuor, & proſtrata Pium coluere parentem;
Atque ter octoni, veneranda ſedilia quorum
Empyrei ſtipant Patris immortale Tribunal,
Surrexere Senes magna ſtipante caterva;
His niveum caput illuſtri circundatur auro,
Candida & inſignis gemmis toga pectora veſtit,
Quos ſequitur, ſimili cultu proclivis adorans
Æthereum Regem, Divorum exercitus omnis;
Et multas exire comas fulgore coruſco
Cernebam de ſede Patris, cœlumque nitentem
Implebant ſplendore ſuo, qui lumine clari
Haud erat inferior Solis, noſtrumque petebat
Pectus odorifera flamma, ſubitoque videbam

Pur-

Purpurei veluti flores: tunc gaudia mentem
Permulcent ingreſſa meam, tunc ſancta voluptas
Orta mihi, fugêre metus, ſuſpiria, triſtis
Mæror, & exurunt alacres præcordia flammæ;
Saucia tunc liquit ſopor, ac inſomnia nobis
Pectora, cùm tanta fruerer dulcedine mentis.

COLUCCII PIERI SALUTATI

REIP. FLORENTINÆ SECRET.

Ex Libro de Fato, & Fortuna.

Ad Jacobum Allegrectam Forolivienſem, de Arte rationa divinandi, cum ipſimet Jacobus de hac re quadam ſcripſiſſet non ſuo nomine, ſed nomine Tozii de Antilla, ad Philippum de Antilla.

QUiſquis es, altiſonis qui non tua nomina metris
Inſcribens, ſublime canis, violentaque Martis
Sæpius arma, doloſque, viroſque fuiſſe potentes
Inſinuas urbes, quas lux Hyperionis almi
Circuit Aonidum, ſed non potuiſſe Bicorni
Numina Parnaſſo celebres excludere Muſas;
Accipe reptantes tranquillo pectore verſus:
Accipe, quiſquis eris, ſcio nam, cariſſime Tozi,
Quamvis alta tuo tranſmittas metra Philippo,
Te nondum ſacro ſubitum prodiſſe poëtam
Ex Helicone datum, ſed quis fuit hic? niſi noſter
Jacobus ille, Fori Livi qui natus in urbe
Myſtica divino cantavit paſcua verſu,
Et patriam, bellique duces evexit ad aſtra?
Ille quidem eſt; agnoſco ſtylum: ſublimia noſco

Carmina; ſtelliferi quis namque ſecundus Olympi
Vel ratione ſitum, vel vim, fatumque potentum
Plenius aſtrorum deprendit mente capaci?
Tu certe es: tibi pauca loquar. Cur maxime vatum
Horrida præſago divinas carmine bella?
Sed memini vulgo dici: ſi vera prophetans
Eſſe cupis, taceas felicia, triſtia ſolum
Præcine; namque fides ſemper ſolet eſſe timori
Pronior; atque ſolent gravius metuenda movere.
Tu tamen ad cœlos errantiaque aſtra recurrens,
Sic poſitum mortale genus ad prœlia Martem
Tracturum, tribuens nimium crudelibus aſtris
Aſſeris: & Latio ferventia bella minaris.
Fare, Jacobe, precor, ubi plena ſcientia rerum,
Quæ tibi tum ſtudio ardenti, tum viribus alti
Contigit ingenii? num libera noſtra voluntas
Arbitriumque datum cunctis mortalibus, aſtris
Subjacet? an noſtros cœlum ratione fruentes
Quid rationis egens animos, menteſque coërcet?
Quod ſi forte velis nos cœlo ad bella moveri,
Utpote quod primos dicas accendere motus;
En homines ad bella trahit violentia cœli
Arma jubens: homini licet an dimittere ferrum?
An nos aſtra premunt, & belli turbine miſcent?
Ergo quid in noſtro cœlo, patiente, relictum eſt,
Arbitrio? ſi cuncta movet, ſi mota potenter
Perficit aſtrorum collectio certa vagantum?
Sic nihilum poſſe ex nobis fateare neceſſe eſt;
Aſtrifero ſiquidem totum pendebit ab orbe
Quod patimur, vel quod facimus, vel mente movemus.
Unde igitur vel pœna malis, vel præmia dantur
Digna bonis? quid namque, polo, meruiſſe, coacti
Poſſumus? inviti vel quam committere culpam?
Nonne, Jacobe, vides, poſito quod noſtra voluntas
Subjaceat cœlo, quod oporter tollere ſolem
Juſtitiæ, morumque decus, præceptaque vitæ?
Dic, quid ſancta fides, quæ nos ad cœlica regna
Dirigit; ut priſca veterum doctrina decori

Moris erunt? ſacrâ cur plurima lege vetamur
Sideribus tracti? vel cur complere jubemur?
Utere ſic aſtris, ſic cœlo crede, ut & ultro
Arbitrium ſaltem cum libertate relinquas
Humano generi: quod ſi conere probando
Tollere, divina ſimul, & mortalia tollas.
Cetera namque tibi nulla cum lite relinquo.
Dic peſtes: prædicque fames; dic frigora: prædic
Immenſos æſtus: pluvias dic; dicque ſerenos
Longe inſtare dies: dic turbida flumina ripas
Tranſgreſſura ſuas; dic flumina; dicque futuræ
Spem Cereris: bibuli vel ſi vineta coloni
Reſponſura putes votis, vel quantus olivis
Immineat fructus: vel quas colliſio terræ
Arces terribili motu, ſubitaque ruina
Diſcutiet; ſi ſcire tamen conceditur aſtris
Quæ fortuna manet terras, & ſparſa per orbem
Mœnia: dic etiam ſiquid mens pendula lætum
Aut optare poteſt, aut anxia triſte timere;
Dummodo quod ſummi patris ſapientia noſtro
Tradidit arbitrio, nobis tua ſidera linquant.
Nec tamen iſta tibi me ſic dimittere credas,
Quod quemquam plene cœli cognoſcere motus
Arbitrer, aut omnes aſpectus poſſe probare.
Diſcute priſcorum libros, monimentaque patrum,
Invenies illic multos latuiſſe per annos
Aſtrorum motus, quibus hæc nunc utitur ætas;
Nam contenta diu fuit ingenioſa vetuſtas
Cœlum per cœlos bis diſtinxiſſe quaternos;
Mox nonum poſuit certis rationibus orbem,
Qui cum ſubjectis ſecum radiantia cœlis
Sidera in occaſum formoſo vertat ab ortu,
Hinc alii decimum cœlum poſuere, volentes
Quod dare ſit motum, qui ſe ſolummodo vertat
Nilque trahat ſecum; nec qui rapiatur ab ullo.
Denique vera Fides tranquilla in ſede beatos,
Dum locat, undenum ſine motu tradidit orbem.
Sed licet octavuum triplici ſuſceperis orae

Noſtra modo cœlum certa ratione moveri ;
Attamen antiquos ad ſuccedentia ſigna
Sidera converti multos neſciſſe per annos
Conſtat : & ipſe pater magnus cœli Ptolemæus
Deſcriptor, qui tot deflexus novit Olympi,
Creditur aſtriferum non perpendiſſe recurvo
In geminas arctos orbem ſe vertere motu,
Phryxeique caput pecoris, Chelaſque revolvi
Alterutrum : nunc hinc Scythiam, nunc inde tepentes
Æthiopas verſus ; nam non niſi tempore longo
Aſtrologia poli ſtellis motuque, ſituque
Humana quantum licuit ratione repertis
Vel ſciri potuit, vel cum ratione doceri.
At licet annorum jam per tot millia priſca
Stellarum varios motus deprenderit ætas,
Multa tamen noſtris non reſpondere diebus
Tempora noſtra vident, quæ quondam fida vetuſtas
Tradidit, & nobis fixe obſervanda reliquit.
Aſpice, quot tabulas veteres habuere ſequenti
Tempore deprenſo manifeſto errore notatas?
Sic Abrachis priſcos, Abrachim ſic mox Ptolemæus
Corrigit : hunc demum Tollectæ inventio, cœli
Venturum neſciſſe ſitum ratione probando,
Oſtendit ; quam mox ſtudiorum Gallia mater
Pariſius, certa tradens ratione tabellas
Editione nova non parvo errore notavit.
Poſt hos Judæi venit correctio, longo
Tempore ſervato ; ſequitur ſubtilior Alphunſus,
Qui motus cœli, ac errantia credidit aſtra,
Non erratura tandem ratione dediſſe ;
Sed quæ mortalis inventio noſcitur eſſe
Perfecta? en magno jam nunc errore notantur
Alphunſi tabulæ : nec maxima lumina cœli
Sol, & Luna ſibi correſpondere videntur
Præſcriptis ſpatiis : nec cervix clara Draconis,
Nec ſenis in proprio celeres motus epyciclo ;
Ergo inter varias & numquam errore carentes
Doctrinas veterum, quibus hæc nunc utitur ætas,

Et quibus uſa fuit, venturi ignara vetuſtas
Æquando cœlos, & ſidera cuncta notando,
Cum pateat priſcos, nec cœlum ſciſſe, nec aſtra,
Nec poſſe innixos antiquis ſcire modernos,
A quorum motu dicunt, ſe noſſe futura;
Quis verum præſcire poteſt? quis dicere: bellum,
Aut pax dulcis erit; qui teſtem dicat Olympum
Motibus ignotis, nec notis curſibus aſtra?
Quod ſi forte velis cœlum e regione propinqua,
Et ſtellas, ſpatia quamvis & proxima diſtent,
Non variare ſuos certa ratione fluentes
Effectus: dic, cur tam diſſona fata gemellis
Sidera diſpenſant? cur unus paſtor, & alter
Venator, fratrum? cur imperat ille, ſed iſte
Servit, & ejuſdem patris non linquitur heres?
Dic: cumque eveniat in magna ſæpius urbe
Una eademque horâ, non uno ex ſemine proles,
Cur non connubiis cœlo faciente coævi
Ex patre diverſo, domibuſque fruuntur eiſdem;
Si cunctis fatum dat certâ temporis horâ,
Cur ligni ejusdem, quod tellus nutriit una,
Unica plantavit, ac unica diruit hora,
Hæc pars effigies fit, quam gens omnis adoret?
Hæc ſit calcandum per tempora cuncta ſcabellum?
Crede, Jacobe, mihi: qui cœli ſidera tractat,
Ut ventura queat certis prædicere ſignis,
Fallitur; at cauſas rerum cognoſcere quiſquis
Non valet, effectus dic qua ratione videbit.
Sed dices: cur non veſtigia ſacra priorum,
Hac & in arte ſequar, quorum præcepta futuros
Eventus rerum divino dogmate monſtrat?
Poſtquam quæ tradunt nobis & cuncta videmus
Omnia, vel ſaltem majori ex parte venire?
Hic ego divini poſſum de more jocari
Tireſiæ, cujus rideri oracla ſolebant,
Aſtrologi; quicquid prædicitis, aut erit, aut non;
Plura tamen ſemper cœlum portendere ſentis,
Ex quibus in paucis ſatis eſt prædicere verum.

Et ſi de multis ſit quæ prædixeris unum,
Hoc arti tribuis, quod ſorti adſcribere debes;
Non te decipias, vir cordatiſſime; ſed ni
Diſpliceat, tecum memori fac mente revolvas,
In quot, & in quantis hæc te doctrina fefellit?
Si tibi conſtiteris, ſi nolis vera negare,
Invenies potiens quam ſis deceptus ab arte,
Quod non contigerit quondam te vera profari
Crebrius; ut ſi quid forſan, quod dixeris olim,
Venerit, ad caſum, non artem jure referri
Debeat; atque tibi non detur ſcire futura
Curſibus aſtrorum per tempora nulla notatis.
Linque Deo, qui cuncta movet, qui cuncta gubernat,
Quique nequit falli, quod te præſcire fateris:
Non humana quidem ſed vis divina futuros
Eventus rerum prænoſcere; nam Deus ipſe
Solus ab æterno ſua quæque in tempore cernit,
Altaque mortales premit ignorantia viſus.

Dantis Carmina de Fortuna in latinum verſa.

Qui varios fecit cælos, ſapientia cujus
Omnia tranſcendit, ductoreſque indidit illis,
Ut pars quæque ſuo in partes reſplendeat omnes
Lumine, diſtribuens æquali munere lucem,
Ac ſimili forma mundi ſplendoribus unam
Ordinat eſſe ducem generaliter, atque miniſtram,
Quæ vana ad tempus bona conſimilantia mutet
De gente in gentem, uniuſque a ſanguine prolis
In prolem, alterius ducentem ſanguinis ortum,
Ultra quam humani poſſit defenſio ſenſûs.
Hinc gens una vigens, nunc imperat, altera languet,
Indicium ſectans ejus, quicquid jubeatur,
Quod latet occultum denſa velut anguis in herba,
Illi nulla quidem ſapientia veſtra reſiſtit.
Hæc jubet, hæcque ſuum dijudicat, exequiturque
Regnum, prout alii moderamina tradita divi.
Ulla brevem quamvis, ſua commutatio pacem

Non

Non habet, & motu qui ſit veloxque neceſſe eſt,
Uſque adeo properant, qui dona viceſque reportant.
Hæc eſt, quæ toties ſolum crucifigitur illis,
A quibus & laudem, & præconia grata meretur,
Dando ſibi injuſtè turpis convicia famæ:
Hæc tamen haud audit, ſed læta, beataque primis
Mixta creaturis, proprium circummovet orbem.

Verſio in Latinum Carminum Dantis ex ſextodecimo Capitulo ſuæ Canticæ, ex eo loco, in quo loquitur cum Marco Lombardo.

Et tua verba ſonant; mundus, virtute fugata,
Eſt vitiis prægnans, ac omni ex parte repletus
Omnis peſte mali; ſed deprecor, ut mihi pandas,
Diſcere quo valeam, reliquoſque docere petentes,
Quæ tanti ſit cauſa mali; nam ſidera quidam
Incuſant, quidam fatagunt hoc crimine terras
Afficere, & cauſas ad noſtra inferiora reducunt.
Ille quidem primum ſuſpiria traxit ab imo
Pectore, quæ in nobis mentis ſtrinxere dolorem;
Poſtque ait incipiens mœſtus; clariſſime frater,
Mundus cæcutiens eſt, & tu pergis ab illo;
Vos etenim vivi cauſas, & cuncta refertis
Dumtaxat ſurſum ad cœlum; velut omnia ſixa
Secum lege trahat; cui ſit parere neceſſe.
Quod ſi ſic eſſet, foret omnis libera nobis
Deſtructa arbitrii cœlo cogente facultas,
Nec juſtum vera poſſet ratione vocari
Gaudia pro meritis; & habere ex crimine luctum.
Inchoat hæc noſtros vis, atque potentia cœli
Motus; non omnis inquam: quod ſi tamen omnis
Dixero, collatum vobis rectique, malique
Lumen ineſt, propriaque ex libertate poteſtas,
Quæ ſi cœlorum contra vim ſuſtinet, inter
Congreſſus primos animæ durante laborem,
Omnia poſt ſuperat, ſi cum virtute fovetur.
Sub majore quidem vi, nec non ſub meliore

Naturâ ſemper cum libertate jacetis,
Quam creat in vobis mens nulli ſubdita cœlo ;
Ex quo, ſi mundus vos hæc per devia ducit,
In vobis cauſa eſt ; in vobis ergo peccatur.

JO: BAPTISTÆ SANGÆ
ROMANI.

In Britonium.

PRætor Graviſcas mittitur Britonius
Ardente ſub canicula ;
Ut peſtilenti comprimas præcordia,
Auſter, memento ſpiritu,
Contaminatam animam uſque dum male evomat
Tricipiti habendam Cerbero,
Ne putidorum nos poëmatum necet
Viro, veneno, barbarus
Quibus pepercit enſis, Anne hoc Romuli
Urbs perpeti monſtrum queat
Incedere ſuperbum, potentum limina
Et obſidere verſibus
Suffarcinatum ? nam quid his nocentius,
Lethale quid magis ſiet ?
At tu, poteſtas cui per Autumnos data eſt,
Auſter, ſuprema ſupplicum,
Ne ſperne vota : perditum nam ſi caput
Ad inferos detruſeris,
Mali poëtæ liberatori ſacrum
Solemne, & aram, & victimas,
Ponemus, Auſter tu modo ad noſtras preces
Felix bonuſque vertere.

SEBASTIANI SANLEOLINI FLORENTINI.

Coſmi Florentiæ Ducis copiæ ſub Aurelio Fulgoſio in Ungariam pro Cæſare Maximiliano II. adverſus Solymanum Turcarum Imperatorem.

INclitus armipotens Fulgoſius alta ſecundùm
Flumina Danubii fortes armabat Etruſcos
Cæſaris auxilio, Solymanique agmina contra;
Cornua cum ad rauca, & reſonantia Tympana, cumque
Armorum ſonitu, hinnituque excitus equorum
Danubius pater ipſe ſacrum caput extulit undis,
Puniceaſque Pilas ſignis volitare per auras
Conſpiciens, altè poſita formidine fatur:
O mihi nota nimis victricia Signa: Duceſque
Etruſci; Thuſcûmque Ligur fortiſſime Ductor,
Ingreſſi auſpiciis iiſdem felicibus oram
Pannoniæ; quibus Hippolytus de ſtirpe creatus
Divina Medicum, ſacrati fama Senatus,
Italiæque decus, jam luſtris octo peractis,
Ungaricos fines Signis ingreſſus iiſdem
Ungaridis omnem pepulit de corde timorem:
Intorquente ſacram tunc illo fortiter haſtam
Invicto invictus Carolus cum fratre coëgit
Protinus è noſtris Solymanum excedere terris:
Coſme potens ſalve: Medicum generoſa propago
Salve ſueta meis ſemper ſuccurrere rebus:
Haud alius veſtris armis manet nunc exitus: hoſtis

Aut iterum fugiet: noſtris aut oppetet arvis.
Irrita Danubii nec verba fuere: Syghectum
Oppugnans cecidit Solymannus: caſtra ſagittis
Threicios portus redierunt, turpe, relictis.

Auxilia Coſmi ſub Stephano Columna, & Chiapino Vitellio Ductoribus pro Senenſibus ad Orbetellum, olim Coſas, ad expellendum Barbaruſſam Turcicæ claſſis Præfectum.

Vaſtabat pulchram Tyrrheni littoris oram
Turca ferox, nomen cui rubra Barba dedit;
Infeſtuſque Coſis, Telamonis, & Herculis arces,
Ceteraque Herbiados caſtra, marina Lupæ,
Et ferro, & flamma victor populatus, Etruſcis
Omnibus (indignum) fræna minatus erat;
Tyrrhenos Equites cum ſponte Vitellius heros
Præmittens; peditum vique Columna ſequens,
Turcam inſultantem ad naves pepulere; Coſiſque
Intactis, fugit Barbarus hoſtis aquis.
Pulchraque ſublata formidine Thuſcia templis
Suſpendit pharetras, ſignaque rapta, ſacris.
Marmore Sena memor ſculpſit, Mea cura littoris
Reddidit armatâ littora Coſmus ope.

Plumbino Jacobi Appiani Oppido defenſo ab Othone Montacutio Coſmianarum Copiarum Præfecto adversùs injuriam Harriadeni Barbaruſſæ Turcicæ claſſis Imperatoris.

Turca metallifera prædis oneratus ab Ilva,
Ultima Plumbino damna minatus, aquis,
Vela dabat, totumque premens ſub puppibus æquor,
Ingentem obſeſſis vimque, metumque tulit.
Diffiſuſque ſuis Plumbinâs Regulus armis,
Aut fugere, aut Hoſti cedere certus erat.
Maturam ſed Coſmus opem cum miſit, Etruſcos
Fortis & armatos ad mare duxit Otho.

Threiciæ fugere rates: turbæque relictæ
  Palantes Thuſca procubuére manu.
Spicula rapta Getis patrias Jacobus ad aras
  Suſpendens memores imprimit ære notas.
Diis ſuperis miſſus Coſmus mea mœnia flammis,
  Hunc populum ferro, compedeque, eripuit.

Coſmiana Copiæ ſub Chiappino Vitellio in Corſicam, olim Cyrnum, pro Genuenſi Senatu adversùs Sampetrium Corſum, Gallicis armis Inſulæ occupatorem.

Arce ſuper, Cyrno appulſus quam condidit Ajax,
  Eque ſuo dixit nomine, carmen adeſt,
Chiapino forti Thuſcas ductante Phalanges,
  Auriada Ligures Stephano agente manus;
Sampetrii deleta acies; Gallique fugati;
  Victorem ad Ligurem Cyrnus opima redit.

Coſmiana Claſſis ad Meliten adversùs Dracuthem Barbarum Archipiratam eam oppugnantem.

Marmoreum ſurgit Melitæo in littore Templum,
  Impreſſum cujus marmore carmen adeſt.
Rapta Dracuthinis immania roſtra Carinis,
  Quæque ſacris pendent Barbara vela tholis,
Aureaque exornant ingentia templa Joannis,
  Hæc quoque ab Etruſca capta fuere manu,

Pugna inter Gallos, & Etruſcos pro recuperatione Marciani oppidi in Valle Glanis juxta Heſſam fluvium.

Hic, ubi colle ſitum fœcundas undique valles,
Stagnantemque Glanim, & torrentem deſpicit Heſſam
Marciani ſublime ſolum, ac prædives aviſtis,
Sæpius Etruſcæque acies, Gallæque phalanges
Conſeruere manum; & variis ſucceſſibus armis

Con-

Concurrère, die ſed multo ardentius illo;
Ultima qui Gallæ præceſſit funera cladis:
Hic totis ſiquidem caſtris, ſigniſque ſuperbis
Undique collatis, juſti Belli inſtar, ab ortu
Luciferi ad Solem producta eſt pugna cadentem.
Signa canunt, ſævumque accendunt claſſica Martem:
Una Equites, Peditesque ruunt in prœlia fortes:
Hac inſtat Medices; hac urget Strozius Heros:
Hæc juga nunc Galli tenuerunt: ſæpe repulſi
Conceſſere retro vallem per utramque ruentes:
His Tyrrhena jugis & ferro, & ſanguine partis
Deturbata Phalanx valli inclinata recumbit:
Rurſus & alta petens Collis latera ardua vincit.
Marciani Senones ſtantes pro mœnibus altis
Etruſcos ſternunt liquefacti fulmine plumbi
Impiger at Thuſcus vicino e colle propinquus
Arietat in muros, aditumque in mœnia pandit.
Sulphurei fumi nubes, & pulveris atri
Turbo ſolo ſurgens fuſcant cœlumque, diemque;
Fulminis exploſi ſonitu, clangore tubarum
Horribili buxi ſtrepitu, armorumque fragore
Terrificis longè reſonat plangoribus æther:
Hinnitu, pulſuque pedum tremit excita tellus:
Corpora utrinque cadunt: oritur miſerrima cædes.
Sternitur hic Senonum pubes: ſternuntur Etruſci:
Semineceſque viri, revolutaque pectora, equiſque
Mixti Equites, galeæ, dejecta haſtilia, & omnis
Ferrea telorum ſeges, atque cadavera denſa
Impediunt colles: valles, & prata replentur:
Arva cruore rubent: & inundant ſanguine foſſæ:
Purpureo ſupra ripas Clanis amne cucurrit
Turbidus Heſſa ſuas rubefecit ſanguine Lymphas:
Serius ut Titan ſi deceſſiſſet Olympo,
Ultimus ille dies Bello, Galliſque fuiſſet.
Mœnibus at captis, Thuſcâmque in jura receptis,
Terribilem ambobus pugnam nox atra diremit.

Vi-

Victoria Marcianenſis.

Qua Glanis humectat flaventia meſſibus arva,
Arreti Colles, Cluſinas inter & arces,
Marcianum juxta, Puteanaque rura ſecundum,
Colle ſuper Flori dextra, Liciniique ſiniſtra
Mœnia nominibus Romanis dicta vidente,
Ingens erigitur Thuſco de marmore Templum,
Surgit & ante fores ingenti mole Columna:
Carminaque æternis gerit hæc impreſſa metallis.
Frugifero invectus curru, atque innixus aratro
Triptolemus tutus credat modo ſemina ſulcis;
Securuſque metat flaventes Meſſor ariſtas:
Arboribuſque legat pendentes Vinitor uvas:
Alma Pales lætas armentum ducat ad herbas:
Retibus, aut piſces fallat Piſcator ab hamo:
Tranquilloque vehat Glane cantans Navita merces.
Magnanimus fecit veſtris hæc Ocia terris
Coſmus, & ingenti formidine ſolvit Etruſcos:
Collatis ſignis, & aperto hic pulvere Martis
Contudit adverſos Gallos, Rhætoſque furentes.
Illorum teſtes albentes oſſibus agri
Semper erunt: Buſſa & cæſorum a ſanguine dicta:
Teſtis & hæc ingens Moles: hæc Littera; & alta
Templa: capta Hoſti, ſuſpenſaque ſigna Columnis.

De Expugnatione Senarum.

Ite Triumphales circum victricia Lauri
Tempora; Mediceos crines ornate per ævum;
Poſt fractos Hoſtes: cæſoſque ad flumina Rhætos;
Annua Senarum longi poſt tædia belli
Panduntur Portæ: bonus intra mœnia Coſmus
Excipitur victor: Galli ceſſere repulſi.
Ite triumphales circum victricia lauri
Tempora: feſta dies; ſit ludus publicus Urbi:
Ocia ſint & priſca: Forum ſit litibus orbum.

Conticuere tubæ horriſonæ: poſita arma quierunt:
Exceſſit maleſuada fames, & turpis egeſtas:
Copia fuſa manu, Victoris priſca redivit.
  Ite triumphales circum victricia lauri
Tempora: Victori, pariter victiſque benigna.
Clara dies fulſit: Cives ſua rura peragrant
Pro libito: profugis reditus ſecurus ad Urbem:
Arva nec abductis ſquallent inculta Colonis:
Legibus eſt & honor ſuus additus: Artibus uſus.
  Ite triumphales circum victricia lauri
Tempora: Victorem quiſquis comitetur ad aras:
Matres, atque Viri, Pueri, caſtæque Puellæ
Paciferæ frondis redimiti tempora ramis
Solvite vota ſimul: Divis date Thura benignis:
Solennem, fauſtumque diem celebrate quotannis.
  Ite Triumphales circum victricia Lauri
Tempora: Tyrrheno juncta eſt Lupa Thuſca Leoni:
Junxerunt dextras vetus Oſa, & nobilis Arnus:
Redditaque ipſa ſibi pacata Etruria floret:
Etruſci, plauſus extollite: Joque triumphe
Plaudite; Jo unanimes iterum reſonate triumphe.

Foſſæ navigabili ex Arno a Florentinis mœnibus per agros diſſectæ ad Petriolum pagum deductæ, & curſus Arnum influenti. Ad Naiadas Fontium Nymphas.

Najades irriguis (qua Doccia manat aquoſus,
  Frigidorque gelu, ſplendidiorque vitro)
Arnigenam ad rivum quoties properatis ab antris,
  Candidaque æſtivis membra lavatis aquis;
Retibus aut piſces, aut unco fallitis hamo,
  Aut ripæ hærentes carpitis ungue roſas;
Aut rapidis ſaxis unda labente rotatis
  Trita bonæ Cereris dona videre juvat;
Luditis aut choreis frondente ſub arbore, cujus
  E miſeræ Thiſbes ſanguine mora rubent;

Aut vectæ pictis per cœrula ſumma phaſelis
  Tollitis ætherios ripa ab utraque ſonos:
Carmen & hoc toties cantando ferte ſub auras:
  Detorſit patrio flumine Coſmus aquas.
Grata ſuburbanis in publica commoda rivis:
  Una jocos, umbras unda dat: una molas,

Ponti nuncupato Divæ Trinitatis Florentiæ ſupra Arnum a Magno Coſmo modulo Bartholomæi Ammannati funditus reſtituto.

Trinitio pro Ponte, furens quem diruit Arnus,
  Inſaniæ damnum quiſque dolebat aquæ.
Cumque novum forma inſignem conſurgere Pontem
  Inſtrato vidit marmore, quiſquis ait.
Si veteri pro Ponte novum dat Coſmus Etruſcis:
  Plus Arnus lucri ſuſtulit, anne dedit?

In Statuam æneam Perſei, & Meduſæ, a Benvenuto Cellino Florentino Statuario juſſu M. Coſmi abſolutam.

Perſea mirantes, ſectos & Gorgonis angues,
  Hæc ſaxo aſſimiles vix potuere loqui.
Nemo tuas laudes celebret ſatis inclite Perſeu;
  Quod cecidit ferro cæſa Meduſa tuo,
Quot potuit vivens in marmora perdere, vertit
  Ærea marmoreos ſi quoque facta viros?

In Statuam Juſtitiæ, ab M. Coſmo erectam ſuper Columna Porphyretica ad Divæ Trinitatis.

Quæ Dea mortales poſtremo Aſtræa reliquit,
  In terra Coſmo regna tenente redit.
Hæc eadem poſthac ingenti innixa Columnæ
  Mediceum Imperium tempus in omnē reget.

Coſmus Medices Franciſcum Principem filium Primogenitum in adminiſtrationem Reipubl. Florent. ſocium ſibi aſciſcit Magno Senatus, cæterorumque Magiſtratuum plauſu, & aſſenſu.

Dulce decus Patriæ, mea ſpes, mea prima voluptas,
Ætheris in lucem pro magno munere divûm
Edite Nate prior, vel ob id poſt fata parentis
Ad Patriæ faſces, Thuſcoſque vocate regendos,
Ne mea cùm Divæ mortalia fila legentes,
Stamina truncarint vitalia, debita Princeps
Regna novus capiens, rudis, ignaruſque regendi
Ipſe gubernaclum ſubeas, clavumque retractes,
Incertuſque ferare vagus civilibus undis;
Soſpite quin potiùs, Coſmoque parente magiſtro
Sceptra gerendi artem teneris edoctus ab annis,
Poſtmodò, nox oculos cùm clauſerit ultima noſtros,
Doctior, utiliorque tuæ pro tempore genti
Publica lora regas, Tyrrhenaque regna capeſſas:
Nunc, tibi cùm pubes adolevit firmior ætas
Matura Imperiis; claris & moribus auctum
Auſtriaci Patriæ te reddidit Aula Philippi,
Te in partem Imperii mecum ſuccedere fas eſt:
Poſtulat hoc abs te ſupplex modo Patria, (Nati
Omnia cui debent omnes;) ſupplexque Senatus
Poſcit idem: proni in tua nunc jurare parati
Verba Magiſtratus & voce, & corde precantur,
Civili optatos humeros ſubmitte labori:
Nec labor iſte gravis, partem Genitore ferente,
Paucaque præ reliquis, ſolers quæ ſuggeret uſus
Multa tibi, præcepta prius ſervanda memento.
Chriſtiadûm placitis Romanis vivat Etruſcus:
Hac caſti maneant in Religione nepotes:
Dilige Juſtitiam libratam lancibus æquis,

Ita

Ira & amore procul: juſtas, æquaſque ſecures,
Percutias ſiquando reos, diſtringe coactus:
Sit potior civilis amor, quam cauſa timendi:
Dilige commiſſos Populos; & amabere ab illis:
Neu pigeat coram Populorum expendere cauſas,
Æquaque ſupplicibus reſponſa referre libellis:
Exigit injuſte, qui denegat iſta, tributum.
Civibus impartire tuis, cujuſque ſecundum
Munia, Præturas, dicundi & juris honores:
Addictoſque fove Muſis, Marteſque ſequentes,
Hos decoris Etruſci clari, illos robora Regni.
Arma laceſſitus tantum cape; proque tuendis
Juribus illa tuis: aliena invadere noli:
Otia Pacis ama: pacemque tuere vel armis;
Hoſtibus ut victis alta dein pace fruantur
Palladiis Thuſci velati tempora ramis:
Sit quoque cunctarum Populis, ante omnia cura,
Maxima Regnorum nutrix, opulentia rerum.
Sit tua larga manus, argenti prodiga, & auri:
Nec magis illuſtrem virtus facit altera Regem:
Nec via quærendis, retinendiſque altera Regnis,
Aut populorum animis capiendis certior: arces
Vel quoque in oppoſitas nullum penetrantius auro
Proiicitur telum; potius vel fulminis ictu.
Denique tres venerare Deas; quarum alta Columnis
Stemmata marmoreis ſemper memoranda locavi:
Relligionis, & Erigones, Paciſque ſequentis
Numina culta ferunt Reges ſuper aſtra colentes:
Artibus his uſus, veſtigia noſtra ſequutus,
Majorum, & longe patrios ſuperabis honores.
Indue jam Trabeam, Tyrrhenaque ſume paterna
Tradita ſceptra manu, Patriæque volentis habenas.
Dixerat hæc Coſmus: Coſmo reſponſa creatus
Hæc dedit. Etruſcos, Genitor juſtiſſime, faſces,
Quos mihi delegas, populoque rogante reſignas,
Accipio ecce libens: nulloque labore gravabor
Pro Patre pro Patria mortem vel ferre paratus;
Florentemque regam Patriis virtutibus oram

Juſtitia, Pietate, Opibus, tum Pace perenni:
Sic Deus Omnipotens noſtris bonus annuat auſis.
Finierat Princeps cum Civibus undique mixtis
Magna ſalutantum Franciſcum confluit unda:
Rectorem Patriæ, moderatoremque ſalutant:
Sponte Magiſtratus ſurgunt; ſurgitque Senatus,
Certatimque novi jurant in verba Regentis:
Ingeminant plauſus mixtos popularibus auris:
Conclamatarum nomen ferit Aſtra Pilarum:
Publicaque ardentes teſtantur gaudia flammæ;
Arceque diſploſi ſonitus ab utraque per auras;
Tinnulaque e ſacris reſonantia Turribus Æra:
Inſequitur Populi, atque Patrum acclamatio felix.
Cum Genitore regat ſerum Franciſcus in ævum:
Principe cum nato Coſmus dominetur in ævum:
Vivat uterque diu ſoſpes: vivatque ſuperſtes
Franciſcus Patriæ, Magnæ ſpes altera Floræ.

Coſmus Medices eumdem Franciſcum filium Primogenitum exhortatur, ut Poëtas, & Hiſtoricos, a quibus ſolis nomina clarorum Heroum æternitati conſecrantur, omni auxilio, omnique favore penitus proſequatur.

Gentis Etruſcæ generoſe Princeps,
Adde Præceptis etiam paternis
Quod vel obſcuris valet e ſepulchris
Ducere Reges;
Rurſus & cœli ſuperas in auras
Aureæ famæ reſonante cornu
Soſpites, claroſque magis futuris
Reddere ſæclis.
Scilicet ſacros venerare Vates:
Scilicet Criſpos, Livioſque honora,
Poſt rogos atros, opera alta Regum
Viva ferentes.
Nomen inciſum neque crede ſaxis
Aſſore æternum, tabulisve ahenis:

archasi doctæ manui, minuſque
Fide colori.
Heu parum vitæ Statuis relictum.
Æra Liſippi: tabulas Apellis
Conterit tempus: Phidiæque dura
Marmora frangit.
Nomen æternum cineri ſuperſtes
Regibus ſoli Livii, ac Marones
Prorogant: doctis nec obeſt Homeris
Ulla vetuſtas.
Ante & Atriden viguere fortes,
Ante & Anchiſæ, Venerisque Divæ
Filium, Reges Pietate clari
Nempe fuêre:
Attamen nullis lacrimis decori
Noctibus longis taciti premuntur:
Penna enim Criſpi caruere, & alto
Ore Maronis.
Alta Clementis Pietas, decuſque
Aureum ſæclum Decimi Leonis
Aureis docti Jovii libellis
Clara niteſcunt.
Igneo Virtus utriuſque Sole
Clarior claret: roſeaſque Bigas
Ignibus, curſuque pari ſequetur,
Carmine Vidæ.
Temporis noſtri nimium beatos
Cæſares, regeſque canunt: & alte
Candidi Cycni celebrant: diſerti
Lingua Mureti.
Aureus docti calamus Sigoni
Binæ Amaltheæ nitidæ Camœnæ,
Muſa Sirleti, ſacroſancta rubro
Clara Galero.
Barbitos Chaci celebrata; qua non
Charior Muſis fuit, atque Phœbo;
Proximos illi tamen occupavit
Caſa ſacros:

Blanda Victori lyra: Varchique
Dulce Teſtudo reſonans: ſacrique
Muſa Borghini: Fabiique Segni
Nobile plectrum:
Grande Bargæus precium Minervæ,
Grande Venantum decus, & Dianæ
Patre Marcello genitus, recentis
Gloria Phœbi.
Pyctius ſolers Jacobus: alter,
Quem diu nobis Volaterra fidum,
Sedulum arcanique dedit miniſtrum,
Vinthius alumnus.
Borrium linguæ triplicis potentem
Hos potes juxta numerare; quemque
Limpidos propter genuit canentem
Ambra receſſus.
Nomen hi noſtrum, Mediceæque gentis
Carmine æterno, eloquio perenni
Vividum, ac ſemper ſuper alta clarum
Sidera tollent.

Coſmus Medices M. D. E. ſalutatur; Regiaque Corona a Pio V. Pont. O. M. Romæ in Vaticano inauguratur.

Plaudite Io Pæan, & Io bis plaudite Pæan:
Aurea nunc albis Flora triumphet equis:
Populeaque pater Tyrrhenus fronde revinctus,
Depictus gemmis tempora cana, fluat;
Dux bello invictus; nulli pietate ſecundus;
Quo neque vel major, juſtior Orbe regit;
Liber ab Imperio externo, florentibus agris;
Tyrrheno ille ſuo liberiorque mari;
Sedis Apoſtolicæ Tiberique aſſertor honoris
Primus, & ipſe pater Religionis amor.
Euge, coronatur veſtra nunc Urbe Quirites;
Laurea, nec cingunt Myrtea ſerta comas:

Pro merito ex auro frontem Diadema ſerenam
Irradiat: capiti Regius ardet apex.
Pontificis dextra Tyrio circumdatus Oſtro,
Regali juſſus deinde ſedere Throno,
Euge ſalutatur Medices Dux Magnus Etruſcus,
Se dignum recipit Thuſcia pulchra decus.
Roma coronatæ pigeat ne aſſurgere Floræ:
E ſeptem Nitida Collibus alma fave.
Tibri ſacer fratrem cuſtodi: fratriſque Coronis
E vitreis ſurgens ſedibus alme fave.
Hæc ubi clariſſono cecinit bonus ore Muſeus
Auditum Ripa rurſus utraque fuit.
Plaudite Io Pæan, & Io bis plaudite Pæan:
Aurea nunc albis Flora triumphet equis.

In Victoriam Navalem Chriſtianorum à Joanne Auſtriaco Sacræ Conſpirationis Imperatore adverſus Turcas ad Naupactum, hodie Lepantum, habitam Nonis Octobris MDLXXI.

Viderat clarum Venus alma Cyprum,
Jam ſui ſedem, columenque Templi,
Barbaro everſam miſere duello
Cedere Parthis:
Viderat ſtratas violenter Urbes,
Ac ſolo æquatas: Paphios fideque
Punica captos medias per Aras
Vulnere cæſos:
Viderat tum deditione captam
Inclitam Auguſto Salamina Portu:
Impiè rumpi data deditiſque
Jura, fidemque:
Italos fortes, animæque magnæ
Prodigum Haſtorrem cadere inter ipſas
Fœderis ſcripti tabulas (Gerarum o
Nobile probrum!)
Neſcios fari pueroſque matrum
Conditos alvo patriiſſe telis

Nec

Nec Scythas prædæ cupidos ſacratis
Parcere Templis:
Viderat tandem, Cytherea claſſem,
Thraciam, Cypri ſpoliis onuſtam,
Thracium verſus dare vela portum, ac
Ferre triumphos:
Indolens tantas fieri rapinas;
Sanguinis tantum pelago atque campis
Cypriis fuſum; revehique fontes
Æquore lætos:
Diva ſic Martem alloquitur, Jovemque:
Ergo vaſtari mea regna ferro
Barbaro cernam? mea templa flammis
Uſta videbo
Filia invicti Jovis, atque felix
Martis amplexu mihi amati inulta?
Ergo ad externos mea dona Divos
Rapta ferentur
Prorſus impunè? o Pater alme, dextræ
Qui tuæ quondam temere rebelles,
Liberos terræ Enceladum, ac Tiphœum
Fulmine terres;
Quid reos differs ſceleris ſuperbos,
Tamdiù juſto lacerare telo?
Quid vel illiſas ſcopulis carinas
Mergere ceſſas?
Sæpè juratus Stygias per undas
Omnem ab Ænea ſobolem futuram
Inclitam regnis, dominamque dixti in
Sæcula, Romam:
Scilicet Chalcis, Rhodos, & Mycenæ,
Argos, & Cyprus, reliquæque captæ
Inſulæ noſtros ſuper alta tollunt
Aſtra Nepotes?
Heu quod Ænææ timui piiſque
Poſteris cogor timuiſſe: Cypro
Perdita; amittet tua clara Nuptis
Oppida centum:

Sævus & Cyclops, Phalariſque rurſus
Arva fœcundæ rapient Triquetræ:
Nuper obſeſſam Meliten, Latini &
Littoris oram:
Maximus gentis, quibus occupatis,
Italæ ſplendor, Venetus Senatus
Terga victori dabit heu Tyranno:
Romaque cedet:
Unde Carthago veteres ruinas
Altius tollat? tua dicta vanus
O Pater numquid revocas, locoque
Fata revellis?
Tuque nil noſtri memor inter arma
Hoſtium, contra Venerem ſtetiſti?
Iſtud amplexus meruere dulces
Perfide Mavors?
Juppiter monſtra Jove me eſſe natam:
Te nec ingratum Veneri Gradive:
Quis meas juſtos alias honores
Ponet ad Aras?
Tum Deæ frontem Pater oſculatus,
Mitte ſingultus, ait, & timorem:
Permanent immota Lupæ, & marino
Fata Leoni:
Amboque æterna ditione terras,
Et Maris tractus Domini tenebunt,
Hoſte deleto, & populis remotis.
Sub juga miſſis:
Nec tuam poſthac premet ulla Cyprum
Servitus: ultra neque victor hoſtis
Inſolens puppi, veluti triumphans,
Cærula verret:
Iſmari Sylvis malè cæſa Pinus,
Alite infauſtaque ſoluta Portu,
Quambrevi reddet malè rapta: fiet
Prædaque victis,
Qua Dionæus tuus ante Cæſar
Exteris Martem ratibus potens

Actium

Actium ad Littus, dominamque Nili
Claſſe ſubegit,
Nunc ea victrix inimica Puppis
Navigans, triſti vice, vela, remos
Victa concedet: manet hic ſupremus
Exitus illam.
Qui tuus longa à ſerie Nepotum
Pronepos, capta Hiberi, & redacta
Fratris ad juſtum Imperium Philippi
Sceptraque priſca,
Alta Neptuni vada glorioſus
Fœderis ſacri, ſociæque claſſis
Maximus Ductor ſecat; & feroces
Fertur in hoſtes;
Ceu leo, ablatos catulos repoſcens,
Nec prius ſiſtens, Numidam rapacem
Ungue quàm perdat; vacuiſque natos
Ponat in antris.
Tinget hoſtili pelagus cruore:
Auferet prædam: miſeriſque captos
Exuet vinclis: inimica nectet
Colla catenis.
Partis adverſæ ratibuſque ad unam
Omnibus captis, domitiſque Parthis
Clade Naupactum faciet ſecunda,
Nobile in ævum.
Mars ad hæc. Dictis animum paternis
Diva confirmes; aderitque præſens,
Quæ tuos numquam mea læſit, olli
Dextera pugnæ.
Nec mora: invectus Siculis ab undis
Attigit ventis Ithacam ſecundis:
Factus Eois propior carinis
Impetit hoſtem
Perferocem armis, tumidum recenti
Strage noſtrorum, vel et valentem
Claſſe, qua nemo Pelagus ſecuit
Prædo protervus

Fulminiſque inſtar, ferit, urget, urit
  Inclitus bello Auſtriacus Joannes,
  Sanguis Auguſtus, Caroliſque magni
    Vera propago;
Nunc Duces, naves modo mergit undis;
  Sternit obſtantes gladio Phalanges;
  Seque dedentes, veniam & petentes
    Compede nectit,
Quæ prius Thraici fuerat benigna,
  Flatibus verſis, favet Aura noſtris
  Carbaſis: Juſtis (quis id negabit?)
    Militat æther.
Fulgido circum caput ære vinctus
  Proximus primoque Duci Columna
  Diripit naves, cumulatque cædes
    Enſe tremendus.
Magnus ardenti Comes it Columnæ
  Paulus, Urſinæ columenque gentis,
  Ambo Romani proceres, duoque
    Fulmina belli.
Allobrox andax minime ſecunda
  Laude contentus Phrygias triremes
  Victor inſultat; redigitque captas
    Hoſte perempto.
Ceteri Heroës, Itali, atque Hiberi
  Conferunt dextras: ſubeuntque pugnas
  Pro Fide Chriſti, Patriaque prompti
    Fata ſubire;
Aurius pugnax; Crucianus Heros;
  Sfortiæ fratres: validus Typhernas:
  Corneus fortis: Venetæque Claſſis
    Venerius Dux,
Parmæ, & Urbini generoſa fulges
  Principium Virtus: Melitæa pubes
  Perditi jam relliquias Draconis
    Perdit in undis;
Fratre cum Paulo Michaël Bonellus
  Sternuus primas gerit: inter omnes

Emi-

Emicat Divi Stephani, atque Magni
Miles Etruſci.

Robore invicti, Auſtriacique Martis,
Sanguine effuſo rubicunda cernas
Æquora: hoſtiles videas natantes
Æquore truncos.

Parthicam Claſſem ſpacio vel horæ
Stare captivam videas: Getaſque
Ante victorem cecidiſſe victos,
Atque revinctos.

Unde Navalem capiti Coronam
Roma victori legat: ipſa nexet
Adrii Regina maris; feratque
Frater Hiberus:

Totaque Europæ benegrata ſacras
Erigat ſaxo ſtatuas, vel ære:
Maximas vireſque potens in unum
Colligat ultro.

Maximus, junctis quibus, Othomanos
Nunc m ri victos, ſubigatque terris:
Numen & Chriſti redigat colentes
Auſtrius Heros.

Tum Pius Quintus, modo ſacra cujus
Arma divino monitu geruntur
Vivat: & longum regat unus unum
Paſtor ovile.

Federico Strozzæ Laurentii filio Patritio Florentino.

Strozza Muſarum Federice amator,
Strozza item Muſis Federice amate;
Qua nihil majus face: cum perurat
Mutua amantes.

O tua felix iterum favilla;
Qui tuo dignas & amore Muſas
Diligas; Muſis redameris idem,
Dignus amari.

Quo

Quo geris facto, bone, Strozzeana
  Rem domo dignam egregia, ac vetuſta:
  Qua tot Heroës nituere clari
    Marte togaque;
Quot virûm in Diam capita illa felix
  Ædidit lucem: innumera unde cenſes
  Laude præſenti, ſimul & futura
    Stemmata Avorum.
Queis licet priſcis titulis decorus,
  Splendiduſque ires ſatis: ipſe avitos,
  Vix tuas laudes reputans, honores,
    Geſtaque priſca;
Alta Parnaſi juga glorioſus
  Scandis, antiquo generi tacentem
  Comparans Lautum, veteri, novoque
    Sidera fulgens.
Hinc domus claro tibi nunc vetuſta
  Non minus, quam tu domui vetuſtæ
  Debeas, debet; vel eo teneri ad
    Plura fatetur:
Quo tibi nato patriis in altis
  Rite partis divitiis, honeſto
  Ocio ſpreto, fuit una honeſti
    Cura negoci.
Ut Lares ſoli neque Strozzeani
  Debeant magnas; ſed & ipſa in annos
  Solvat ingentes tibi grata grates
    Florida mater.
Jactet & lætas pater Arnus undas:
  Alga nec poſthac, humiliſve canna
  Humidum cingat, ſed amica laurus
    Delphica crinem:
Nomina & clari tua clara Vates
  Concinant Graii, Latii, ac Etruſci;
  Candidus per te licet illa tollas,
    Cycnus ad Aſtra.
Te novem quare placitum Camœnis;
  Et tibi novas placitas Camœnis;

Dum

Dum Phlegon ſurget vagus occidetque,
Fama loquetur.

Excuſat ſe Auctor apud Angelum Guicciardinum, quare illum rarò inviſat, rejiciens culpam in occupationes ſui Magiſtratus.

Lucibus faſtis Oriente Sole
Ante Tinnitus ſolitos jubemur
Ire ſub faſcem; ſua contumaces
Multa coërcet.
Sole jam flexo medium ſub axem,
Sæpe & impranſus revocor relapſum
Siſyphi ad ſaxum; ruat atra donec
Oceano nox.
Nocte me larvæ, lemureſque terrent:
Ireque armati prohibent inermem:
Dia me luces vacuum nefaſtæ ad
Sacra repoſcunt.
Privor hic dulci alloquio: tuumque
Rarus ad limen venio; rependam
Tùm vices; ſolves ubi dura noſtris
Vincula Muſis.

Hymnus ad Virginem Deiparam precans feliciſſimum, maremque partum Ser. Joannæ Auſtriacæ Etruriæ Magnæ Duci.

Diva, quæ magni ſobolem tonantis,
Ac tui natum, ſimul & parentem,
Virgo quæſiſti ſine labe, nullos
Paſſa Hymenæos;
Diva, quæ dulces uteri labores
In novem Lunas tolerans dolore
Viſcerum nullo merita es ſupremum
Ædere Regem.
Ac die ex illo, celebrique facto
Ad novos partus, veteri ad Dianam

Prorſus exploſa prece, Juno præſens
Sola vocaris.

Reſpice Auguſtæ thalamum Joannæ:
Fervidas & quas pia turba Matrum,
Dulcis & conjux, populus, Patreſque,
Floraque & Arnus

Nunc preces fundunt: pia Mater audi,
Et graves præſens uteri dolores
Alma lenito: facilemque nixum
Trade roganti.

Gaudia afferto geminata Thuſcis:
Jam novum Regem æthereas in oras
Proferas, mores referentem avitos,
Atque paternos.

Qui ſuis Thuſcis, Italiſque cunctis
Barbaros contra novus ultor hoſtes
Comparet laurum; referatque priſcos
Victor honores.

Tum Dei veri, Dea quem tuliſti,
Auſpice hoc Magno Duce proferantur
Signa ad Euphraten, rutilas & ultra
Gangis arenas.

In obitum Ludovici Antenorii Patricii Florentini Epiſcopi Volaterrani, & Piſtorienſis, mox Archiepiſcopi Piſani.

Hoc Antenorius ſub marmore clauditur Heros:
Priſcum Troja genus: Florentia mater eidem:
Tergeminæ virides decorârunt tempora vittæ:
Piſtorium, Volaterra ſacros, Piſæque vetuſtæ
Paſcentem vidêre greges, araſque colentem;
Cæcina, Brana, Arnus nunc caſſum lumine lugent.
Sequana cum Rhodano charis pro Civibus illum
Audiit Orantem: pro Magno nuper Etruſco
Danubiuſque ferox, Rhenuſque, Taguſque potentes
Sæpius ad Reges placidi obſtupuere loquentem.
Thybris & ipſe Pater ſæpe auſcultavit utraſque

Mulcentem ripas: triplicique ornavit honore.
Tum certo, celerique gradu ad majora volantem
Purpureo immitis privavit Parca galero.

Tumulus ejuſdem.

Nobilitas generis Phrygio quem ſanguine clarum:
Inſignem gemini prudentia maxima juris
Fecerat illuſtrem legatio trina: Beatum
Tergemini ſacri viridantes fronte galeri:
Conſpicuum, vitæque magis candore probatum;
Ingreditur Piſana novus dum templa Sacerdos,
(Proh dolor!) offenſum vix primo in lumine vitæ
Dignum Antenoriden majori Parca necavit.

In obitum ejuſdem.

Hac Antenorides tegitur tellure, bonorum
Perpetuus luctus, perpetuumque decus.

Alter Tumulus ejuſdem.

Haud Antenoriden totum capit urna: ſepulchro
Magna viri virtus, fama, decuſque carent.

ACTII SYNCERI SANNAZARII

NEAPOLITANI.

DE PARTU VIRGINIS.

Liber Primus.

Virginei Partus, magnoque æquæva Parenti
Progenies, ſuperas cœli quæ miſſa per auras
Antiquam generis labem mortalibus ægris
Abluit, obſtructique viam patefecit Olympi,
Sit mihi, Cœlicolæ, primus labor: Hoc mihi primum
Surgat opus. Vos auditas ab origine cauſas,
Et tanti ſeriem, ſi fas, evolvite facti.
Nec minus, o Muſæ, vatum decus, hic ego veſtros
Optarim fontes; veſtras nemora ardua rupes;
Quandoquidem genus e cœlo deducitis; & vos
Virginitas, ſanctæque juvat reverentia famæ.
Vos igitur, ſeu cura poli, ſeu Virginis hujus
Tangit honos, monſtrate viam, qua nubila vincam:
Et mecum immenſi portas recludite cœli.
Magna quidem, magna, Aonides; ſed debita poſco.
Nec vobis ignota: etenim potuiſtis & aſtrum
Adſpicere & choreas: nec vos orientia cœlo
Signa, nec Eoos Reges latuiſſe putandum eſt.
Tuque adeo ſpes fida hominum, ſpes fida Deorum,
Alma Parens, quam mille acies, quæque ætheris alti

 Mili-

Militia eſt, totidem currus, tot ſigna, tubæque,
Tot litui comitantur, ovantique agmina gyro
Adglomerant: niveis tibi ſi ſolennia templis
Serta damus: ſi manſuras tibi ponimus aras
Exciſo in ſcopulo, fluctus unde aurea canos
Deſpiciens, celſo ſe culmine Mergilline
Adtollit, nautiſque procul venientibus offert:
Si laudes de more tuas, ſi ſacra, diemque,
Ac cœtus late inſignes, rituſque dicamus,
Annua felicis colimus dum gaudia partus:
Tu vatem ignarumque viæ, inſuetumque labori,
Diva, mone, & pavidis jam læta adlabere ceptis.
Viderat ætherea Superûm Regnator ab arce,
Undique collectas vectari in Tartara prædas;
Tiſiphonenque imo conantem cuncta profundo
Vertere, & immanes ſtimulantem ad dira Sorores:
Nec jam homini prodeſſe, alto quod ſemina cœlo
Duceret, aut varios animum excoluiſſet ad uſus:
Tantum lethiferæ poterant contagia culpæ.
Tum pectus Pater æterno ſuccenſus amore,
Sic ſecum: Ecquis erit finis? tantiſne parentum
Priſca luent pœnis ſeri commiſſa nepotes;
Ut quos victuros ſemper, Superiſque crearam
Pæne pares, triſti patiar ſuccumbere letho,
Informeſque domos, obſcuraque regna ſubire?
Non ita: ſed Divûm potius revocentur ad oras,
Ut decet, & manuum poſcunt opera alta mearum:
Deſertoſque foros, vacuique ſedilia cœli
Actutum complere parent: legio unde, nefandis
Acta odis, trepidas ruit exturbata per auras.
Quumque caput fuerit, tantorumque una malorum
Femina principium, lacrimaſque, & funera terris
Intulerit: nunc auxilium ferat, ipſa, modumque,
Qua licet, afflictis imponat Femina rebus:
Hæc ait: & celerem ſtellata in veſte miniſtrum,
Qui caſtæ divina ferat mandata Puellæ,
Adloquitur, facie inſignem, & fulgentibus alis.
Te, quem certa vocant magnarum exordia rerum,

Fide vigil, pars militiæ fortiſſima noſtræ,
Te decet ire, novumque in ſæcula jungere fœdus:
Nunc animum huc adverte: atque hæc ſub pectore ſerva.
Eſt urbes Phœnicum inter, lateque fluentem
Jordanem, regio noſtris ſat cognita ſacris,
Judæam appellant, armiſque, & lege potentem.
Hic claris exorta atavis, Vatumque, Ducumque
Antiquum genus, & dignis licet aucta hymenæis,
Pectoris inlæſum Virgo mihi caſta pudorem
Servat adhuc, nullos non ſervatura per annos:
(Mirus amor!) ſeniumque ſui venerata mariti
Exiguis degit thalamis, & paupere tecto,
Digna polo regnare, altoque effulgere Divûm
Concilio, & noſtros æternum habitare penates.
Hanc mihi virginibus jampridem ex omnibus unam
Delegi, prudenſque animo interiore locavi,
Ut foret, intacta ſanctum quæ Numen in alvo
Conciperet, ferretque pios ſine ſemine partus.
Ergo age, nubivagos molire per aëra greſſus:
Deveniensque locum, caſtas hæc juſſus ad aures
Effare: & pulchris cunctantem hortatibus imple:
Quandoquidem genus e Stygiis mortale tenebris
Eripere eſt animus, ſævoſque arcere labores.
Dixerat: Ille altum Zephyris per inane vocatis
Carpit iter, ſcindit nebulas, atque aëra tranat
Ima petens, pronuſque leves vix commovet alas.
Qualis, ubi ex alto notis Mæandria ripis
Proſpexit vada, ſeu placidi ſtagna ampla Cayſtri,
Præcipitem ſeſe candenti corpore cycnus
Mittit agens, jamque implumis, ſegniſque videtur
Ipſe ſibi, donec tandem potiatur amatis
Victor aquis: ſic ille auras, nubeſque ſecabat.
Aſt ubi palmiferæ tractu ſtetit altus Idumes,
Reginam haud humiles volventem pectore curas
Adſpicit: Atque illi veteres de more Sibyllæ
In manibus: tunc ſiqua ævo reſeranda nepotum
Fatidici caſto cecinerunt pectore Vates.
Ipſam autem ſecuram animi lætamque videres

Auctorem ſperare ſuum: Namque adfore tempus,
Quo ſacer æthereis delapſus Spiritus aſtris
Incorrupta piæ compleret viſcera matris,
Audierat. Proh quanta alti reverentia Cœli
Virgineo in vultu eſt! oculos dejecta modeſtos
Suſpirat: matremque Dei venientis adorat:
Felicemque illam, humana nec lege creatam
Sæpe vocat: necdum ipſa ſuos jam ſentit honores:
Quum ſubito ex alto juvenis demiſſus Olympo,
Purpureos retegit vultus: Numenque profeſſus
Inceſſuque habituque, ingentes explicat alas:
Ac tectis latè inſuetum diffudit odorem.
Mox prior hæc: Oculis ſalve lux debita noſtris,
Jampridem notum cœlo jubar, optima Virgo:
Cui ſeſe tot dona, tot explicuere merenti
Divitiæ Superûm: quidquid rectique, probique
Æterna de mente fluit: puriſſima quidquid
Ad terras ſummo veniens Sapientia cœlo
Fert ſecum, & plenis exundans Gratia rivis.
Te Genitor ſtabili firmam ſibi lege ſacravit,
Perpetuos Genitor curſus qui dirigit aſtris:
Manſuramque tuo fixit ſub pectore ſedem.
Idcirco cœtus inter veneranda pudicos
Una es, quam latis cœli in regionibus olim
Tot Divûm celebrent voces: proh gaudia terris
Quanta dabis! quantis hominum ſuccurrere votis
Incipies! ſtupuit confeſtim exterrita Virgo:
Demiſitque oculos: toroſque expalluit artus.
Non ſecus ac conchis ſi quando intenta legendis
Seu Mycone parva, ſcopulis ſeu forte Seriphi
Nuda pedem virgo, lætæ nova gloria matris,
Veliferam advertit vicina ad litora puppim
Adventare, timet: nec jam ſubducere veſtem
Audet, nec tuto ad ſocias ſe reddere curſu:
Sed trepidans ſilet, obtutuque immobilis hæret;
Illa Arabum merces, & fortunata Canopi
Dona ferens, nullis bellum mortalibus infert:
Sed pelago innocuis circumnitet armamentis.

Tum rutilus cœli Alipotens, cui lactea fundi
Copia divinique fluunt e pectore rores
Ambroſiæ, quibus ille acres mulcere procellas
Poſſit, & iratos pelago depellere ventos:
Exue, Dia metus animo paritura verendum
Cœlitibus Numen, ſperataque gaudia terris,
Æternamque datura venis per ſæcula pacem.
Hæc ego ſiderea miſſus tibi Nuntius arce,
Sublimis celeres vexit quem penna per auras,
Vaticinor, non inſidias, non nectere fraudes
Edoctus: longe a noſtris fraus exſulat oris.
Quippe tui magnum magna incrementa per orbem
Ipſa olim partûs, Virgo, ſoboliſque beatæ
Adſpicies, vincet proavos, proavitaque longo
Extendet jura imperio: populiſque vocatis
Ad ſolium, latè ingentes moderabitur urbes:
Nec ſceptri jam finis erit, nec terminus ævi.
Quin victis paullatim animis pulcherrima ſurget
Relligio, non monſtra piis, ſed numina templis
Placabunt caſtæ diris ſine cædibus aræ.
Dixerat. Illa animum ſedato pectore firmans,
Subſtitit, & placido breviter ſic ore locuta eſt:
Conceptuſne mihi tandem, partuſque futuros,
Sancte, refers? mene attactus perferre viriles
Poſſe putas? cui vel nitenti matris ab alvo
Protinus inconcuſſum, & ineluctabile votum
Virginitas fuit una: nec eſt, cur ſolvere amatæ
Jura pudicitiæ cupiam, aut hæc fœdera rumpam.
Immo iſtas, quod tu minime jam rere, per auras,
Excipit Interpres, fœcundam Spiritus alvum
Influet, implebitque potenti viſcera partu,
Flammifero veniens cœlo, atque micantibus aſtris.
At tu Virgineum mirata tumeſcere ventrem,
Hærebis pavitans: demum formidine pulſa
Gaudia ſervari capies inopina pudoris.
Neve hæc vana putes, dictis aut territa noſtris
Indubites: ſeræ dudum conceſſa ſenectæ
Dona oculos pone ante tuos. Nam ſanguine avito

Juncta tibi mulier, ſterilis licet illa, gravique
Preſſa ævo, haudquaquam ſperatum hoc tempore pignus
Fert utero, & felix ſexto ſub menſe laborat.
Uſque adeo magno nil non ſuperabile cœlo eſt.
His dictis, Regina oculos ad ſidera tollens,
Cœleſtumque domos ſuperas, atque aurea tecta,
Annuit, & tales emiſit pectore voces:
Jam jam vince, fides, vince, obſequioſa voluntas:
En adſum: accipio venerans tua juſſa, tuumque
Dulce ſacrum, Pater omnipotens: nec fallere veſtrum eſt
Cœlicolæ, noſco crines, noſco ora, manuſque,
Verbaque, & aligerum cœli haud variantis Alumnum.
Tantum effata, repente nova micuiſſe penates
Luce videt: nitor ecce domum compleat: ibi illa,
Ardentum haud patiens radiorum, igniſque coruſci,
Extimuit magis. At venter (mirabile dictu!
Non ignota cano) ſine vi, ſine labe pudoris,
Arcano intumuit verbo. Vigor actus ab alto
Irradians, vigor omnipotens, vigor omnia complens
Deſcendit, Deus ille, Deus: totoſque per artus
Dat ſeſe, miſcetque utero, quo tacta repente
Viſcera contremuere: ſilet Natura, paverque.
Adtonitæ ſimilis: confuſaque turbine rerum
Inſolito, occultas conatur quærere cauſſas.
Sed longe vires alias, majoraque ſenſit
Numina; ſuccutitur tellus: lævumque ſereno
Intonuit cœlo; rerum cui ſumma poteſtas,
Adventum nati Genitor teſtatus: ut omnes
Audirent latè populi, quos maximus ambit
Oceanus, Tethyſque, & rauciſona Amphitrite.
Hos inter medios cœli, terræque fragores
Æquatis properans volucer pulcherrimus alis,
Omnia dum trepidant, diſceſſerat, altaque nabat
Per loca: quum Virgo celſis in nubibus illum
Alternantem humeros videt, atque immenſa ſecantem
Ventorum ſpatia, & jam verſicolore per auras
Fulgentem pluma, ac cœli convexa petentem
Quem demum tali adſpectans ſermone ſecuta eſt:
Ma-

Magne Ales, celſi decus ætheris, invia rerum
Qui penetras, longeque & nubila linquis, & Euros
Antevolans, læto ſeu te felicia tractu
Sidera, quæque ſuos volvuntur ſigna per orbes
Exſpectant redeuntem: alti ſeu certa repoſcit
Cryſtalli domus, & vitrei plaga lucida regni:
Seu propiora vocant ſupremo tecta Tonanti,
Qua patet in ſummum regio flammantis Olympi,
Teque Amor, & liquidis flagrans alit ignibus aura:
I precor, i noſtrum teſtis defende pudorem.
Nec plura his: Tum vero aciem deflectit, & omnes,
Haud mora, ſollicito percurrit lumine montes:
Adgnatamque animo, conceptaque pignora verſat,
Multa putans: ſerumque uteri miratur honorem.
Interea maneis deſcendit fama ſub imos,
Pallenteſque domos veris rumoribus implet:
Optatum adventare diem, quo triſtia linquant
Tartara, & evictis fugiant Acheronta tenebris,
Immanemque ululatum, & non lætabile murmur
Tergemini canis: adverſo qui carceris antro
Excubat inſomnis ſemper, rictuque trifauci
Horrendum, ſtimulante fame, ſub nocte profunda
Perſonat, & morſu venientes adpetit umbras.
Tum vero Heroës lætati, animæque piorum
Ad cœlum erectas ceperunt tendere palmas,
Atque hic inſignis funda, citharaque decorus,
Inſignis ſceptro Senior, per opaca locorum
Dum graditur, nectitque ſacros diademate crines:
Dum legit effœtos Lethæo in gramine flores,
Qua tacite labuntur aquæ, mutæque volucres
Ducunt per ſteriles æterna ſilentia ramos:
Adtonita ſubitos concepit mente furores,
Divinamque animam: & conſueto numine plenus,
Intorquens oculos, venientia fata recenſet.
Naſcere magne puer: noſtros quem ſolvere nexus,
Et tantos Genitor voluit perferre labores.
Magne puer, cui ſe hæc tandem ſpolianda reſervant
Regna, tot heu miſeris hominum ditata ruinis:

Na-

Naſcere, venturum ſi te mortalibus olim
Pectore veridico promiſimus: igneus ut nos
Viribus adflatos cœleſtibus ardor agebat
Inſinuans: ſi ſacra peregimus, & tua latè
Juſſa per immenſum fama vulgavimus orbem.
En ridet pax alma tibi; ſimul ecce potentes
Impulſi cœlo, Diviſque auctoribus acti,
Orbe alio properant Reges: ſalvete beati
Æthiopes, hominum ſanctum genus, aſtra ſecuti:
Scilicet huc veſtris adfertis munera regnis.
Accipe dona, puer, tuque, o ſanctiſſima Mater,
Sume animos: jam te populique, duceſque frequentant
Litore ab extremo, & odoriferis Nabathæis.
Ille autem aurata fulgens in veſte Sacerdos
Jam canus, jam maturo venerabilis ævo,
Quid ſibi vult? ſacras puerum qui ſiſtit ad aras,
Sic venerans? lætoque inſpectans æthera vultu?
Seque dehinc facili clauſurum lumina fato,
Exclamat: quod ſperatum per ſæcula munus,
Promiſſamque diu patem, certamque ſalutem
Terrarum, exorta liceat ſibi luce tueri
Optanti, ſeniumque ideo. Parcaſque trahenti.
Sed quid ego heu dira conſperſos cæde penates
Infantum, & ſubito currentes ſanguine rivos
Adſpicio triſtiſque meas vagitus ad aures
Fertur? jo ſcelus eſt, partus jugulare recentes.
Crudelis, quid agis? nihil hi meruere: neque illum
Quem petis, inſano dabitur tibi perdere ferro.
Nunc nunc, o matres, ſcelerata abſcedite terra,
Dum licet: inque ſinu pueros abſcondite veſtros;
Nam ferus hoſtis adeſt, propera jam, regia Virgo,
Inque Paræthonias transfer tua pignora terras:
Admonet hoc magnum Genitor, qui temperat orbem.
Tuta domus, tutique illic tibi, Dia, receſſus.
Verum ubi biſſenas hiemes, biſſenaque nati
Solſtitia, & tantos ſuperaveris anxia caſus:
Ingentes imo duces de pectore queſtus,
Aureaque aſſiduis pulſabis ſidera votis.

Nam Puerum, quamvis per compita ſæpe vocatum,
Sæpe expectatum conſuetæ ad gaudia menſæ,
Perquires nequidquam amens: nec cara petentem
Oſcula, nec ſera redeuntem nocte videbis,
Treſque illum totos mœrenti pectore ſoles,
Et totidem trepidas ſomni ſine munere noctes
Omnia luſtrantes, queſtu omnia confundentes,
Flebitis indigno perculſi corda dolore
Tuque, Senexque tuus. Quarto ſed Lucifer ortu,
Purpureos tremulo quum tollet ab æquore vultus,
Inventum dabit, & quærentibus offeret ultro.
O quas tunc lacrimas, o quæ tunc oſcula, mater,
Quos dabis amplexus, miſto inter gaudia fletu!
Quum natum ante aras patris, & delubra ſedentem,
Mulcentemque ſenes dictis, animoſque trahentem
Adſpicies gaviſa, ipſo admirante ſenatu
Primitias pueri ingentes nec inane ſagacis
Pectoris indicium, nataque ad grandia mentis.
Tu vero quid in arma ruis, ſcelerata Juventus?
Quid galeas, enſeſque virûm: & fulgentia cerno
Agmina? ſcutataſque procul ſub nocte cohortes
Obſcura, & crebris radiantes ignibus haſtas?
Totne unum telis petitur caput? heu furor, heu mens
Cæca hominum, ſemperque odiis adcincta nefandis!
Jamque Oleas, montemque ſacrum circumque ſupraque
Cinxere; & longa lucum obſedere corona.
Quo feror? ecce trahunt manibus poſt terga revinctis
Inſontem: modo quem latas mira illa per urbes
Edentem, patriſque palam præcepta docentem
Attoniti ſtupuere, illum Regemque Deumque
Humanæque ducem vitæ, fontemque ſalutis
Haud veriti populo circum plaudente fateri.
Heu facinus! mortemne etiam, & crudele minantur
Supplicium? ſævos ſtringunt in vulnera faſces,
Horrenteſque parant paliuro intexere dumos,
Tormenti genus: & capiti premere inde coronam
Vulnificam: viden' alternos ut arundinis ictus
Incutiunt: geminantque truci convicia lingua?

Parte alia ingentes video de ſtirpibus imis
Everti palmas, altas ad ſidera palmas,
Infelix opus: unde hominum lux illa, decorque
Pendeat: ah trepidis dirum, & miſerabile terris!
Quum patri æthereo moriens liventia pandet
Brachia, turpatoſque atra de morte capillos,
Oraque, demiſſoſque oculos, frontemque cruore
Jam madidam, & lato patefactum pectus hiatu.
At mater, non jam mater, ſed flentis, & orbæ
Infelix ſimulacrum, ægra, ac ſine viribus umbra,
Ante Crucem demiſſa genas, effuſa capillum,
Stat lacrimans, triſtique irrorat pectora fletu.
Ac ſi jam comperta mihi licet ore profari
Omnia: defeſſi ſpectans morientia nati
Lumina, crudeles terras, crudelia dicit
Sidera: crudelem ſeſe, quod talia cernat
Vulnera, ſæpe vocat: tum luctiſono ululatu
Cuncta replens, ſingultanti ſic incipit ore:
Incipit, & duro figit ſimul oſcula Ligno
Exclamans: quis me miſeram, quis culmine tanto
Dejectam, ſubitis involuit, nate, procellis?
Nate, patris vires, ſanguis meus, unde repente
Hæc fera tempeſtas? quis te mihi fluctus ademit?
Quæ manus indignos fœdavit ſanguine vultus?
Cui tantum in ſuperos licuit? bella impia cœlo
Quis parat? hunc ego te poſt tot male tuta labores,
Poſtque tot infelix elapſæ incommoda vitæ
Adſpicio? tune illa tuæ lux unica Matris?
Tune animæ pax, & requies, ſpeſque ultima noſtræ
Sic raperis? ſic me ſolam, exanimemque relinquis?
O dolor: extincto jam te pro fratre ſorores,
Pro natis toties exoravere parentes:
Aſt ego pro nato, pro te Dominoque Deoque
Quem miſera exorem? quo triſtia pectora vertam?
Cui querar? o tandem diræ me perdite dextræ:
Me potius (ſi qua eſt pietas) immanibus armis
Obruite, in me omnes effundite pectoris iras:
Vel tu, ſi tanti eſt hominum genus, eripe matrem,

Quæ rogat, & Stygias tecum duc, nate, ſub umbras.
Ipſa ego te per dura locorum, inamœnaque vivis
Regna ſequar: liceat rumpentem cernere portas
Æratas: liceat pulchro ſudore madentem
Everſorem Erebi materna abſtergere dextra.
Hos illa, & plureis fundet de pectore queſtus.
Quod ſcelus Eois ut primum cernet ab undis
Sol indignantes retro convertere currus
Optabit, fruſtraque ſuis luctatus habenis,
Quod poterit tandem, auratos ferrugine crineis
Inficiet, mœſtamque diu ſine lumine frontem
Oſtendet terris: ut qui jam ploret ademptum
Auctorem, Regemque ſuum: quin ipſa nigranti
Fratris ab ore timens, & tanto concita caſu
Cynthia. cæruleo vultus obnubet amictu,
Avertetque oculos, lacrimaſque effundet inanes.
At contra horriſono tellus concuſſa tremore,
Cum gemitu fremet: & ruptis excita ſepulchris
Emittet ſimulacra. Quid, o, quid abire paratis,
Illuſtres animæ? non omnibus hæc data rerum
Conditio: paucis remeare ad lumina vitæ
Conceſſum. Sed tempus erit, quum Martia rauco
Mugitu cœlum quatiet tuba: quumque repente
Corpora per terras omnes late omnia ſurgent.
Nunc autem ſat Tartarei ſi clauſtra Tyranni
Effringat Rex ille: & caligantia pandat
Atria: diffugiant immiſſo lumine diræ
Eumenidum facies jactis in terga colubris.
Quas atro vix in limo Phlegethontis aduſtum
Accipiat nemus, & fumanti condat in ulva.
Tum variæ peſtes, & monſtra horrentia Ditis
Ima petant: trepident Briareïa turba, Ceraſtæ,
Semiferumque genus Centauri, & Gorgones atræ,
Scyllæque, Sphingeſque, ardentiſque ora Chimæræ,
Atque Hydræ, atque Canes, & terribiles Harpyiæ.
Ipſe catenato feſſus per Tartara collo
Ducetur Pluton, triſti quem murmure circum
Inferni fractis mœrebunt cornibus amnes.

At

At nos virginea præcincti tempora lauru,
Signa per extentos cœli victricia campos
Tollemus, lætoque Ducem clamore ſequemur.
Victor io, bellator io, tu regna profunda,
Tu maneis, Erebumque, Poteſtateſque coërces
Aërias. Lethumque tuo ſub Numine torques.
Ille alto temone ſedens, levibuſque quadrigis
Lora dabit, volucreſque reget placido ore jugales,
Non jam cornipedum ductos de ſemine equorum,
Nec qui conſuetas carpant præſepibus herbas.
Primus enim valido ſubnixus eburnea collo
Fert juga formoſi pecoris cuſtodia Taurus:
Stellatus minio Taurus: cui cornua fronti
Aurea, & auratis horrent palearia ſetis:
Perque pedes bifidos radiant nova ſidera gemmæ.
Torva Bovi facies; ſed qua non altera cœlo
Dignior, imbriferum quæ cornibus inchoët annum,
Nec quæ tam claris mugitibus aſtra laceſſat.
Et juxta nemorum terror, rex ipſe ferarum
Magnanimus nitet ore Leo: quem fuſa per armos
Conveſtit juba: pectoribus generoſa ſuperbit
Majeſtas: non jam ut cædes, aut prœlia ſævus
Adpetat (innocuis armantur dentibus ora:
Grataque tranquillo ridet clementia vultu)
Sed cœlo ut ſpatietur, & alta ad ſidera tendat.
Hos poſt inſequitur pulchros pennata per artus
Alituum Regina: ſacræ cui vertice plumæ
Adſurgunt: flavoque caput diademate fulget.
Ipſa ingens alis, ingentis fulminis inſtar
Supra hominum tecta, ac montes ſupraque volucres
Fertur: & obſtantes curſu petit obvia nubes.
Ultimus humana ſociat cervice laborem
Alatus tergo Juvenis; cui lutea lævo
Ex humero chlamys Eois inſperſa lapillis
Pendet; eam variant centum longo ordine Reges,
Antiquum genus, & Solymæ primordia gentis.
Oſtro intertexti, veros cognoſcere vultus
Eſt illic: veros montes, & flumina credas:

Et

Et vera extremo Babylon nitet aurea limbo.
Tali ſidereas curru ſubvectus in auras
Indutos referens ſpoliis pallentibus axeis,
Perveniet: recto qua panditur orbita tractu
Lactea, & ad ſedes ducit candentis Olympi.
Illic auratæ muros mirabimur urbis,
Auratasque domos, & gemmea tecta, viasque
Stelliferas, vitreosque altis cum montibus amnes.
Atque ibi, seu magni celſum penetrale Tonantis,
Sive alios habitare lares, ac tecta minorum
Cœlicolum dabitur: ſtellas numerare licebit:
Surgentemque diem pariter, pariterque cadentem
Sub pedibus ſpectare, & longos ducere ſoles:
Longaque venturis protendere nomina ſæclis.
 Hæc ubi dicta: patres plauſu excepere frequentes
Fatidicum Vatem; ſublatumque aggere ripæ
Adtollunt humeris, lætumque per avia ducunt.
Intremuere Erebi ſedes, obſcuraque Ditis
Limina, ſuſpirans imo de corde Megæra
Dat gemitum, & torvas ſpectat ſine mente Sorores.
Tum caudam exululans ſub ventre recondidit atram
Cerberus, & ſontes latratu terruit umbras:
Commotiſque niger Cocytus inhorruit antris:
Et vaga Siſyphiis hæſerunt ſaxa lacertis.

DE PARTU VIRGINIS.

LIBER SECUNDUS.

Regina ut ſubitos imo ſub pectore motus
Senſit, & adflatu divini Numinis aucta eſt:
Haud mora, digreſſu volucris ſuſpenſa Miniſtri,
Exſurgit; monteſque procul contendit in altos
Feſtinans, ea cura animo vel prima recurſat
Matronam defeſſam ævo, cui nulla fuiſſent
Dona uteri (mirum dictu!) jam ſegnibus annis
Fœcundam, ſextique gravem ſub pondere menſis.
Protinus adfari, vocemque audire loquentis

Et

Et ſpectare oculis ſterili data Pignora Matri.
Ergo adcincta viæ, nullos ſtudioſa paratus
Induitur, nullo diſponit pectora cultu.
Tantum albo crineis injectu veſtis inumbrans,
Qualis ſtella nitet, tardam quæ circuit Arcton
Hiberna ſub nocte: aut matutina reſurgens
Aurora: aut ubi jam Oceano Sol aureus exit.
Quaque pedes movet hac caſiam terra alma miniſtrat,
Pubenteſque roſas, nec jam mœſtos hyacinthos,
Narciſſumque crocumque, & quidquid purpureum ver
Spirat hians, quidquid florum per gramina paſſim
Subgerit, immiſcens varios Natura colores,
Parte alia celeres ſiſtunt vaga flumina curſus:
Exſultant valleſque cavæ, colleſque ſupini:
Et circumſtantes ſubmittunt culmina pinus:
Crebraque palmiferis erumpunt germina ſilvis.
Omnia lætantur, ceſſant Eurique, Notique:
Ceſſat atrox Boreas, tantum per florea rura
Regna tenent Zephyri, cœlumque tepentibus auris
Mulcent, quaque datur, gradientem voce ſalutant.
Ut ventum ad ſedes, vultu longæva verendo
Occurrit conjux juſti ſenis: atque repente
Plena Deo, ſubitoque uteri concuſſa tumultu,
Excipit amplexu venientem, ac talibus infit:
O decus, o laudis, Mulier, dux prævia noſtræ,
Cœlitibus ſola humanum quæ digna reperta es
Conciliare genus, cœtuſque adtollere ad aſtra
Femineos: gremium cujus divinus obumbrat
Palmes, inexhauſtis terras qui compleat uvis:
Quis me, quis tanto ſuperûm dignatur honore?
Tune procul viſura humileis, Regina, penateis
Veniſti? tune illa mei pulcherrima Regis
Mater ades? viden', ut noſtra puer excitus alvo,
Quum mihi vix primas vocis ſonus ambiat aures,
Jam ſalit, & dominum ceu præcurſurus adorat?
Felix Virgo, animi felix, cui tanta mereri
Credulitas dedit una: in te nam plena videbis
Omnia, quæ magni verax tibi dixit Olympi

Ali-

Aliger, arcano delapſus ab æthere curſu.
Illa ſub hæc: Miranda alti quis facta Tonantis,
O Mater, meritas cœlo quæ tollere laudes
Vox queat? exſultant dulci mea pectora motu
Auctori tantorum operum: qui me ima tenentem,
Indignamque humilemque ſuis reſpexit ab aſtris.
Munere quo gentes felix ecce una per omnes
Jam dicar: nec vana fides: ingentia quando
Ipſe mihi ingenti cumulavit munera dextra
Omnipotens, ſanctumque ejus per ſæcula nomen,
Et quæ per magnas clementia didita terras
Exundat; qua paſſim omnes ſua juſſa verentes
Uſque fovens, nullo neglectos deſerit ævo.
Tum fortem exſertans humerum, dextramque coruſcans,
Inſanos longe faſtus, menteſque ſuperbas
Diſpulit, afflixitque ſuper: ſolioque potentes
Deturbans dedit in præceps, & ad ima repreſſit:
Extollenſque humiles, aliena in ſede locavit.
Pauperiemque famemque fugans, implevit egenos
Divitiis; vacuos contra, nudoſque reliquit,
Qui nullas opibus metas poſuere parandis,
Poſtremo ſobolem [neque enim dare majus habebat]
Æternam Genitor ſobolem, ſæcliſque priorem
Omnibus, æqualemque ſibi de ſanguine fidi
Suſcepit pueri (tantis quod honoribus unum
Deerat adhuc) non ille animi, morumque ſuorum
Oblitus, quippe id meditans promiſerat olim
Sacrificis proavorum atavis, ſtirpique nepotum.
Hæc Virgo. At Senior nullus cui vocis adempto
Uſus erat, ſupplex nunc greſſum obſervat euntis,
Virgineoſque pedes, tactæque dat oſcula terræ:
Nunc lætus tollit duplices ad ſidera palmas:
Quoque poteſt, ſolo teſtatur gaudia nutu:
Oſtenditque manu Vatum tot ſcripta priorum:
Quæ quis agente Deo, quondam, dum vita manebat,
Edidit, & populis liquit celebranda futuris:
Scilicet effuſum tacitis de nubibus imbrem
Lanigerum in tergus: germenque e ſtirpe vetuſta

Arboris exſurgens, incombuſtumque ſonoro
Igne rubum: & priſcis ſtellam de patribus ortam.
Quæ dum cuncta gravi venturi haud inſcia viſu
Percurrit relegens: alto cum corde volutat
Conceptus Virgo inſolitos, & ab æthere lapſam
Progeniem, pluviæ in morem, quæ vellere molli
Excepta, haud ullos ſonitus, nec murmura reddit;
Seque Rubum, Virgamque, alto ſe denique miſſam
Sidus grande mari prorſum agnoſcitque, videtque.
Non tamen auſa loqui, tanto aut ſe dicere dignam
Munere: ſed tacito affectu tibi, maxime Divûm,
Grates, rector, agit, mentemque ad ſidera tollit.
Et jam Luna cavum ter luce repleverat orbem,
Ter ſolitas de more intrarat cæca latebras:
Quum Virgo in patriam reditum parat, omnia quando
Certa videt, ſubeunt dilectæ grata parentis
Adloquia: adſuetæque piis ſermonibus ædes:
Quæque ſalutantis voces, ac verba miniſtri
Audiit, & primos excepit cella volatus:
Cella choris ſuperûm luſtrata, & cognita cœlo.
Ergo iter inceptum caris digreſſa propinquis
Accelerat, relegitque viam per nota locorum.
Nec mora, nec requies uſquam: nec lumina flectit,
Cœlicolum quamvis ſacro circumdata cœtu,
Donec ad optatum pervenit ſedula limen.
Atque ibi, dum conſueta ſuo cum pectore verſat
Gaudia: paullatim maturi tempora ventris
Adventare videt: ſcires jam numen in illa
Grande tegi: nullos adeo ſentire dolores
Dat Superûm Genitor, nullaque ex parte gravari.
Interea terra parta jam pace, marique,
Auguſtus pater æratis bella impia portis
Clauſerat, & validis arctarat vincta catenis:
Dumque ſuas Regnator opes, vireſque potentis
Imperii, exhauſtaſque armis civilibus urbes
Noſſe cupit; magnum cenſeri juſſerat orbem,
Deſcribi populos late, numerumque referri
Cunctorum ad ſeſe capitum, quæ maxima tellus

Y Suſti-

Suſtinet, & rapido complectitur æquore Nereus.
Ergo omnes lex una movet, ſua nomina mittunt,
Qui montes, Aurora tuos, regna illa feracis
Armeniæ, qui convalles, atque alta Niphatæ
Saxa tenent, longe pictis gens nota pharetris,
Gens fines luſtrare ſuos non ſegnis, & arcu,
Qua vagus Euphrates, qua devius exit Araxes,
Felices tractus, & late munere Divûm
Conceſſos defendere agros bene olentis amomi
Cenſetur Tauri paſſim, cenſetur Amani
Incola: prædatorque Cilix: & Iſaurica quiſquis
Rura domat: quicumque tuas, Pamphylia, ſilvas:
Quique Lycaoniam, felicia jugera: quique
Flaventem curvis Lyciam perrumpit aratris.
Jam clari bello Leleges, populique propinqui
Juſſa obeunt: gens quæque ſuo dat nomina ritu.
Qui Ceramon, bimaremque Gnidon; quique alta tuentur
Mœnia, diſpoſitis ubi circumſepta columnis
Tollit ſe nivei moles operoſa ſepulchri,
Barbara quam rapto poſuit Regina Marito.
Et quos Mæandri toties ludente recurſu
Unda rigat, rigat ipſe ſuo mox amne Cayſter,
Herboſo niveos dum margine paſcit olores.
Quoſque metalliferis veniens Pactolus ab antris
Circuit: & rutila non parcior Hermus arena,
Myſorum manus omnis: Apollineæque Celænæ:
Idaque, Rhœtææque arces, celebrataque Muſis
Pergama, Sigæumque jugum, Priameja quondam
Regna armis, ducibuſque, ducum nunc nota ſepulchris,
Quæ nauta, anguſtum dum præterit Helleſpontum,
Oſtendens ſociis: hoc, inquit, litore flentes
Nereides ſteterant, paſſis quum mœſta capillis
Ipſa ſuum de more Thetis clamaret Achillem.
His & Bithynæ claſſes, & Pontica late
Adcedit regio, paret ſcopuloſa Carambis:
Parendi ſtudio fervet ſimul alta Sinope:
Fervet Halys: quique immenſis procul amnibus auctus
Cappadocum medios populos diſcriminat Iris:

Thermodon Chalibeſque: adtritaque ſaxa Prometheo.
Præterea qua ſe Thracum Mavortia tellus
Pandit, & algentem Rhodope procurrit in Æmum:
Qua Macetûm per ſaxa ruit torrentibus undis
Axius, umbroſæque tegunt Haliacmona ripæ:
Quaque jacet diris omen Pharſalia bellis,
Et bis Romana ferales clade Philippi,
Conveniunt populi certatim, & juſſa faceſſunt.
Vos etiam veſtros his adjunxiſtis alumnos,
Vicinæ paſſim vacuis jam mœnibus urbes,
Antiquæ Grajorum urbes, gens optima morum
Formatrix, clara ingeniis, & fortibus auſis:
Seu quæ litoreos tractus, monteſque tenetis:
Seu quæ per medias diſperſæ exurgitis undas.
Tum latus Epiri, qua formidabile nautis
Adtollunt ſummo caput Acroceraunia cœlo,
Urget opus, jamque Alcinoi dat regia cenſum:
Illyricæque manus: impacatique Liburni:
Litoraque Jonio paſſim pulſata profundo.
Nec tu cui latè imperium terræque, mariſque
Bellatrix peperit virtus, & Martius ardor,
Non populos, non ipſa tuas, Terra inclita, gentes
Deſcribis, Terra una armis, & fœta triumphis,
Una viris longe pollens, atque æmula cœlo;
Nubiferæ quam præruptis anfractibus Alpes
Præcingunt, mediamque pater ſecat Apenninus,
Et geminum rapido fluctu circumtonat æquor.
Deſcripſere ſuos, quamvis non axe ſub uno,
Hinc Rhenus pater indigenas, hinc latior undis
Danubius: qui ſilvarum per vaſta volutus,
Paſcere non populos, non lambere deſinit urbes,
Donec ad optatam rapidò venit agmine Peucen.
Quin & proceras ſcrutatur Gallia ſilvas,
Gallia Cæſareis Latio dignata triumphis:
Quam Rhodanus, quam findit Arar, quam permeat ingens
Sequana, piſcoſoque interluit amne Garumna.
Tum quas pinniferis gentes prærupta Pyrene
Rupibus, Herculeas proſpectat ad uſque columnas,

Co-

Cogit Anas, cogit ripa formoſus utraque
Duria, & albenti Bætis præcinctus oliva,
Auratamque Tagus volvens ſub gurgite arenam,
Quique ſuo terras inſignit nomine Iberus.
Parte alia vaſtas circumvocat Africa vires:
Getuli, Maurique duces rimantur opaci
Atlantis nemora, & diſperſa mapalia ſilvis.
Scribitur & vacuis ut quiſque inventus arenis,
Seu paſtor, ſeu ſubcinctis venator in armis
Obſervans ſævos latebroſa ad teſqua leones.
Maſſylûm quicumque domos, quicumque repoſtos
Heſperidûm lucos, munitaque montibus arva
Incolit, & ramis nativum decutit aurum:
Et qui vertentes immania ſaxa juvencos
Flectit arans; qua devictæ Carthaginis arces
Procubuere, iacentque infauſto in litore turres
Everſæ. Quantum illa metûs, quantum illa laborum
Urbs dedit inſultans Latio, & Laurentibus arvis!
Nunc paſſim vix relliquias, vix nomina ſervans,
Obruitur propriis non agnoſcenda ruinis.
Et querimur genus infelix humana labare
Membra ævo: quum regna palam moriantur, & urbes?
Jamque Macas idem ardor habet: venere volentes
Barcæi: venere ſuis Naſamones ab arvis:
Navifragas qui per Syrtes, infidaque circum
Litora, mærentum ſpoliis onerantur, & altos
Inſiliunt nudi cumulos extantis arenæ,
Inque ſuas vertunt aliena pericula prædas.
Poſtremo Pſylli, Garamanticaque arva tenentes:
Quique Cyrenæas ſuſpendunt vomere glebas,
Laudataſque legunt ſucois præſtantibus herbas,
Quique Jovis palmeta, Hasbytarumque receſſus:
Marmaricas qui late oras: qui paſcua ſervant
Ægypti, Meroëſque, ſacer quos Nilus inundat,
Nilus ab æthereo ducens cunabula cœlo.

Nec minus & caſta ſenior cum Virgine Cuſtos
Ibat, ut in patria nomen de more, genuſque
Ederet, & juſſum non ſegnis penderet aurum.

Ille domum antiquam, & regnata parentibus arva
Inviſens, ſecum proavos ex ordine Reges,
Claraque facta Ducum, pulchramque ab origine gentem
Mente recenſebat tacita: numerumque ſuorum,
Quamvis tunc pauper, quamvis incognitus ipſis
Adgnatis, longe adveniens explere parabat.
Jam fines, Galilæa, tuos emenſus, & imas
Carmeli valles, quæque altus vertice opacat
Rura Thabor, ſparſamque jugis Samaritida terram
Palmiferis; Solymas a læva liquerat arces:
Quum ſimul e tumulo muros, ac tecta domorum
Proſpexit, patriæque adgnovit mœnia terræ.
Continuo lacrimis urbem veneratur obortis:
Intenditque manus, & ab imo pectore fatur:
  Bethlemiæ turres, & non obſcura meorum
Regna Patrum, magnique olim ſalvete penates:
Tuque o terra parens Regum, viſuraque Regem,
Cui Sol, & gemini famulantur cardinis axes,
Salve iterum, te vana Jovis cunabula Crete
Horreſcet, ponetque ſuos temeraria faſtus:
Mœnia te Dircæa trement: ipſamque pudebit
Ortygiam geminos Latonæ extollere partus.
Parva loquor: prono veniet diademate ſupplex
Illa potens rerum, terrarumque inclita Roma:
Et ſeptemgeminos ſubmittet ad oſcula montes.
Dixit, & extrema movit veſtigia voce:
Maturatque viam Senior: tardumque fatigat
Vectorem: & viſas greſſum molitur ad oras.
  Et jam prona dies fluctus urgebat Iberos,
Purpureas pelago nubes, aurumque relinquens.
Ecce autem magnis plenam conventibus urbem
Protinus, ut venere, extremo e limine portæ
Adſpiciunt, miſtum confluxerat undique vulgus,
Turba ingens, credas longinquo ex æquore vectas
Ad merces properare: aut devaſtantibus arva
Hoſtibus, in tutum trepidos fugiſſe colonos.
Cernere erat perque anfractus, perque arcta viarum
Cuncta repleſſe viros, confuſoque ordine matres:

Permiſtos pecori agricolas, hos jungere plauſtra;
Hos intendere vela: alios diſcumbere apertis
Porticibus: reſono compleri cuncta tumultu:
Accenſos variis lucere in partibus ignes.
Quæ Pater admirans, tacito dum ſingula viſu
Percurrit, circumque domos, & limina luſtrat,
Nec ſupereſſe locum tecto videt: ibimus, inquit,
Quo Deus, & quo ſancta vocant Oracula Patrum.
Eſt ſpecus haud ingens parvæ ſub mœnibus urbis,
Incertum manibuſne hominum, genione potentis
Naturæ formatus, ut hæc ſpectacula terris
Præberet, tantoſque diu ſervatus in uſus,
Hoſpitio cœlum acciperet: cui plurima dorſo
Incumbit rupes pendentibus undique ſaxis
Aſpera, & exeſæ cingunt latera ardua cautes:
Defunctis operum domus haud ingrata colonis.
Huc Heros tandem ſuperata ambage viarum
Sic monitus, ducente Deo, cum Conjuge ſancta
Devenit, multaque ſenex ſe nocte recepit.
Ac primum ſiccis ramalibus excitat ignem;
Stramineoque thoro Comitem locat: ægra cubantis
Membra ſuper veſtem involvens: mox adligat ipſos,
Permulcens, jam non duros, jam ſponte ſequentes,
Quadrupedes: ut forte aderat fœnile ſaligna
Subfultum crate, & palmarum vimine textum.
Nunc age, Caſtaliis quæ numquam audita ſub antris
Muſarumve choris celebrata, aut cognita Phœbo,
Expediam: vos ſecretos per devia calles,
Cœlicolæ, vos, ſi merui, monſtrate receſſus
Intactos: ventum ad cunas, & gaudia cœli,
Mirandoſque ortus, & tecta ſonantia ſacro
Vagitu. Date ferre pedem, qua nulla priorum
Obvia ſint oculis vatum veſtigia noſtris.
Tempus erat, quo nox, tardis invecta quadrigis
Nondum ſtelliferi mediam pervenit Olympi
Ad metam; & taciti ſcintillant ſidera mundi;
Quum ſilvæque, urbeſque ſilent: quum feſſa labore
Accipiunt placidam mortalia pectora ſomnum

Non fera, non volucris, non picto corpore ſerpens
Dat ſonitum, jamque in cineres conſederat ignis
Ultimus, & ſera perfuſus membra quiete
Scrupoſo Senior caput adclinaverat antro.
Ecce autem nitor ex alto novus emicat, omnemque
Exſuperat veniens atræ caliginis umbram:
Auditique Chori Superûm, & cœleſtia curvas
Agmina pulſantum citharas, ac voce canentum.
Agnovit ſonitum, partuſque inſtare propinquos
Haud dubiis Virgo ſenſit lætiſſima ſignis.
Protinus erigitur ſtratis, cæloque nitentes
Adtollit venerans oculos, ac talia fatur:
Omnipotens Genitor, magno qui ſidera nutu,
Aëriosque regis tractus, terraſque, fretumque,
Ecquid adeſt tempus, quo ſe ſine labe ſerenam
Efferat in lucem Soboles tua? quo mihi tellus
Rideat, & teneris depingat floribus arva?
En tibi maturos fructus, en reddimus ingens
Depoſitum: tu nequa pio jactura pudori
Obrepat, ſummo, defende, & conſule, cœlo.
Ergo ego te gremio reptantem, & nota petentem
Ubera, care Puer, molli ſtudioſa fovebo
Amplexu; tu blanda tuæ dabis oſcula matri
Adridens, colloque manum, & puerilia nectes
Brachia, & optatam capies per membra quietem.
Sic memorat: fruiturque Deo, Comitumque micanti
Agmine, diviniſque animum concentibus explet.
Atque olli interea revoluto ſidere felix
Hora propinquabat. Quis me rapit? accipe vatem,
Diva, tuum: rege Diva, tuum. feror arduus altas
In nubes: video totum deſcendere cœlum
Spectandi excitum ſtudio: da pandere factum
Mirum, indictum, inſuetum, ingens: abſiſtite curæ
Degeneres, dum ſacra cano. Jam læta laborum,
Jam non vexa metu, ſæcli Regina futuri
Stabat adhuc, nihil ipſa ſuo cum corde caducum,
Nil mortale putans; illam Natuſque, Paterque,
Quique prius quam Sol cœlo, quam Luna niteret,
Spi-

Spiritus obſcuras ibat ſuper igneus undas,
Stant circum, & magnis permulcent pectora curis.
Præterea redeunt animo quæcumque verendus
Dixerat Interpres: acti ſine pondere menſes,
Servatuſque pudor: clauſa quum protinus alvo
(O noctem Superis lætam, & mortalibus ægris!)
Sicut erat foliis, ſtipulaque innixa rigenti,
Divinum ſpectante polo, ſpectantibus aſtris,
Edit onus. Qualis rorem quum vere tepenti
Per tacitum matutinus deſudat Eous:
Et paſſim teretes lucent per gramina guttæ:
Terra madet: madet adſperſa ſub veſte viator
Horridus, & pluviæ vim non ſenſiſſe cadentis
Admirans, gelidas udo pede proterit herbas.
Mira fides! puer æthereas jam lucis in auras
Prodierat: fœnoque latus male fultus agreſti,
Impulerat primis reſonum vagitibus antrum.
Alma parens nullos intra præcordia motus,
Aut incurſantes devexi ponderis ictus
Senſerat: hærebant immotis viſcera clauſtris.
Haud aliter, quam quum purum ſpecularia Solem
Admittunt: lux ipſa quidem pertranſit, & omnes
Irrumpens laxat tenebras, & diſcutit umbras:
Illa manent illæſa; haud ulli pervia vento,
Non hiemi radiis, ſed tantum obnoxia Phœbi.
Tunc puerum tepido Genitrix involvit amictu,
Exceptumque ſinu, blandeque ad pectora preſſum
Detulit in præſepe. Hic illum mitia anhelo
Ore fovent jumenta. O rerum occulta poteſtas!
Protinus agnoſcens Dominum procumbit humi Bos
Cernuus: &, mora nulla, ſimul procumbit Aſellus
Submittens caput, & trepidanti poplite adorat.
Fortunati ambo: non vos aut fabula Cretæ
Polluet, antiqui referens mendacia furti,
Sidoniam mare per medium vexiſſe puellam:
Aut ſua dum madidus celebrat portenta Cytheron,
Infames inter thyaſos, vinoſaque ſacra
Arguet obſequio fœdo inſudaſſe puellam.

Solis quippe Deum vobis, & pignora cœli
Noſſe datum, ſolis cunabula tanta tueri.
Ergo dum refugo ſtabit circumdata fluctu
Terra parens; dum præcipiti vertigine cœlum
Volvetur; Romana pius dum templa Sacerdos
Rite colet: veſtri ſemper referentur honores:
Semper veſtra fides noſtris celebrabitur aris.
Quis tibi tunc animus, quæ ſancto in corde voluptas,
O Genitrix, quum muta tuis famulantia cunis,
Ac circum de more ſacros referentia ritus
Adſpiceres domino genua inclinare potenti,
Et ſua commotum trahere ad ſpectacula cœlum?
Magne pater, quæ tanta rudes prudentia ſenſus
Leniit? informi tantos quis pectore motus
Excivit calor, & pecudum in præcordia venit?
Ut quem non Reges, non accepere tot urbes,
Non populi, quibus una aras, & ſacra tueri
Cura fuit: jam Bos torpens, jam ſegnis Aſellus
Auctorem latè, poſſeſſoremque ſalutent?
Vocibus interea ſenſim puerilibus Heros
Excitus, ſomnum expulerat, noctemque fugarat
Ex oculis: jamque Infantem videt, & videt ipſam
Majorem adſpectu, majori & lumine Matrem
Fulgentem, nec quoquam oculos, aut ora moventem,
Sublimemque ſolo, Superûm cingente caterva
Aligera. Qualis, noſtrum quum tendit in orbem,
Purpureis rutilat pennis nitidiſſima Phœnix:
Quam variæ circum volucres comitantur euntem.
Illa volans, Solem nativo provocat auro,
Fulva caput, caudam & roſeis interlita punctis
Cæruleam, ſtupet ipſa cohors: plauſuque ſonoro
Per ſudum ſtrepit innumeris exercitus alis.
Miratur lucem inſolitam: miratur ovantes
Cœlicolum cantus Senior, tum victus, & amens,
Adtonituſque animi, tantiſque ardoribus impar,
Corruit, & geminas vultum demiſit in ulnas:
Adfuſuſque diu, telluri, immobilis hæſit.
Hic illum Superi juxta videre jacentem,

Vidit dia parens: nec longum paſſa ſeniles
Obduci tenebris oculos; dat ſurgere, & ægrum
Suſtentare genu, tremuliſque inſiſtere plantis,
Divinoſque pati vultus, ſuperique nitorem
Ignis, & æthereas vibrantia lumina flammas.
Ille ubi paullatim vires, animumque reſumſit:
Nodoſo incumbens baculo, modulantia primum
Agmina, Reginamque Deûm de more ſalutat.
Mox ipſum adcedens præſepe, ulvaque paluſtri
Impoſitum ſpectans Dominum terræque, mariſque;
(O timor, o mentis pietas!) puerilia membra
Non auſus tractare manu, cunctatur: ibi auram,
Inſperatam auram divino efflantis ab ore
Ore trahens, ſubito correptus Numinis hauſtu,
Adflatuſque Deo, ſic tandem voce quieta
Incipit, & lacrimis oculos ſubfundit obortis:
  Sancte Puer, non te Phariis operoſa columnis
Atria, non variata Phrygum velamina textu
Excepere (jaces nullo ſpectabilis auro)
Anguſtum ſed vix ſtabulum, male commoda ſedes,
Et fragiles calami, lectæque paludibus herbæ,
Fortuitum dant ecce thorum: laqueata tyrannos
Tecta, & regifico capiant aulæa paratu.
Te pater æterno Superûm ditavit honore
Illuſtrans: tibi ſiderei domus aurea cœli
Plaudit, inextinctoſque parat Natura triumphos.
Et tamen hanc ſedem Reges, hæc undique magni
Antra petent populi: longe quos cærula Calpe
Litore ab occiduo, nigriſque impellet ab Indis
Sol oriens: quos & Boreas, & fervidus Auſter
Diverſo inter ſe certantes cardine mittent.
Tu paſtor, tu diſperſas revocare per agros
Miſſus oves late, pectuſque obferre periclis,
Prodigus ah nimium vitæ, per tela, per hoſtes
Obſcurum nemus irrumpens, rabida ora luporum
Compeſces, ſaturumque gregem ſub tecta reduces.
O mihi certa fides Superûm, decus addite terris,
Nate Deo, Deus ipſe, æterno e lumine lumen.

Te te ego, te circum Genitrix, lætique Miniſtri
Concinimus, primique tuos celebramus honores.
Longaque perpetuis indicimus orgia faſtis.

DE PARTU VIRGINIS.

LIBER TERTIUS.

AUratum intereà culmen bipatentis Olympi
Conſcendit Genitor, rerum inviolata poteſtas,
Læta fovens tacito ſub pectore: mox jubet omnes
Ad ſeſe acciri Superos: quique atria longe
Obſervant, quique arcanis penetralibus adſtant:
Præterea quos Eoos Aurora per ortus,
Et quos occiduæ propior videt Heſperus oræ.
Namque ferunt olim leges quum conderet æquas
Rex Superûm, & valido mundum ſuſpenderet axe,
Diverſas ſtatuiſſe domos, diverſaque Divis
Hoſpitia, & dignos meritis tribuiſſe penates
Ordine cuique ſuos. Illi data tecta frequentant:
Armaque, & auratis adfigunt nomina valvis.
Haud mora ſit: celerant juſſi: volat æthere toto
Cœlicolûm glomerata manus: pars igne coruſco
Tota rubens, pars ſtelliferis innexa coronis.
Ipſe ſedens, humeris chlamydem fulgentibus aptat
Ingentem, & cœlum pariter, terraſque tegentem,
Quam quondam, ut perhibent, vigilans noctesq;, dieſq;
Ipſa ſuo nevit rerum Natura Tonanti:
Adjecitque ſacræ decus admirabile telæ,
Per medium, perque extremas ſubtegminis oras
Immortale aurum intexens, grandeſque ſmaragdos.
Illic nam varia mundum diſtinxerat arte
Gnara operum Mater, certiſque elementa figuris,
Et rerum ſpecies, animaſque, & quidquid ab alta
Fundit mente Pater. Generis primordia noſtri,
Cernere erat limum informem, jam præpete penna
Deferri volucres liquidum per inane videres:
Jam ſilvis errare feras, pontumque natari.

Piſcibus, & vero credas ſpumeſcere fluctu.
Hic poſtquam aligeros gemmata ſedilia cœtus
Accepere, pater ſolio ſic infit ab alto:
Ætherei proceres (neque enim ignoratis & auſus
Infandos, dirumque acies ſuper aſtra frementes)
Si mecum juvat, antiquos ab origine motus
Inſpicere, & veterum pariter meminiſſe laborum:
Quandoquidem hæc vobis peperit victoria laudem:
Huc animos, huc pacatas advertite mentes.
Vos, quum omne arderet cœlum ſervilibus armis,
Arctoumque furor pertenderet impius axem
Scandere, & in gelidos regnum transferre Triones:
Fida manus mecum manſiſtis: & ultima tandem
Experti, cœlo victricia ſigna tuliſtis:
Æternumque alta fixiſtis in arce tropæum.
Quos ego pro meritis inſigni munere palmæ
Donavi: regnique in partem, operumque recepi:
Præcipuoſque habui, lectoſque ad juſſa Miniſtros:
Uſque adeo fixa antiqui ſtat gratia facti.
Nec minus & noſtras audiſtis ſæpe querelas:
Vidiſtiſque graves flammari pectoris æſtus:
Tunc quum prima novas egit dementia gentes
Arboris auricomæ cœleſtia carpere poma:
Poma gravi feros guſtu læſura nepotes:
Munere quin Superûm indignos ſpoliaſtis, & umbra
Sacrorum latè nemorum: aſſiduoque labore
Multaſtis miſeros, vitæ & brevioribus annis.
Quid repetam veteri ſumptas de crimine pœnas?
Exſiliumque informe Erebi, tenebraſque repoſtas?
Quæ tacito mecum ſpectaſtis lumine: & iidem
Terrarum ſortem mœſti indoluiſtis acerbam.
Aut etiam ut noſtri longo poſt tempore tandem
Pectoris indomitas clementia vicerit iras:
Viſque arcana leves ſenſim demiſſa per auras
Fœcundam intactæ compleverit Virginis alvum.
An temere hoc, nulloque actum ratione putatis?
Quippe ita manſuras decuit me ponere leges:
Quo terræque, poluſque, homines, Divique viciſſim

Fœ-

Fœderibus ſtarent certis, & pignore tanto
Servarent memorem cognatæ ſtirpis amorem.
Quare agite, & jam nunc humana capeſſite fata:
Ac primum duris parvi ſub cautibus antri
Gramineos luſtrate thoros, luſtrate beatam
Pauperibus ſedem calamis: cunctique recentes
Submiſſi cunas adcedite, dum pia Mater
Complexu in molli natum fovet, ubera pernox
Indulgens teneris pueri rorantia labris:
Nec procul in ſtipula demiſſo pectore mutum
Procumbit pecus: & Domini veſtigia lambens
Pervigilat, longos fundit dum tibia cantus.
Hic fauſtos ortus Pueri, noctemque verendam
Diſcurſu per inane levi, paſſimque canoris
Laudibus excipite, & plauſu celebrate faventes
Omnia felicem ventura in ſæcula pacem,
Certatimque renaſcentis cunabula mundi,
Victum Anguem, victumque Anguis furiale venenum.
Sic placitum, ſic averſos conjungere terris
Cœlicolas, ſic ferre homines ad ſidera certum eſt.
Hæc ubi dicta: novum Superis inſpirat amorem:
Quo ſubito veteres deponant pectoris iras:
Obliti ſcelerum; Patriſque exempla ſecuti,
Terrarum flagrent ſtudio, & mortalia curent.
Nec mora: Lætitiam choreis tum forte vacantem
Advocat: hæc magni motuſque, animoſque Tonantis
Temperat, & vultum diſcuſſa nube ſerenat.
Lætitiam, quæ Cœlicolûm per limina ſemper
Diſcurſat, raroque imas petit hoſpita terras:
Curarumque expers: lacrimaſque exoſa Virago,
Exultat, totoque abigit ſuſpiria cœlo.
Ut ſtetit ante Patrem, terraſque adcedere juſſa eſt:
Mobilibus pictas humeris adcommodat alas:
Lenimenque viæ comites vocat: Ilicet adſunt
Jucundæ viſu facies cantuſque, chorique,
Gaudiaque, Plauſuſque, & honeſtis ignibus ardens
Rectus Amor: quem nuda Fides, Speſque inſcia luctûs
Vadentem, mira unanimes pietate ſorores

Obſervant. Sequitur mox inculpata Voluptas,
Gratiaque, & niveam ſuadens Concordia pacem.
Quumque propinquaſſet portæ, quæ maxima Cœlo
Dicitur, æternumque micat radiata coruſcis
Aſtrorum ſignis: quando mortalibus ægris
Dant nimbos aliæ, & damnant caligine terras:
Subcinctæ occurrunt Horæ properantibus alis:
Inſomnes Horæ: namque his fulgentia Divûm
Limina, & ingentis cuſtodia credita Cœli.
Protinus æratos impulſo cardine poſtes
Cum ſonitu, magnoque polos quaſſante fragore
Præpandunt obnixæ humeris. Volat illa per auras
Obſcura ſub nocte nitens, gratantur eunti
Sidera: jam feſtas meditatur Luna choreas.
Exultant Hyades: gaudet mutata Bootes
Plauſtra auro, totoſque auro fulgere Juvencos.
Tunc primum viſa eſt, miſeri poſt fata Parentis,
Riſiſſe Erigone, & longum poſuiſſe dolorem:
Armatoque enſis ſubducitur Orioni.
Ut verò umbroſis poſuit veſtigia ſilvis:
Culmina conſcendit paſtorum; atque omnia latè
Perluſtrans tacitis oculis loca, concutit alas
Adplaudens: pictoſque ſinus ſub nocte coruſcans,
Subriſit lætum, puraque in luce refulſit.
Primi illam ſenſere canes: ſenſere jacentes
Hœdorum paſſim per dura cubilia matres:
Balatuque ovium valles ſonuere propinquæ,
Saxaque, & adtoniti caput erexere magiſtri.
Tunc ait: O parvi vigiles gregis, o bona pubes
Silvarum, Superis gratum genus, ite, beati
Paſtores ite antra novis intendite ſertis:
Reginam ad cunas, poſitumque in ſtramine Regem
(Certa fides) alti jam jam Moderator Olympi
Cernere dat: properate: novique repentia lactis
Munera, cumque ſuo date condita ſubere mella:
Inſuetum & ſilvis ſtipula deducite carmen.
Nec plura effata, in nubes taciturna receſſit:
Et penitus nigra noctis ſe condidit umbra.

Olli

Olli inter ſeſe vario ſermone volutant,
Quid Superûm mandata velint, quas quærere cunas,
Quos jubeant Reges, quæ cingere frondibus antra.
Continuo variis innectunt tempora ramis:
Nectitur & lentiſcus, opacæque arbutus umbræ,
Roſque mari; buxuſque, & denſa comas terebinthus:
Cunctaque frondenti redimitur turba corona.
Mox ſilvam exquirunt omnem: ſaltuſque repoſtos
Flammiferis luſtrant tædis. Ardere putares
Arva procul, totumque incendi lumine montem.
Tandem inter dumos feſſi, ſub rupe cavata
Speluncam adſpiciunt: vocemque rudentis Aſelli
Auribus accepere. Vident ipſumque, Bovemque,
Longævumque Senem, ſtantemque ad lumina matrem
Inſomnem, & preſſis refoventem Pignus in ulnis.
Ergo inſperatæ gaviſi munere ſortis,
Ocyus ingentem procero ſtipite laurum,
Avulſamque ſolo palmam ab radicibus imis
Adtollunt humeris: perque intervalla canentes
Cum plauſu, choreiſque, & multiſono modulatu
Veſtibuli ante aditum ſtatuunt: omnemque coronant
Fronde locum: grandes oleas, cedroſque comantes
Adfigunt: longiſque advelant limina ſertis;
Et latè Idaliam ſpargunt cum baccare myrtum.
Quos bonus ex antro dictis adgreſſus amicis
Compellat Senior: placidaque hæc voce profatur.
Dicite, Paſtores [neque enim ſine Numine, credo,
Tam certum tenuiſtis iter] cui tanta paratis
Munera? cui virides ramis frondentibus umbras
Texitis? anne aliquis Superûm Patre miſſus ab alto
Has docuit ſedes, locaque hæc adcedere juſſit?
Sic memorans, ſeſe lætum venientibus obfert.
Illi autem: Nova per tenebras, nova lucis imago,
O Genitor media viſa eſt modo lumina ſilva
Spargere, & in noſtras diffundere gaudia mentes:
Sive Deus cœlo veniens, ſeu forte Deorum
Nuncius, in dubio eſt: nos vultum, habitumq; loquentis
Vidimus: & motas per noctem audivimus alas,

Sic

Sic fati, ingeminant dextras: mox ordine longo
Antrum ingreſſi, calathis ſilveſtria plenis
Dona ferunt, Matrem & læto ſimul ore ſalutant.
Tum Puero adſtantes Lycidas, & maximus Ægon,
Ægon, Getulis centum cui paſcua campis,
Centeni per rura greges Maſſyla vagantur:
Ipſe caput lecte, qua Bagrada, qua vagus errat
Triton, Cinyphiæ quæ devolvuntur arenæ,
Ingens agricolis, ingens paſtoribus Ægon,
At Lycidas vix urbe ſua, vix colle propinquo
Cognitus, æquoreum carmen deflexit ad undas:
Et tamen hi non voce pares, non viribus æquis,
Inter adorantum choreas, plauſuſque Deorum
Ruſtica ſeptena modulantur carmina canna.
Hoc erat, alme Puer, patriis quod noſter in antris
Tityrus edoctus ſprevit rude carmen avenæ,
Et cecinit dignas Romano Conſule ſilvas:
Ultima Cumæi venit jam carminis ætas:
Magna per exactos renovantur ſæcula curſus,
Scilicet hæc Virgo eſt, hæc ſunt Saturnia regna:
Hæc nova Progenies cœlo deſcendit ab alto.
Progenies, per quam toto gens aurea mundo
Surget, & in mediis palmes florebit ariſtis.
Qua duce, ſiqua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſolvent formidine terras:
Et vetitum magni pandetur limen Olympi:
Occidet & Serpens, miſeros quæ prima parentes
Eluſit, portentificis imbuta venenis.
Tune Deum vitam accipies? Diviſque videbis
Permiſtos Heroas, & ipſe videberis illis?
Pacatumque reges patriis virtutibus orbem?
Adſpice felici diffuſum lumine cœlum,
Campoſque, fluvioſque, ipſaſque in montibus herbas.
Adſpice venturo lætentur ut omnia ſæclo.
Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ
Ubera: nec magnos metuent armenta leones,
Agnaque per gladios ibit ſecura nocentes.
Biſque [illegible]

Intereà tibi, parve puer, munuſcula prima
Contingent, hederæque, intermiſtique corymbi.
Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores:
Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella:
Mella dabunt quercus: omnis feret omnia tellus.
At poſtquam firmata virum te fecerit ætas,
Et tua jam totum noteſcent facta per orbem:
Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos Heroas: erunt etiam altera bella:
Atque ingens Stygias ibis Prædator ad undas.
Incipe, parve puer, riſu cognoſcere Matrem,
Cara Dei Soboles, magnum cœli incrementum.
Talia dum referunt Paſtores: avia longe
Reſponſant nemora: & voces ad ſidera jactant
Intonſi montes: ipſæ per conſraga rupes,
Ipſa ſonant arbuſta: Deus, Deus ille, Menalca.
Hic ſubito magnum viſi per inane volatus
Cœleſtum, curſuſque alacres, alacreſque recurſus:
Auditæque procul voces, ſonituſque rotarum.
Scilicet innocuis per ſudum exercitus armis
Ibat ovans: diviſæ acies, terna agmina ternis
Inſtructa ordinibus belli ſimulacra ciebant.
Ter clypeis jam cedentes invadere nubes
Adſpiceres, vacuas ter mittere tela per auras:
Ter clamare ducem: mox diſſita cogere ſigna:
Atque unam lætæ faciem præferre phalangis:
Rurſus & aërios percurrere milite campos:
Semotoſque alios conſtanti incedere paſſu
Nubila per, lataſque vias: & jungere nexu
Brachia, perpetuis quatientes motibus alas,
Geſtanteſque manu noſtræ argumenta ſalutis,
Spinaſque, clavoſque, horrenti & vimine faſces,
Hæſuramque haſtam lateri, medicataque felle
Pocula, ſublimemque crucem, immanemque columnam
Ibant, & dulci mulcebant æthera cantu.
Innumeri alii laudes, & magna Parentis
Facta canunt: Ut prima novi fundaverit orbis
Mœnia, telluremque vagis diſcluſerit undis.

Ut

Ut paſſim varios cœlo ſuſpenderit ignes,
Lunamque, ſtellaſque: Ut magni lumina Solis,
Jam latè extremo tenebris Oriente fugatis,
Protulerit. Tu belligeras, metuende, cohortes
Deiicis, exturbaſque polo: tu fulmine quaſſas
Cum Duce ſigna ſuo, nigroque involvis Averno,
Cocytumque jubes, triſteſque habitare lacunas.
Te gemini cecinere axes, te maxima tellus:
Victorem cecinit vaſtis cum fluctibus æquor.
Nec te hominum fraudes, non avertêre nefanda
Crimina: ſed læto ſpectas mortalia vultu:
Dignataſque tuo ſolaris numine terras.
Salve, magne Opifex Cœli, Rex maxime Divûm,
Terrarũque, hominumque Salus: quem ſidera, quem Sol,
Quem metuunt Reges tenebrarum, & Tartarus ingens:
Cui latè humanum ſervit genus: omnia ſolus
Qui regis; omnia amas pariter: tibi nomina mille,
Mille poteſtatum, regnorum inſignia mille.
Salve Auctor: ſalve immenſi Dominator Olympi:
Et nobis felix, terriſque labantibus adſis.
Ingeminant plauſum nubes: lateque per auras
Diſcurſat vox, & cœli convexa reſultant.
Herboſo tum forte thoro, undiſoniſque ſub antris
Venturas tacito volvebat pectore ſortes
Cæruleus Rex, humentum generator aquarum
Jordanes, quem juxta hilari famulantia vultu
Agmina denſantur Nacæ, pulcherrima Glauce,
Dotoque, Protoque, Galeneque, Lamprothoëque
Nudæ humeros, nudis diſcincta veſte papillis:
Callirhoë, Eratoque, Pheruſaque, Dynameneque,
Aſphaltique adſueta leves fluitare per undas:
Ipſaque odoratis perfuſa liquoribus Anthis:
Anthis, quæ non ulla novos miſcere colores
Doctior, aut pictis caput exornare coronis.
Mox Hyale, atque Thoë, & vultu nitidiſſima Crene,
Gongiſteque, Rhoëque, & candida Limnoria,
Et Dryope, & virides Botane reſoluta capillos.
Quæ omnes formoſæ, albis in veſtibus omnes,

Omnes puniceis evinctæ crura cothurnis.
Ipſe antro medius, pronâque acclivis in urna
Fundit aquas. Nitet urna novis variata figuris
Cryſtallo ex alba, & puro pellucida vitro,
Egregium decus, & Superûm mirabile donum.
Umbroſis hic ſilva comis, denſiſque virebat
Arboribus. Cervi paſſim, capreæque fugaces
Æſtivum viridi captabant frigus in umbra.
In medio, auratis effulgens fluctibus amnis
Errabat campo, & curſu læta arva ſecabat.
Hic Juvenis fulvis velatus corpora ſetis
Stans celſo in ſcopulo, Regem, Dominumque Deorum
Vorticibus rapidis, medioque in fonte lavabat.
At viridi in ripa lecti de more Miniſtri
Subcincti expectant: proniſque in flumina palmis
Protendunt niveas cœleſtia lintea veſtes.
Ipſe pater cœlo latè manifeſta ſereno
Signa dabat, Naroque levem per inane Columbam
Inſignem radiis mittebat, & igne coruſco.
Adtonitæ circum venerantur Numina Nymphæ:
Et fluvius refugas ad fontem convocat undas.
Talia cælata Genitor dum ſpectat in urna
Fatorum ignarus, oculoſque ad ſingula volvit
Admirans: videt inſolitos erumpere fontes:
Ingentemque undare domum, cavaque antra repleri
Fluctibus, atque novum latices ſumpſiſſe ſaporem.
Dumque hæret, pavitatque ſimul, dum ſublevat undis
Muſcoſum caput, & taurino cornua vultu:
Adſpicit inſuetas latè floreſcere ripas,
Claraque per denſas diſcurrere lumina ſilvas
Paſtorum ludo: & lætos ad ſidera cantus,
Divinaſque audit voces, & numina paſſim
Adveniſſe Deum teſtantia, protinus ambas
Ad cœlum palmas hilaris cum voce tetendit:
O maris, o terræ, Divûmque, hominumq; Repertor,
Quis tua vel magno decreta incognita cœlo
Detulit huc audax, mediiſque abſcondit in undis?
Ipſe mihi hæc quondam (memini) dum [illegible]

Se-

Sæpe agitat, repetitque volens, narrare ſolebat
Cæruleus Proteus: mendax ſi cetera Proteus,
Non tamen hæc vanas effudit carmine voces:
Adveniet tibi, Jordanes, properantibus annis,
Adveniet mihi crede, inquit: (certiſſima cœlum
Signa dedit: nec me deluſum oracula fallunt)
Qui te olim Nili ſupra ſeptemplicis ortus,
Supra Indum, & Gangem fontemque binominis Iſtri
Adtollet fama: qui te Tiberique, Padoque
Præferet, atque tuos aſtris æquabit honores.
Cujus in adventu triſtes diſcedere morbi
Corporibus paſſim incipient. Jam viſta repente
Ceſſabit, turpes ſquamas maculaſque remittet
Dira lues: tetroſque elephas effuſus in artus,
Ulcera ſanguineo ſiſtet manantia tabo.
Quin & lethales (dictu mirabile) febres
Diffugient juſſæ, poſſeſſaque membra relinquent:
Cedet & infeſtæ violentior ira Dianæ:
Ira nocens, quæ fulminea velut icta ruina,
Corpora cum gemitu ad terram proſternit, & igni
Interdum, nunc perdere aqua (miſerabile viſu)
Feſtinat, Stygio nimirum armata veneno
Exſuperat vis, & ſpumas agit ora tumentes.
Nec jam ultra longo vires minuente veterno,
Tabificus per operta impune vagabitur hydrops
Exitio obrepens miſerorum: atque omnia latè
Viſcera per varios perdet tumefacta dolores.
Non alias vinctæ tam crebra ſilentia linguæ
Abrumpent: noctem aut toties, tenebraſque priores
Excutient oculi: qui numquam ſidera, numquam
Ardentem magni viderunt lampada Solis.
Multa quidem majora fide, ſed vera, ſed ipſos
Quæ rerum ſpectantum oculos, poſſum ore referre:
Sed properans ventura tamen mirabitur ætas.
Cernere erit, claudos paſſim genua ægra trahentes
Firmato ſubitos extendere poplite greſſus.
Tum nervis labefacta, diuque trementia membra
(Quis credat? niſi cuncta mens mihi cantet Apollo?)

Reſtringi, & validas cum robore ſumere vires;
Atque alius rapto juſſus conſurgere lecto,
Haud mora, proſiliet: paſſuque in templa citato
Contendens, onus ipſe humeris portabit. Ibi ingens
Clamor, & innumeræ circum donaria voces
Spectantis populi, & rerum novitate paventis.
Parte alia extinctam penitus, ſenſuque carentem
Ad ſua jam cernes revocari munera dextram.
Nec minus & tacta compeſci veſte cruorem
Femineum: exſangueſque artus, pallentiaque ora
Ilicet obſtructis calefacta rubeſcere venis.
Ipſas quin etiam Furias ſub Tartara pelli,
Immanes Erebi Furias: tum feſſa levari
Pectora, vexatoſque malis cruciatibus artus:
Hinc vacuas latè impleri ſtridoribus auras
Dirarum fruſtra clamantum, ac ſæva trementum
Verbera, perque cavas conantum evadere nubes.
Jam deploratis vitam poſt funera reddi
Corporibus video: jam mœſtam incedere pompam;
Feralemque anteire tubam: mox gaudia matrum
Inſperata, Patrumque hilares verſo ordine fletus,
Et circumfuſam populis lætantibus urbem.
Huic tu nutantes quoties adſurgere montes,
Et (mirum) inſuetas curvare cacumina ſilvas:
Adſpicies! Quoties humenti in gramine ripæ
Aut ſolantem æſtus, aut lenes pectore ſomnos
Carpentem, tenui adſueſcens mulcere ſuſurro!
Macte tuis merito ripis, macte omnibus undis.
Ad te depoſito properabunt Numina faſtu:
Nudabuntque ſacros artus, & carmina dicent
Ad numerum: quum tu felix jam flumine ſancto
Auctorem rerum, Divûmque, hominumque Parentem
[Tantus honos, laus tanta tuo, Rex maxime, fonti]
Exutum veſte accipies: atque hoſpite tanto
Adtonitus trepidas hortabere voce Napæas:
Ite citæ, date thura pias adolenda per aras,
Cæruleæ comites: viridique ſedilia muſco
Inſtruite: & vitreis ſuſpendite ſerta columnis:
Pura

Purpureas miſcete roſas: miſcete hyacinthos,
Liliaque, & pulchro Regem conſpergite nimbo.
Tunc nomen latè clarum Jordanis ad auras
Adtollent montes; Jordanen maxima circum
Æquora, Jordanen ſilvæque, amneſque ſonabunt.
Illa autem humanis quamvis latura ruinis
Auxilium finemque dies, gratiſſima quamvis
Urbibus adveniat, totumque optanda per orbem:
Fluminibus tamen, & noſtris felicior undis
(Siqua fides, ſiqua eſt veri prudentia Proteo)
Oſtendet roſeos ſtellis ridentibus ortus.
Quandoquidem non divitias, non quæret honores
Ille patris Decus, ac Virtus; mortalia poſtquam
Membra ſibi, & fragiles jam ſponte induxerit artus:
Non ſceptrum invadet Cypri, non Caſpia regna
Diripiet; non exuviis Babylona ſuperbam
Eruet: aut alto ſcandet Capitolia curru,
Militibus circum, & læto comitante Senatu.
Sed maris undiſoni tractus, & litora longe
Curva ſecans, media ſocios ſibi quæret in acta:
Diſperſoſque mari nautas, nudoſque colonos
Undarum, ſinuoſa fretis jactare parantes
Retia, vexatas aut jam reparare ſagenas
Sollicitos, Patris ad ſolium, ac ſua tecta vocabit.
Atque ollis jus omne, poteſtatemque medendi
Adjiciet: pellent morbos, denteſque retundent
Vipereos: Orcique acies, ac monſtra fugabunt.
Quin & Cuſtodes foribus radiantis Olympi
Præficiet, ſervare aditus, & clauſtra jubebit
Aurea: queis non ulla queat vis ſæva nocere
Eumenidum, durique umbrarum obſiſtere poſtes:
Tum ſedes paſſim emeritis duodena per aſtra
Inſtituet: diſtincta ſuos de more ſequetur
Turba Duces, illi leges, & ſancta vocatis
Jura dabunt, plauſu Sociorum, atque agmine læti.
Felices qui jam cymba, remiſque relictis,
Alta ſereneti conſcendent culmina cœli.
Præterea (ſi certa fides, nec vana futuri

Gaudia) cognatas etiam ſpectabimus undas
Lenæos verti in latices. En prima Deûm Rex
Arcana, hos primos per ſigna oſtendet honores
Accepti latè imperii. Mirabitur auctus
Lymphas ſuos, juſſas inſuetum ſpumare capaces
Per pateras, largeque novum diffundere nectar,
Et menſas hilarare, & felices hymenæos.
Nec ſemel ille altum remis evectus in æquor,
Quum jam fruſtrato ſocios rediiſſe labore
Accipiet, (prædâ ingenti ditabit, & udos
Squamigerûm ſtrata cumulos exponet in algâ,
Iratos etiam fluctus, tumidaſque procellas,
Miſcentesque imo turbatam gurgite arenam,
Jamque ſuperjecto merſuras æquore puppim,
Imperio premet increpitans, cadet omnis in unda
Impetus, atque audiſſe minantis juſſa putares
Euroſque, Zephyroſque, & ovantes turbine Coros.
Quid loquar, ut gemino numeroſas piſce catervas
Munere & exiguo Cereris, miſerabile vulgus
Matres, atque viros pariter per gramina paſcet?
Ut jam biſſenis redeant fragmenta caniſtris?
Aut intempeſta gradiens ut nocte per altum
Libera ſubſtrato ponet veſtigia ponto?
Vixque undas ſicco tanget pede? ſcilicet olli
Adnabunt blandæ Nereides, humilesque paſſim
Sternent ſe freta: tum fundo Neptunus ab imo
Excitus, agnoſcet Dominum: poſitoque tridente
Cum Phorco, Glaucoque, & ſpumifero comitatu
Proſiliet, trepiduſque ſacris dabit oſcula plantis.
Sed quid ego exili vectus ſuper alta phaſelo
Cuncta ſequor meditantis? non ſi Parnaſſia Muſe
Antra mihi ſacroſque aditus, atque aurea pandant
Limina, ſufficiam, non ſi mihi ferrea centum
Ora ſonent, centumque ærato e gutture linguæ
Vocibus exprimere agitantem pectora Phœbum,
Laudatos valeam venturi Principis actus
Enumerare, novoque amplecti ſingula cantu.
Hæc ſenior quondam felici pectore Proteus

Vaticinans (ut forte meo diverterat antro)
Præmonuit; nunc eventus, hæc signa futuri
Expectare. Nitor roſeo ſed fulſit ab ortu
Clarior: & radiis duo prævia matutinis
Oceani procul extremo ſe litore tollit
Exoriens Aurora, roſaſque inducta rubentes,
Ante diem citat auricomos ad frena jugales.
Et jam conſuetis tempus me currere ripis
Undantem, magnoſque lacus, & prata ſecantem
Vorticibus. Viden', ut noſtros agit impetus amnes?
Jordanemque vocat tumida inter murmur aquarum?
Sic fatus, confeſtim humeris circumdat amictus
Inſolitos, quos pulchræ udis nevere ſub antris
Naïades, niveis ducentes ſtamina penſis;
Sidonioque rubens fucatas murice telas,
Aurea conſperſo variantur ſidera limbo:
Atque ita ſe tandem compacti reddidit alveo
Spumeus, & motas adſpergine miſcuit undas.
Hactenus, o Superi, partus tentaſſe verendos
Sit ſatis, optatam poſcit me dulcis ad umbram
Pauſilypus: poſcunt Neptunia litora, & udi
Tritones, Nereuſque ſenex, Panopeque, Ephyreque,
Et Melite, quæque in primis mihi grata miniſtrat
Ocia, Muſarumque cavas per ſaxa latebras,
Mergillina: novos fundunt ubi citria flores,
Citria Medorum ſacros referentia lucos:
Et mihi non ſolas nectit de fronde coronas.

DE MORTE CHRISTI DOMINI

Ad Mortales Lamentatio.

SI quando magnum mirati ſurgere Solem
Oceano, & toto flammas diffundere cœlo:
Certatimque ſuo terras ambire meatu
Noctivagam Phœben præcinctam cornibus aureis:
Æternoſque aſtrorum ignes, cœlique micantes
Scintillare oculos, aliquem dare jura putaſtis;
Atque polo regnare hominum, rerumque Parentem,
Cui mare, cui tellus, cui pareat arduus æther,
Cuncta ſupercilio qui temperet: hunc ſimul ægri
Mortales (ſi veſtra dolor præcordia tangit)
Adſpicite immiti trajectum pectora ferro,
Pectora, fœdataſque manus, perfuſaque tabo
Ora, cruentatumque caput, crineſque revulſos:
Adſpicite, & plenos lacrimarum fundite rivos.
Heu ſcelus, heu crudele nefas: jacet altus Olympi
Rector: & amiſſo torpent elementa Magiſtro.
Quin etiam vacuum adſueto ſine pondere cœlum
Nutat. & ipſa ſuum quærunt ſolia aurea Regem.
Quem diverſa procul ſævo cum crimine tellus
Ignotum populis caput, & miſerabile corpus
Suſtinet, exſangueſque ſinu complectitur artus.
Et tremefacta, graves teſtatur murmure queſtus.
Teſtatur Sol ipſe ſuum ſub nube dolorem
Jam latitans, atraque notans ferrugine frontem.
Tu quoque deformeſque genas, pallentiaque ora
Contegis, inferiaſque tuo das, Luna, Tonanti,
Auratum flavo tondens de vertice crinem,
Et lacrimas uda fundens in nocte tepentes.
Nec minus abruptis fama eſt exiſſe ſepulchris,
Perque vias erraſſe novis Simulacra figuris:
ExcitaſqueUmbras, medias ululaſſe per urbes
Sub noctem, & notos queſtu impleviſſe penates.
Quid? non & pelagi rabies adtollere fluctus

Im-

Immanes viſa eſt? monteſque evolvere aquarum,
Dejectura urbes, terraſque hauſtura profundo?
Quum ſimul & caput undiſonis emerſus ab antris
Cæruleus Triton rauco ſuper æquora cornu
Conſtreperet, nautaſque horrenda voce moneret,
Naturæ cecidiſſe Patrem, Regemque, Deumque.
Hæ manus vaſti junxerunt fœdera mundi?
Harum opus eſt, quodcumq; jacet, quodcumq; movetur,
Quidquid ubique parens rerum Natura gubernat,
Frugiferens tellus, fœtumque animantibus æquor,
Vitaliſque aër, atque ignibus æthra coruſcis?
Et nunc (proh facinus, quantum potuere nocentum
Flagitia!) immiſſis dant pervia vulnera clavis,
Liventeſque atro fœdant ſquallore lacertos.
Heu caput indignum ſpinis, venerandaque cœlo,
Et toties clara ſtellarum implexa corona
Cæſaries: heu pectus hians: convulſaque dira
Barba manu, tunſique artus, & frigida membra.
Voſne pedes cœlum premere, & vaga ſidera ſueti,
Fulgenteſque domos Superûm, ſublimia tecta,
Tam ſævæ immanes perpeſſi cuſpidis ictus,
Et terram, & duras ſparſiſtis ſanguine cautes?
Nec trepidat mens cæca hominum? Quæ tanta tenaci
Durities in corde riget? num nigra videtis
Tartara, tot claris hominum viduata trophæis,
Deſertaſque in nocte domos, & triſtia regna?
Feliceſque Animas lætum Pæana canentes,
Pone ſequi Regem, & cœlo inſediſſe ſereno?
Quid ſi non tantos ſubiiſſet ſponte labores,
Humanamque ſua penſaſſet morte ſalutem
Ille Sator rerum, & ſummi Mens certa Parentis,
Qui nutu ingentes mundi moderatur habenas?
Ut tandem intactus picea Phlegethontis ab unda
Poſt obitum æternæ donaret munere lucis,
In partemque ſuorum operum, regnique vocaret:
Tantus amor generis ſervandi, & gloria noſtri.
Quare agite, ex animis, mortales, pellite veſtris,
Siquid adhuc manet antiqua de ſorde relictum:

Men-

Mendaceſque Deos, & deteſtanda priorum
Sacra profanatis tandem detrudite ab aris.
Imbuat effuſo terram nec ſanguine taurus:
Nec miſer ille ſuæ divulſus ab ubere matris
Ignotos agnus babet ſuper hoſtia cultros.
Vivat ovis, vivat quicquid ſub Sole creatum eſt.
Mentem, animumque Deo, non thura, aut dona parate.
Hæc illi pecudum fibras, hæc reddite dona.
Cernitis, ut pronum flectat caput? ut pia pandat
Brachia? & ingratas vocet ad ſua vulnera gentes?
Oblitaſque viæ moneat meminiſſe relictæ,
Scilicet amplexus non rejecturus amicos?
At vos obtuſas ignari avertitis aures,
Infelix genus, & ſævæ ludibria mortis:
Nec, quanta a tergo jam inſtent tormenta, videtis.
Tempus erit, quum veſtra illum commiſſa notantem,
Mulctantemque reos, altaque in nube ſedentem
Adſpicietis & horrentes tremor opprimet artus.
Nec jam ferre oculos flammarum ardore coruſcos,
Aut timidos acie vultus contendere contra
Audebit quiſquam ſibi conſcius. Ibit in ignes
Turba nocens: fonteſque exolvet corpore pœnas:
Pallenteſque premum amnes, vaſtaſque lacunas
Cocyti colet: & Furias horreſcet hiantes:
Atque animum monitis non incendiſſe pigebit.
Tunc vos exactæ capient mala tædia vitæ
Expertes cœli, atque auræ, ſub nocte profunda:
Inque caput triſidos nequicquam optabitis ignes,
Et fruſtra erectas tolletis ad æthera palmas.
Quos Superûm cœtus, & fortunata piorum
Agmina vix lacrimis poterunt ſpectare retentis,
Invidiæ ſimilis: Diriſque ululatibus actos.
Ergo vitales miſeri dum carpitis auras,
Dum compos mens ipſa ſui eſt, dum certa facultas,
Dum ratio; tempuſque ſinunt: ſimul ite frequentes:
Ite pii; veniam factis expoſcite veſtris
Ite; animos purgate: Odiique inhibete rapinas.
Et tandem puris mentem committite cœlo.

Sic Rex ille hominum vacui ſpectator Averni,
Oblitus ſcelerum, cognatæ ſtirpis amore,
Promiſſique memor, mentes intrabit amicas,
Veſtraque poſthabitis recolet præcordia templis.
Poſtque tot exhauſtos vitæque, obituſque labores,
Illo, quo pluvias, quo pellit nubila, vultu,
Ablutos labe excipiet, lectoſque reponet
Sidereos inter Proceres, ſanctumque Senatum,
Sub pedibuſque dabit ſtellantia cernere clauſtra.

PHYLLIS.

Lycidas, Mycon.

Lyc. Mirabar, vicina, Mycon, per litora nuper
Dum vagor, expectoque leves ad pabula thynnos,
Quid tantum inſuetus ſtreperet mihi corvus, & udæ
Per ſcopulos paſſim fulicæ, perque antra repoſtæ
Triſtia flebilibus complerent ſaxa querelis:
Quum jam nec curvus reſiliret ab æquore delphin,
Nec ſolitos de more choros induceret undis.
Ecce dies aderat, caram qua Phyllida terræ
Condidimus, tumuloque pias deflevimus Umbras
Ah miſeri! & poſthac nec triſtes linquimus aras:
Nec dubitat ſævus ſolatia ferre Palæmon?
Myc. Scilicet id fuerat, cum quod nocte vaganti
Huc illuc, dum Pauſilypi latus omne pererro,
Piſcoſamque lego celeri Neſida phaſelo:
Neſcio quid queruli gemerent lacrimabile mergi.
Phyllis ad inferias, Phyllis, ſi credimus, illos
Ad gemitum, o Lycida, tumulique ad ſacra vocabat.
Lyc. Eheu, care Mycon, qualis ſpectacula pompæ
(Nunc recolo) quas ipſe manus, quæve ora notavi
His oculis! his inquam oculis quæ funera vidi!
Infelix! nec me tandem dolor improbus egit
In ſcopulos, in ſaxa, rogove abſumſit eodem
Ignea vis, vel ſaltem aliquis Deus æquore merſit.

Myc.

Myc. O Lycida, Lycida, nonne hoc felicius illi
Eveniſſe putas, quam ſi famoſa Lycotæ
Antra, vel hirſuti ſegetem ſubiiſſet Amyntæ?
Et nunc heu viles hamo ſibi quæreret eſcas,
Aut tenui laceras ſarciret vimine naſſas.
Sed tu, ſi quid habes veteres quod lugeat ignes,
Quod manes, cineresque diu teſtetur amatos,
Incipe: quandoquidem molles tibi litus arenas
Sternit: & inſani poſuerunt murmura fluctus.
Lyc. Immo hæc, quæ cineri nuper properata parabam
Carmina, ab extremo quum jam cava litora portu
Proſpicerem, & nivei venerarer ſaxa ſepulchri.
Incipiam, tu coniferas ad buſta cupreſſus
Sparge manu: & viridi tumulum ſuperintege myrto.
Myc. En tibi cærulei muſcum æquoris, en tibi conchas
Purpureas, nec non toto quæſita profundo,
Et vix ex imis avulſa coralia ſaxis
Afferimus, tu ſolemnes nunc incipe cantus:
Incipe, dum ad Solem Bajanus retia Milcon
Explicat, & madidos componit in orbe rudentes.
Lyc. Quos mihi nunc, Divæ, ſcopulos, quæ panditis antra,
Nereïdes: quas tu ſecreti litoris herbas,
Glauce pater, quæ monſtriferis mihi gramina ſuccis
Oſtendes nunc, Glauce: quibus tellure relicta
Ah miſer, & liquidi factus novus incola ponti,
Te ſequar in medios mutato corpore fluctus,
Et feriam bifida ſpumantia marmora cauda.
Nam quid ego heu ſolis vitam ſine Phyllide terris
Exoptem miſer? aut quidnam te rapta mihi jam
Dulce putem? quidve hic ſperem? quid jam moror ultra
Infelix? an ut hoc vili projectus in alga,
Arentes tantum fluctus, deſertaque cernam
Litora, & ingrato jactem mea verba ſepulchro?
Scilicet hos thalamos, hos felices hymenæos
Concelebrem? ſic ſperata mihi gaudia, tedæ?
Das Venus ambiguos ſic, das Lucina timores?
Quis mihi, quis quæſo te ſuſtulit, optima Phylli?
Phylli mea, [illegible],

Nunc

Nunc dolor, æternuſque imo ſub pectore luctus,
Non licuit tecum optatos conjungere ſomnos,
Dulcia nec primæ decerpere dona juventæ,
Aut ſimul extremos vitam producere in annos.
Nunc te (quis credat?) lapis hic habet: & mihi nuſquam es,
Nuſquam terrarum Phyllis: ſed fabula, & umbræ
Pulſantur miſeras per dira inſomnia noctes.
Me miſerum, qua te tandem regione requiram?
Quave ſequar? per te quondam mihi terra placebat.
Et populi, lætæque ſuis cum mœnibus urbes:
Nunc juvat immenſi fines luſtrare profundi:
Perque procelloſas errare licentius undas
Tritonum immiſtum turbis, ſcopuloſaque cete
Inter, & informes horrenti corpore phocas,
Quo numquam terras videam. Jam jam illa tot annis
Culta mihi tellus, populique, urbeſque, valete:
Litora cara, valete: vale ſimul, optima Phylli.
Nos tibi, nos liquidis ſeptem pro fluctibus aras
Ponemus: ſeptemque tibi de more quotannis
Monſtra maris magni vitulos mactabimus hirtos:
Et tibi ſeptenis pendebunt oſtrea ſertis,
Oſtrea muricibus variata, albiſque lapillis.
Hic tibi Niſæe, & flavos reſoluta capillos
Cymodoce, mitiſque pia cum Matre Palæmon,
Et Panope, & Siculi cuſtos Galatea profundi
Solemnes nectent choreas, & carmina dicent:
Quæ Proteus quondam divino pectore vates
Edocuit, magni dum funera fleret Achillis:
Et Thetidis luctus conſolaretur amaros.
At tu, ſive altum felix colis æthera, ſeu jam
Elyſios inter manes, cœtuſque verendos
Lethæos ſequeris per ſtagna liquentia piſces:
Seu legis æternos formoſo pollice flores,
Narciſſumque, crocumque, & vivaces amarantos;
Et violis teneras miſces pallentibus algas,
Adſpice nos, mitiſque veni, tu numen aquarum
Semper eris, ſemper lætum piſcantibus omen.

Ut

Ut Nymphis, Nereoque, et glauco numine Amphitrite,
Sic tibi victrices fundent libamina cymbae.
Interea tumulo supremum hoc addite carmen,
Carmen, quod tenui dum nectit arundine linum,
Piſcator legat & ſcopulo ſuſpiret ab alto:
In gremio Phyllis Recubat Sirenis Amœnæ.
Conſuegis Gemino Felix Sebethe Sepulchro.
My. Dulce ſonant, Lycida, tua carmina; nec mihi malim
Halcyonum lamenta, nec udo in gramine ripæ
Propter aquam dulces cycnorum audire querelas.
Sed tu, ſic faciles, vicina Megaria, ſemper
Sufficiat conchas; ſic proxima Mergillina
Oſtrea, ſaxoſaque ferat tibi rupis echinos:
Quandoquidem nox obſcuras jam diſtulit umbras,
Necdum permenſus cœlum Sol: incipe rurſus,
Atque iterum mihi carmen; habent iterata leporem.
Lyc. Ne miſerum me, coge, Mycon; ſat lumina, ſat jam
Exhauſtæ maduere genæ; dolor (adſpice) fauces
Obſtruxit; quatit & ſingultibus imum
Pectus, anhelantemque animam vox ægra relinquit.
Et tamen hæc alias tibi nos, & plura canemus,
Fortaſſe & meliora, aderit ſi Muſa canenti.
Quin & veſtigiis olim hæc ſpectanda carinis,
Seu Prochytæ, ſeu Miſeni ſub rupe patenti
Inſcribam: grandeſque notas ſub imagine ducam,
Prætereuns quas nauta mari proſpectet ab alto:
Et dicat: Lycidas, Lycidas hæc carmina fecit.
Sed quoniam ſocii paſſim per littora ſomnos
Exſpectant, poſitiſque tuas ad retia vires:
Eja age jam ſurgamus, ego hæc ad littora ſiſtam,
Tu ſpecies jam vile eſcas nunc quærere tempus.
Et tibi nunc vacuæ fluitent ſine pondere naſſæ.

GALATEA.

Forte Lycon vacuo feſſus conſederat antro
Piſcator, qua ſe ſcopuli de vertice, late
Oſtentat pelago pulcherrima Mergilline.
Dumque alii notoſque ſinus, piſcoſaque circum
Æquora colluſtrant flammis, aut linea longe
Retia, captivoſque trahunt ad litora piſces:
Ipſe per obſcuram meditatur carmina noctem.
Immitis Galatea: nihil te munera tandem,
Nil noſtræ movere preces? verba irrita ventis
Fudimus: & vanas ſcopulis impegimus undas.
Aſpice cuncta ſilent, orcas & maxima cete
Somnus habet, taciti recubant per litora phocæ.
Non Zephyri ſtrepit aura: ſopor ſuus humida mulcet
Æquora: ſopito conivent ſidera cœlo.
Solus ego (hei miſero) dum triſti pectore queſtus
Nocte itero, ſomnum tota de mente fugavi,
Nec tamen ulla meæ tangit te cura ſalutis.
At non Praxinoë me quondam, non Polybotæ
Filia deſpexit, non divitis uxor Amyntæ,
Quamvis culta ſinu, quamvis foret alba papillis.
Quin etiam Ænaria, ſi quidquam credis, ab alta
Sæpe vocor, ſolet ipſa meas laudare Camœnas
In primis formoſa Hyale: cui ſanguis Iberis
Clarus avis: cui tot terræ, tot litora parent:
Quæque vel in mediis Neptunum torreat undis.
Sed mihi quid proſunt hæc omnia, ſi tibi tantum
(Quis credat, Galatea?) tibi ſi denique tantum
Diſpliceo? ſi tu noſtram, crudelis, avenam
Sola fugis? ſola & noſtros contemnis amores?
Oſtrea Miſeni pendentibus eruta ſaxis
Mille tibi miſi: totidem ſub gurgite vaſto
Pauſilypus, totidem vitreis Euplœa ſub undis
Servat adhuc, plures Neſis mihi ſervat echinos,
Quos nec vere novo foliis lentiſcus amaris

Inficit, aut vacuæ tenuant diſpendia Lunæ.
Præterea mihi ſub pelago manus apta legendis
Muricibus: didici Tyrios cognoſcere ſuccos,
Quoque modo plena durent conchylia teſta.
Quid refugis? tingenda tibi jam lana paratur,
Qua niteas, ſupereſque alias, Galatea, puellas;
Lana maris ſpumis quæ mollior, hanc mihi paſtor
Ipſe olim, dedit hanc paſtor Meliſæus, ab alta
Quum me forte ſenex audiſſet rupe canentem:
Et dixit: Puer, iſta tuæ ſint præmia Muſæ,
Quandoquidem noſtra ceciniſti primus in acta.
Ex illo in calathis ſervavi, ut mittere poſſem.
Sed tu, nequa mihi ſuperet ſpes, nequa futuri
Conditio, Galatea, manum mihi dura negaſti,
Hoc eſt, hoc miſerum quod perdidit, ite Camœnæ,
Ite procul, ſprevit noſtras Galatea querelas.
Scilicet, exiguæ videor quod navita cymbæ,
Quodque leves hamos, nodoſaque retia tracto,
Deſpicis; an patrio non hoc quoque litore Glaucus
Fecerat? æquoreæ Glaucus ſcrutator arenæ,
Et nunc ille quidem tumidarum Numen aquarum.
Sed nec, quæ nimium vel me ſic falſa fatigat,
Fabula te moveat Lydæ. Licet illa puellis
Jactet neſcio quas mihi ſe miſiſſe corollas:
Non me Lyda tamen, non impulit, æquora teſtor,
Nereïdaſque omnes: ſi fallo, naufragus illas
Experiar, ſalſoſque bibam ſub gurgite fluctus.
Heu quid agam? externas trans pontum quærere terras
Jampridem eſt animus: quo numquam navita, numquam
Piſcator veniat, fors illic noſtra licebit
Fata queri. Boreæ extremo damnata ſub axe
Stagna petam, & rigidis numquam non cana pruinis?
An Lybiæ rapidas, Auſtrique tepentis arenas,
Et videam nigros populos, Solemque propinquum?
Quid loquor infelix? an non per ſaxa, per ignes,
Quo me cumque pedes ducent, mens ægra ſequetur?
Vitantur venti: pluviæ vitantur, & æſtus;
Non vitatur Amor, mecum tumuletur oportet.

Jam

Jam ſaxo me me ex illo demittere in undas
Præcipitem jubet ipſe furor. Vos o mihi Nymphæ,
Vos maris undiſoni Nymphæ, præſtate cadenti
Non duros obitus, ſævaſque extinguere flammas.
Scilicet hæc olim, veniens ſeu litore curvo
Cajetæ, ſeu Cumarum navalibus altis,
Dum loca tranſibit, raucus de puppe magiſter
Hortatus ſocios, dextrum deflectite, dicet,
In latus, o ſocii: dextras deflectite in undas:
Vitemus ſcopulos infames morte Lyconis.
Talia nequidquam ſurdas jactabat ad auras
Infelix piſcator, & irrita vota fovebat:
Quum tandem extremo veniens effulſit ab ortu
Lucifer, & roſeo perfudit lumine pontum.

MOPSUS.

Celadon, Mopſus, Chromis, Jolas.

Cel. Dic mihi (nam Baulis, verum ſi retrulit Ægon,
Bis ſenos vos, Mopſe, dies tenuere procellæ)
Quid tu, quid Chromis interea, quid veſter Jolas,
Dum Notus inſultat pelago, dum murmurat unda,
Ecquid deſertis vacui luſiſtis in antris?
Mop. Quid noſtræ facerent ingrata per ocia Muſæ,
O Celadon? neque tum conchas impune licebat
Per ſcopulos, non octipedes tentare paguros.
Jam fragilem in ſicco munibant ſaxa phaſelum:
Raraque per longos pendebant retia remos.
Ante pedes ciſtæque leves, hamique jacebant:
Et calami, naſſæque, & viminei labyrinthi.
Tum Chromis Inarimen ſpectans, his, inquit, ab oris
(Ah dirum exſilium) noſtræ ſolvere carinæ:
Quum Regem poſt bella ſuum comitata juventus
Ignotis pelagi vitam committeret undis.
Quæ tamen, ut fama eſt, Ligurum per ſaxa, per altas
Stœchadas emicuit: Rhodanique invecta per amnem
(Nam, bene ſi memini, Rhodanum referebat Amilcon,)

Oceani madidas vidit refluentis arenas,
Et quæ cæruleos procul adſpicit ora Britannos,
Qui, niſi vana ferunt, quoties maris unda reſedit,
Indigenæ captant nudos per litora piſces.
Ne Chromi, ne luctus renova, reſpondit Jolas:
Sat tuus hæc nobis Lucrini nuper ad undam
Narravit Lycabas: Solem ſe ſcilicet illic
Trans fluctus, trans & nubes vidiſſe cadentem,
Haud aliter, quam ſi noſtris e montibus illum
Cajetæ adſpiceret longe poſt litora ferri,
Et ſtrepitum ſenſiſſe ruentis ab æthere currus
Præterea mores populorum, urbeſque, locoſque
Expoſuit, quernaſque domos, & lignea tecta.
Addidit & varias, heu barbara nomina, gentes:
Bellovacos, Morinoſque: &, quos quis dicere poſſit?
Tarbellos: latis errare & fluminis campis:
Neſcio quem Ligerim tectis ſe innaſſe carinis.
Sed mea nunc aliæ poſcunt ſibi pectora curæ.
Tu modo, ſi quid habes (& te quoque Chloridis ardor
Excruciat) ſcopulo hoc mecum meditare viciſſim.
Audiet, & gracilem percurret Mopſus avenam.
Sic illi: aſt ego nil contra, ſed quæ mihi collo
Garrula pendebat, manibus tunc ſumpta cicuta eſt.
Scilicet alternos conabar arundine verſus
Excipere, alternis nam dicere uterque parabat.
Nec mora, jam Chromis hos, hos & referebat Jolas.
Chr. Nereïdes pelagi ſacrum genus, aut mihi veſtris
Munera ferte vadis, duram queis Chlorida placem:
Aut, ſi muneribus flecti nequit, æquore toto
Quærite, quæ noſtrum ſanet medicina furorem.
Jol. Sirenes mea cura, audite hæc ultima vota.
Aut revocet jam Niſa ſuum, nec ſpernat Jolam,
Aut videat morientem. Hæc ſaxa impulſa marinis
Fluctibus, hæc miſero vilis dabit alga ſepulchrum.
Chr. Qualis tranquillo quæ labitur æquore cymba,
Quum Zephyris ſummæ criſpantur leniter undæ,
Tuta volat, luditque hilaris per tranſtra juventus:
Talis vita mihi, mea dum me Chloris amabat.

Jol.

Jol. Adſpicis, iratæ feriant ut ſaxa procellæ?
Ut validis imæ Coris turbentur arenæ.
Jam ſcopulis furit unda, tremit jam terra tumultu.
Fallor, an hæc ipſa eſt Niſæ indignantis imago?
Chr. O Proteu paſtor liquidi maris, o pater, o rex,
(Quandoquidem inſanos odiſtis Numina faſtus)
Quære Pithecuſas tu, cui licet: atque ſuperbæ
Dic Hyale, ſalſum te paſcere monſtra per æquor.
Jol. Ille habet, ille meos ſcopulus mihi ſervat amores,
Qui propior terræ eſt, illum pete, Glauce, natatu:
Neve manus duri contemnat Niſa mariti,
Dic te ſquamiferas traxiſſe ad litora prædas.
Chr. Eſt Veneri Cypros gratiſſima, Creta Tonanti,
Junonique Samos, Vulcano maxima Lemnos:
Ænariæ portus Hyale dum pulchra tenebit,
Nec Samos Ænariam vincet, nec maxima Lemnos.
Jol. Gradivus Rhodopen, & Mercurius Cyllenen,
Ortygiam Phœbe, Tritonia jactat Hymettron.
Niſa colit Prochyten: Prochytes ſi commoda norint,
Ortygiam Phœbe, Tritonia linquet Hymettron.
Chr. Hic ſpecus, hic rupes, texendiſque optima naſſis
Vimina ſunt, junci, denſæque per avia myrtus:
Si mihi nunc Pholoë, vel candida Chloris adeſſet,
Quam bene pugnaces poſſem contemnere ventos!
Jol. Nulla mihi ſine te placent loca; diſplicet æquor,
Sordet terra, leves odi cum retibus hamos.
At ſi aderis tu, Niſa, placebunt omnia: lætus
Tunc ego vel Lybycis degam piſcator arenis.
Chr. Dat rhombos Sinveſſa; Diciarchi litura phagros,
Herculeæ multum rupes, ſynodontas Amalphis:
Parthenope teneris ſcatet ambitioſa puellis:
Quis mihi nunc alias ſcrutari ſuadeat algas?
Jol. In fluviis mugil verſatur, ſargus in herbis,
Polypus in ſcopulis, mediis melanurus in undis:
Ante tuas, mea Niſa, fores ego ſemper oberro:
Quæ mihi det tales jucundior inſula portus?
Mop. Hactenus, o Celadon, reſonis ſub rupibus illos
Inter ſe vario memini contendere cantu,

Horrida ventoſi ridentes murmura ponti.
Qui tamen & laudes, & munera digna tulere
Carminibus, ſed quæ nequeat contemnere Triton:
Hic quam Circejo nudus ſub gurgite cepi,
Nativis concham maculis, & murice pictam:
Ille recurvato nodoſa coralia trunco.

FERDINANDO FEDERICI

Regis F. Aragonio, Calabriæ Duci.

PROTEUS.

Nunc primum notas velis majoribus undas
Currimus, o Nymphæ Craterides; ordine quando
Suadet amor, caræ primos Telluris honores
Dicere: cæruleæ magni Crateris alumnæ,
Telluris primos caræ dicamus honores,
Dum radiis fervens medium Sol excoquit æquor.
Tu vero patriæ juvenis decus, edite cœlo,
Spes generis tanti: ſeu te nimboſa Pyrene
Pro dulci Latio, pro noſtris detinet arvis:
Seu vagus objecto munimine claudit Iberus:
Rumpe moras: nec te latis Hiſpania regnis
Adliciat, ſtirpiſve tuæ primordia, & ille
Gentis honos: licet effuſo Tagus impleat auro,
Et pater Oceanus ſpumanti perluat unda:
Nam mihi, nam tempus veniet, quum reddita ſceptra
Parthenopes, fractoſque tua ſub cuſpide reges
Ipſe canam: nunc litoream ne deſpice Muſam:
Quam tibi poſt ſilvas, poſt horrida luſtra Lycæi,
Siquid id eſt, ſalſas deduxi primus ad undas,
Auſus inexperta tentare pericula cymba.
Quæ vada non norunt, quis neſcit Protea portus?
Illum olim veteris paſcentem ad ſaxa Minervæ,

Mul-

Mulcentemque ſuas divino carmine phocas,
E puppi ſenſere Melanthius, & Phraſidamus,
Ut forte a Capreis obſcura nocte redibant:
Senſere & vario delphinas ludere curſu,
Tritonumque choris longe freta pulſa ſonare.
Ipſe autem haudquaquam mortali digna referri
Verba ſono vacuas lætus cantabat ad auras:
Terrigena ut quondam matris de ventre Tiphoëus
Exſiliens, infanda Deos ad bella vocaſſet:
Ut fratrum primus, Furiis, & hiantibus hydris
Inſtructus, denſas ductaverit ipſe catervas:
Ut niſu ingenti partes de monte revulſas
Ænariam, Prochytenque altis immiſerit aſtris;
Ac totum ſubito cœlum tremefecerit ictu:
Tum Pater haud ſegni molitus fulmina dextra
Immanes acies dejecerit, atque tropæum
Juſſerit ardentes teſtari ſulfure Bajas,
Quod gens victa illis laviſſet vulnera lymphis.
  Hinc magni Alcidæ tauros, ſtratumque profundum
Aggeribus memorat, ductamque per oppida pompam.
  His veteres addit Cumas, loca cognita Phœbo,
Vatis & horrendæ lucos, Triviæque receſſus,
Cimmeriſmque domos, & opaca in vallibus antra.
  Te quoque formoſæ captum Neſidos amore,
Pauſilype, irato compellat ab æquore queſtu.
Ah miſer, ah malecaute; tuæ quid fata puellæ
Adceleras? cupit in medios evadere fluctus
Infelix: cupit inſuetum finire dolorem.
At tibi nec curæ eſt, quod eam Neptunia monſtra
Circumſtent, mare nec rapido quod ſorbeat æſtu.
Ah miſer, ah malecaute, ultra quid brachia tendis?
Siſte gradum, riget illa jugis adſueta nivoſis
Venatrix: quam mille feræ timuere ſequentem
Per ſaltus, vos hanc, Panope, vos candida Drymo,
Cymothoëque, Rhoëque, Pheruſaque, Dynameneque:
Accipite, & veſtris ſociam luſtrate choreis.
  Tum canit antiquas ſedes, opulentaque regna
Auricomæ Sirenis, & altum in monte ſepulchrum,

Sacraque, Chalcidicoſque Deos, magniſque per æquor
Auſpiciis vectas hæc ipſa ad litora claſſes.
Tum liquidos fontes ſubter cava mœnia ducit,
Adtollitque arces, & culmina montibus æquat
Tectorum: vaſtas protendit in æquora moles,
Euplœamque procul trepidis dat cernere nautis.
Atque Pharon jungit ſcopulos, præruptaque ſaxa
Theleboûm, Sarnique amnes, & pinguia culta.
Tum canit, ut Corydona ſacro Meliſæus in antro
Viderit, & calamos labris admoverit audax:
Formoſum quibus ille olim cantarat Alexin,
Dixerat & Muſam Damonis, & Alpheſibœi.
Queis fretus, dictante Dea, tot ſidera nobis
Prodiderit, tantas cœli patefecerit oras.
Quid referam aut Stabias, aut quæ tenuiſſe canoris
Virginibus fama eſt abeuntes ſaxa carinas?
Aut ut terrifici ſonitus, ignemque Veſevi,
Et deſolatas paſſim defleverit urbes?
Poſtremo reges, regumque ex ordine pugnas
Enumerat: bellique artes, & præmia narrat.
Addit triſtia fata, & te, quem luget ademptum
Italia infelix (ſive id gravis ira Deorum,
Seu ſors dura tulit) trans altas evehit Alpes.
Mox agit Oceani prope litora: denique ſiſtit
Spumantem ad Ligerim, parvaque includit in urna.
Heu ſortem miſerandam, heu pectora cæca futuri.
Hæccine te feſſum tellus extrema manebat
Hoſpitiis, poſt tot terræque, mariſque labores?
Pone tamen gemitus: nec te monumenta parentum,
Aut moveant ſperata tuis tibi funera regnis:
Grata quies patriæ: ſed & omnis terra ſepulchrum.
Hæc ille, & quæ vix audita prioribus annis
Heroum longæva queat meminiſſe vetuſtas,
Commemorat, ſocio reſpondent æquora plauſu:
Luna ſuam donec paullatim fundere lucem
Cœpit, & ad vitreas redierunt Numina ſedes.

CAS-

CASSANDRÆ MARCHESIÆ,

Mulieri Præſtantiſſimæ.

HERPYLIS PHARMACEUTRIA.

Dorylas, Thelgon.

Sed jam vulgatos & nos referamus amores:
Quos pariter grata ſcopuli pendentis in umbra
Hinc Dorylas, hic Teleboi maris adcola Thelgon
Certantes docuere, quibus cava litora, & ipſe
Æquoreus Platamon, ſacrumque Serapidis antrum
Cum fonte, & Nymphis adſultavere marinis.
Tu mihi ſeu doctas percurris Palladis artes,
Mæoniæque aurum, & ſubtegmina vincis Arachnes:
Seu Dryadum choreis, cœtuque immiſta Dianæ
Haud minor incedis; pictaque adcincta pharetra
Venaris Prochyten, maternaque regna fatigas;
Sive Dicarchæis qua molibus adſilit æquor,
Ludentes ſpectas Nereïdas: en age noſtros,
(Siquis honos pelagi) Caſſandra, en adſpice luſus.
Non ingrata cano, penituſque injuſſa. Neque unquam
Arguerint ventura meis te ſæcula chartis
Præteritam, faveat modo non invitus Apollo,
Et quæ me facili vexere per æquora remo
Pierides: queis longa dies, & nomina curæ.
Interea Dorylan juvet hic audire canentem.
Dor. Sebethi ad liquidas deſcenderat Herpylis undas,
Herpylis Euboidum non ultima: quam pater Alcon
Erudiit, Muſis & & Phœbo cognitus Alcon.
Venerat & ſocii partem ſubitura laboris
Unanimis ſoror, & calathum de more ferebat.
Ipſa comas effuſa, pedemque exuta ſiniſtrum
Cum philtris longum ſubmurmurat: atque ita fatur:

Po-

Pone aram, & vivos hauri de flumine rores,
Canaque vicino decerpe abſinthia campo.
Illum illum magicis conabor adurere ſacris,
Qui miſeram tota ſpoliatam mente reliquit.
Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Rhombus ad Æmonias revocetur aheneus artes:
Siſtere qui pluvias, qui pellere nubila cœlo,
Qui potis eſt trepidos undis abducere piſces.
Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.
Alga tibi hæc primum tumidi purgamina ponti
Spargitur, & rapidis adſumitur arida flammis:
Sic mihi ſic, Mæon, uraris ad uſque medullas.
Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Ter muſcum, Clearifta, ter hunc ſine forcipe caucum
Ure ſimul, cumque his, dic, viſcera Mæonis uro.
Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.
Spongia nunc lacrimis perfunditur, heus bona magno
Spongia nata mari, lacrimas bibe ſedula noſtras.
Utque rapis ſitiens illas, ſic Mæonis omnem,
Mæonis ingrati rapias de pectore ſenſum.
Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Ut pumex pingueſcit, ut æquoris unda quieſcit,
Quæ ventis agitata, huc illuc concita fertur.
Sed quid ego, heu triſti pectus concuſſa dolore
Imprecer, & vanis jactem convicia ventis?
Mæon tot mihi damna, ego Mæoni verba rependam?
Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.
Huc huc, qui rigida meditaris vulnera cauda,
Sæve Trygon, & tu, proprium cui ſiſtere naves
Veliferas, echeneis, adeſte: & Mæonis acres
Tu retinere pedes, tu figere corda labora.
Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Tunde jecur, ſpumamque ſimul torpedinis atræ:
Hæc ego cras illi lethalia pocula mittam,
Ebibat, & ſubito pallentes torpeat artus:
Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.
Scinde manu leporem, leporis penetrabile virus.
Naſcitur Eois hic fluctibus, attulit Ægle,

Do-

Docta Ægle, juſſitque inimicum tangere limen.
Curre age, tange ſimul, ſimul obline, cras mihi pœnas
Perfidus ille dabit: gemet ipſo in limine Mæon.
Siſtite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Contere & Halcyonis nidum mihi, pellere ventos
Dicitur, & ſævas pelagi mulcere procellas.
Forſitan hic noſtros ſedabit pectoris æſtus.
Siſtite præcipitem, jam ſiſtite, licia, rhombum.
Hactenus ille; quid huic ſubjunxerit ordine Thelgon,
Accipe, non omnes unus dolor angit amantes.
Thel. Rupe ſub hac mecum ſedit Galatea, videbam
Et Capreas, & quæ Sirenum nomina ſervant
Rura procul, veteres alia de parte ruinas
Herculis ambuſta ſignabat ab arte Veſevus.
Exſere cæruleos, Triton, de gurgite vultus.
Ipſe meas, Triton, Nereo deferre querelas,
Ipſe potes curva reſonans ſuper æquora concha
Et ſcopulis narrare, & fluctivagis balænis.
Exſere cæruleos, Triton pater, exſere vultus.
Hic primos mihi congreſſus dedit illa roganti:
Hic niveam formoſæ manum porrexit, & (eheu
Quid recolo?) tacitos in me defixit ocellos.
Exſere cæruleos, Triton, de gurgite vultus.
Huc ades, o mea cura, quid o quid lenta moraris?
Ipſe ego te propter, ſocios, cymbamque reliqui.
Exſere cæruleos, Triton pater, exſere vultus.
Hic tibi conſuetas formoſior explicat umbras
Populus, amplector ſæpe hanc, atque oſcula figo
Corticibus: ſæpe ipſa pedum veſtigia quæro:
Et ſiquid manibus tetigiſti, floribus orno.
Exſere cæruleos, Triton, de gurgite vultus.
Quem mihi nunc præfers? ſi te juga frondea, ſi te
Arbuta, paſcentesque juvant per rura capellæ.
Nos quoque non graciles nunc primum jungere avenas
Diſcimus, inciſas implent mea carmina fagos:
Et mea Mænaliis pendet jam fiſtula ſilvis.
Exſere cæruleos, Triton pater, exſere vultus.
Sin magis adrident hæc litora, ſin magis alti

Divitias pelagi: ſparſos quis cogere piſces
Doctior, aut rigidum dextra jactare tridentem?
  Exſere cæruleos, Triton, de gurgite vultus.
Non ego delphinis, te judice, non ego thynnis
Æquore vel medio dubitem certare natando.
Quid tibi me jactem? cui vix numerare vel hamos
Nunc vacat, aut reſtes, onerataque retia plumbo,
Et Sinveſſano textas de vimine naſſas.
  Exſere cæruleos, Triton pater, exſere vultus.
Me Ligurum duræ rupes, me Gallica norunt
Litora piſcantem, pariter me Varus, & ingens
Senſit Arar, ſenſere maris fera monſtra Britanni.
  Obruo cæruleos, Triton, ſub gurgite vultus.
Et poſt hæc heu dura, fugis, non te mihi tellus
Extera, non venti rapuere, ſed accipe munus,
Accipe, non ultra tecum, Galatea, ſedentem
Adſpicies. I, læta novas meditare choreas.
  Obrue cæruleos, Triton pater, obrue vultus.

TRAJANO CABANILIO,

Trojæ, ac Montellæ Domino.

SALICES.

Si vacat, & blandos etiamnum ventilat ignes
Quæ Dea cærulea vehitur ſuper æquora concha,
Turrigeramque Paphon, ditemque Amathunta tuetur:
Accipe flumineas properatum carmen ad undas,
O mihi non dubia, Cabanili, cognite fama,
Sed longe varios rerum ſpectare per uſus.
Nam tibi me doctæ ſic devinxere Sorores,
Sic mea felici permulcent pectora cura;
Ut vix ulla queam melioris tempora vitæ
Te ſine, vix placidos per noctem ducere ſomnos.

En agedum, Trajane, tuis hæc prævia juſſis
Tractanti, jam jamque animo majora paranti
Da veniam, & tenues ne dedignare Camœnas.
  Forte inter virides, ſi vera eſt fama, geniſtas,
Capripedes Satyri, paſſimque agreſtia Panes
Numina cum Faunis, & montivagis Silvanis,
Exercet dum Sol raucas per rura cicadas,
Vitabant æſtus, qua pinguia culta vadoſus
Irrigat, & placido curſu petit æquora Sarnus.
Grata quies nemorum, manantibus undique rivis,
Et Zephyris denſas inter crepitantibus alnos.
Dumque leves aptant calamos, dum ſibila preſſis
Explorant digitis, tenuique foramina cera
Obducunt, vario modulantes carmina cantu:
Auricomæ viridi ſpeculantur ab ilice Nymphæ
Dulcia clariſonis ſolventes ora cachinnis:
Sed prope ferre pedem metuunt, nam ſæpe labores
Audierant, Penea, tuos, & qualibus olim
Infelix eheu Virgo Nonacria fatis,
Infelix Virgo [quid enim non illa moveret?]
Pana metu fugiens e vertice Cylleneo,
Pana Deum Arcadiæ, quamvis pulcherrima, quamvis
Dianæ ſacros inter lectiſſima cœtus,
Nodoſa tenerum mutarit arundine pectus.
Quas ſimul ac nemorum petulans, effrænaque pubes
Semiferi videre per herbida prata vagantes:
Occultamque imis flammam traxere medullis:
Sic timidas blandis hortantur vocibus ultro:
  Huc huc, o teneræ, placidiſſima turba, puellæ:
Quid procul adſtatis? potius ſuccedite ripæ,
Et viridi in prato molles de more choreas
Ducite: quandoquidem calamos inflamus inertes:
Et fruſtra ad ſurdas jactamus carmina ſilvas.
Illæ nil contra: celeri ſed nuda parabant
Crura fugæ, tutoſque agitabant mente receptus,
Siqua forte viam per ſaxa irrumpere, & altis
Evaſiſſe jugis, Deus, aut ſua fata dediſſent.
Tum juvenes, procul o, clamant, procul iſte, puellæ,
Sit

Sit timor: ignavas animo depellite curas:
Nullæ hic inſidiæ, nullæ per aperta latebræ:
Cuncta patent: nullas abſcondunt hæc loca fraudes.
Nos quoque non Lernæ monſtris, non igne Chimæræ,
Scillæiſve lupis geniti, aut latrante Charybdi,
Qui veſtra immani laceremus viſcera morſu:
Sed Divûm genus, & qui ſemper rupibus altis
Vobiſcum crebris venatibus inſultemus.
His dictis permulſi animi, ſecuraque triſtem
Corda metum ejiciunt: greſſuque per uda citato
Prata, Deis tandem cupidis, ripæque propinquant.
Tum manibus ſimul implicitis per gramina feſtas
Exercent choreas: alioſque, alioſque reflexus
Inter ſe lætæ repetunt: nunc corpora librant
In ſaltus: nunc molle latus, nunc candida jactant
Brachia: & alterna quatiunt veſtigia planta.
Hic Satyri, quamquam voces audire canentum
Crudeles, quamquam niveas ſpectare papillas
Exſultant, oculiſque bibunt ſitientibus ignem:
Tanta tamen ſævi gliſcit vis effera morbi
Pectoribus, præcepſque amor, & maleſana libido;
Ut calamis ſenſim ejectis, ruptoque repente
Fœdere, ſurgentes ab humo, vento ocyus omnes
Exſiliant: ſpretaque Deum pietate, fideque,
Ah pavidas Nymphas, ſubitoque horrore rigentes
Invadant avidi, ſævorum more luporum,
Qui lætas mediis proturbant luſibus agnas,
Oblitaſque ſui paſſim rapiuntque, trahuntque,
Dum viridi in campo curſant, aut valle ſub alta,
Et cuſtos ignarus abeſt, & amica canum vis.
Sic illi: at miſeræ diſciſſo pectore Nymphæ
Frondiferam mœſtis ſilvam clamoribus implent:
Atque huc, atque illuc fugiunt, non ſaxa, neque alti
Tuta putant loca ſenta rubis, hinc ardua montis
Prærupti juga, diffuſos hinc ſtagna per agros
Adtonitæ circumſpiciunt, via nulla ſalutis:
Et jam ſpes prærepta fugæ: tum denique ad undas
Conſiſtunt trepidæ; flavoſque a vertice crines

Cum

Cum lacrimis, gemituque, & flebilibus lamentis
Adſcindunt, Sarnumque vocant, liquidaſque Sorores:
Dumque vocant, fundo properat chorus omnis ab imo
Naïadum, properat vitreæ rex cærulus undæ
Sarnus, inexhauſtumque vadis ciet agmen aquarum
Rauca ſonans: ſed quid Sarnuſve, aut illa natatum
Agmina Naïadum poſſint, ubi ferrea contra
Stant fata, & duro leges adamante rigeſcunt?
Ergo defectæ cura, auxilioque Deorum,
Ac cœlum pariter Nymphæ, lucemque peroſæ,
Unum illud, rebus tandem quod reſtat in arctis,
Finem optant, jamque in fluvium ſe mergere adortæ,
Membra reclinabant, & aquas prono ore petebant:
Quum ſubito obriguere pedes: lateque per imos
Exſpatiata ungues radix, fugientia tardat,
Adfigitque ſolo veſtigia, tum vagus ipſis
Spiritus emoritur venis: indignaque pallor
Occupat ora: tegit trepidantia pectora cortex.
Nec mora: pro digitis ramos exire videres,
Aurataſque comas glauca caneſcere fronde:
Et jam vitalis nuſquam calor: ipſaque cedunt
Viſcera paullatim venienti frigida ligno.
Sed quamvis totos duratæ corporis artus,
Caudicibuſque latus, virgultiſque undique ſeptæ,
Ac penitus Salices: ſenſus tamen unicus illis,
Silvicolas vitare Deos; & margine ripæ
Hærentes, medio procumbere fluminis alveo.

Fragmentum Carminis Piſcatorii, quod hic vulgo collocant, quære infra poſt Epigrammatum Libros.

Ad Lucium Craſſum.

TE fœcunda tenent ſaxoſi rura Petrini,
  Rura olim proavis facta ſuperba meis.
Et Sinueſſanas ſpectas, mea gaudia, Nymphas,
  Quique novo ſemper ſulfure fumat ager.
Et modo miraris veteres in litore portus;
  Nunc Liris gelida qua fluit amnis aqua,
Cunctaque felici figis veſtigia cura,
  Obſervas Latiæ dum monumenta viæ.
At mihi paganæ diſtant ſilveſtria Muſæ
  Carmina, quæ tenui gutture cantat Amor.
Fidaque ſecretis reſpondet ſilva querelis;
  Et percuſſa meis vocibus antra ſonant.
Nec tantum populos, nec tantum horreſcimus urbes,
  Quantum non juſtæ ſervitium dominæ.
Hoc vitæ genus, hoc ſtudium mihi fata miniſtrant:
  Hinc opto cineres nomen habere meos.
Me probet umbroſis paſtorum turba ſub antris,
  Dum rogat agreſtem lacte recente Palem.
Me rudis indocta modulatur arundine Thyrſis;
  Et tam conſtanti laudet amaſſe fide.
Inde ſuper tumulumque meum, Maneſque ſepultos
  Tityrus ex hedera ſerta virente ferat.
Hic mihi ſaltabit Corydon, & pulcher Alexis:
  Damœtas flores ſparget utraque manu:
Fluminibuſque ſacris umbras inducet Jolas,
  Dum coget ſaturas Alpheſibœus oves.
Non mihi Mæoniden, Luci, non cura Maronem
  Vincere: ſi fiam notus amore, ſat eſt.
Quid feret Æacides nobis, quid cautus Ulyſſes?
  Quid pius Æneas, Aſcaniuſve puer?
Iſta canant alii, quorum ſtipata triumphis
  Muſa vagum e tumulis nomen in aſtra ferat.
At mihi tete avidis liceat vincire lacertis:
  Oſculaque optata ſumere longa mora.

Et

Et liceat poſitæ mirari membra lucernæ,
  Noctis & inſolitas nectere blanditias:
Atque manus, atque ora tuis componere in ulnis,
  Teque meo laſſam ſæpe fovere ſinu.
Sed quid ego, hei miſero, ventoſus inania fingo
  Somnia; quæ forſan non feret ulla dies?
Felix, qui potuit duram exorare puellam:
  Et capere optati gaudia conjugii.
Ille dies, noctesque tuos decantat amores;
  Et recolit Veneris dulcia furta ſuæ.
Ille etiam liquido perfuſus odore capillos
  Exercet tenerum nocte juvante latus;
Inque ſinu dominæ primos reminiſcitur ignes:
  Quos leviter pennis aureus afflat Amor.
Nec cupit Æthiopum quæ canent vellera ſilvis,
  Nec, quæ Sidonio lana cruore rubet.
Solus habet, fuſcis quidquid portatur ab Indis;
  Solus habet ripas, aurifer Herme, tuas;
Et quaſcumque metit ſegetes fragrantibus arvis
  Medus, & aſſiduo Sole peruſtus Arabs.
Non auro, aut gemmis miſeri torquentur amantes:
  Qui dominam poterit flectere, dives erit.
Dives ero ante alios, ſi te, mea vita, volente
  Suſtineam ignota pauper, & exul humo.
Nam quid rubra juvant fulgentibus æquora conchis,
  Aut quæ multa niger tura Sabæus arat?
Quidve torus prodeſt, pluma ſpectandus, & oſtro,
  Si non eſt gremio cara puella meo?
Si trahere infelix inter ſuſpiria noctem
  Cogor: &, æternos eſſe, negare, Deos?
Num me neglectis devovit ſaga ſepulchris?
  Num rumpunt ſomnos carmen, & herba meos?
Carmen inacceſſa traducit ab ilice glandes;
  Carmen nocturnæ ſupprimit ora canis:
Carmen & informi pallentem ſanguine Solem
  Inficit; & Lunæ ſiſtit euntis equos.
Quid queror infelix? utinam mihi ſola nocerent
  Carmina: nec noſtro pectore ineſſet Amor.

Ille vel Ææææ ſaperat cantamina Circes:
  Ille vel Æmoniis nata venena jugis.
Parce, puer: non vana queror: tu vulnere noſtro
  Creſcis, & exſultas, ſæve, cruore meo.
Quod ſi te noſtræ cœperunt tædia vitæ:
  Ne ceſſet, quæſo, funeris atra dies.

Ad Joannem Pardum Hiſpanum.

Parde, decus patriæ, ſpes maxima, Parde, tuorum,
  Atque idem Hiſpani gloria rara ſoli:
Quem juvat immenſi cauſſas exquirere mundi,
  Primaque conſtanti corpora juncta fide:
An magnum æterno volvatur Numine cœlum:
  An propria *hoc* ingens mole laboret opus:
Cur ſalſi fluctus: cur ignibus æſtuet Ætna:
  Cur vomat epotas vaſta Charybdis aquas:
Unde micent ſtellæ: cur nox majorve, minorve:
  Cur non ipſa ſuo lumine Luna micet.
Felix, cœleſtes cui fas nunc ſcandere ſedes:
  In queis poſt obitum fata manere ſinunt.
At nos per ſilvas, & ſordida rura, capellas
  Verſamus: quando Phyllis amare jubet:
Et teneris noſtros ulmis indicimus ignes,
  Quos legat errantum cœtus Hamadryadum.
Et nunc capreolos, & nunc venamur onagros:
  Interdum ſævas fallimus arte feras.
Sæpe juvat pictas viſco capture volucres:
  Nec Satyris ipſo cedimus aucupio.
Quod mihi ſi liceat tenui revocare cicuta
  Trinacrii niveas Upilionis oves:
Rura colam ſemper: populi valeatis, & urbes:
  Rura dabunt oculis grata theatra meis.
Illic gramineas, paſtorum bella, palæſtras
  Adſpiciam, & celeri præmia parta pede.
Nec me pœniteat ludibus certare colurnis;
  Aut armare cavis pectora corticibus.

 Pugna-

Pugnabunt tauri, pugnabunt cornibus hirci;
  Victores molli ceſpite ſerta ferent.
Plenaque pellitus luſtrabit ovilia paſtor:
  Ponet & agricolis ruſtica liba Deis
Stabunt capripedes abiegno robore Fauni:
  Stabit & incoſta falce dolata Pales.
Quorum ſolennes ictus cadet agnus ad aras;
  Ictus, ut innumeras expleat agnus oves.
Tum milium, & niveo ſtatuet fumantia lacte
  Pocula, votivas concipietque preces:
Et ter tranſiliet flammantes potus ariſtas,
  Ter quoque non tardo ruſtica turba pede.
Dî facite, inter oves, interque armenta canendo
  Deficiam; & ſilvis me premat atra dies:
Ut me non docta deploret paſtor avena:
  Utque ſub umbroſa contumuler platano:
Oſſaque paſcentes venerentur noſtra capellæ:
  Nec procul a tumulo candida balet ovis.
Exſultent alii Panchæo munere Manes:
  Et quærant Pariis marmora cæſa jugis.
Mî ſat erit, veteres recolat ſi Phyllis amores;
  Conſerat & vernas ante ſepulchra roſas.

Ad Amicam.

Nulla meos poterit mulier prævertere ſenſus;
  Ipſa licet cœlum linquat, & aſtra Venus.
Tu puero teneris ignis mihi primus ab annis:
  Ultima tu tremulo flamma futura ſeni.
Jam ſanxere ſemel nos inter fœdera Divi,
  Fœdera ad extremo non ſolvenda rogos:
Ut ſi noſtra tuo ſuperesſet funere vita;
  (Dî tamen in ventos omen abire ſinant:)
Ipſe ego compoſito venerarer operta ſepulchro
  Oſſa, ferens mœſta thura, merumque manu:
Umbrarumque ſacer cuſtos, tumulique ſacerdos
  Concinerem querula triſtia verba lyra.

Nec me complexa quiſquam divelleret urnæ;
  Quin cineri moriens oſcula ſumma darem.
At ſi, quod potius cupio, tibi fata dediſſent,
  Lumina formoſa condere noſtra manu:
Tunc mihi quum caros vultus ſpectare liceret;
  Atque anima tecum jam fugiente loqui:
Ipſa meos tumulo Manes laniata vocares:
  Inque tuo legeres oſſa minuta ſinu:
Flebilis & longos ſcindens ad buſta capillos,
  Clamares nomen jam moritura meum.
Tum cineri, & mutæ perſolvens juſta favillæ,
  Miſta dares rutilis lilia cana roſis.
Illic mœſta dies, illic conſumere noctes
  Optares; nec te vinceret alter amor:
Sed memor uſque viri, canis veneranda capillis,
  Adferres tremula munera cara manu.
O mihi, dum tales tumulo reddantur honores,
  Tam lentam Lacheſis ſcindat avara colum.
Non, ut noſtra novos Arabum bibat urna liquores:
  Uſtus & Aſſyrio ſpiret odore cinis:
Aut ut clara mei noteſcat fama ſepulchri:
  Altaque marmoreus ſidera tangat apex:
Sed magis ut liceat longas audire querelas;
  Et gerere e lacrimis ſerta rigata tuis:
Tunc ego Letheæ ſpatiatus in aggere ripæ;
  Qua nitet obtuſo lumine falſa dies;
Quaque levis caſiæ nemus, ambroſiæque virentis,
  Et fortunatos alluit unda greges:
Dulcia præteritæ repetens inſomnia vitæ,
  Oſtendam Elyſiis tot mea dona choris.
Feliceſque animas inter felicior ipſe
  Excipiam plauſus lata per arva novos.
Atque aliquis comitum, lætuſque, hilariſque recentes
  Sparget humi flores; & mihi ſerta feret.
Nec contentus eo, fidos extollet amores:
  Narrabitque aliis de pietate tua.
Sed quoniam teneræ vernant nunc læta juventæ
  Tempora; & amplexus jungere fata ſinunt:

Dul-

Dulcia laſcivo jungamus gaudia lecto:
  Jam properat mortis panda ſenecta comes.
Jam properant rugæque graves, & ſerior ætas:
  Nec dabitur molli ludere poſſe thoro.
Interea cupidis nectamus colla lacertis:
  Ultima jam ſolvet, quum volet, hora duos.
Dî facite, hæc longos maneat ſpes certa per annos.
  Candidus & pennis omina firmet amor.

Ad Lucinam, Parturiente Cornelia Piccolominea, Antonii Garlonii Alliſarum Domini Conjuge.

Affer opem teneræ tandem, Lucina, puellæ:
  Auxilio, digna eſt, quam tueare tuo.
Te vocat; & madidis ſolam ſuſpirat ocellis;
  Et roſeo tacitas fundit ab ore preces.
Illa quidem inſueto languet male firma dolore,
  Vixque poteſt longæ tot mala ferre moræ.
At tu, Diva, veni, tecumque unguenta repoſtæ
  Pyxidis, & ſiqua eſt, quæ juvet, herba, feras.
Sic flentis miſeros juvenis compeſcere queſtus,
  Sic una poteris ſorte levare duos.
Lucis adeſt Dea magna: metum jam comprime, Garlon':
  Non fruſtra eſt lacrimis illa vocata tuis.
Da coſtum, myrrhamque focis, quæque orbe remoto
  Cinnama per rubras navita vectat aquas.
Ipſe Deam venerare, ſacras projectus ad aras:
  Et Genio annoſum ſæpe refunde merum.
Sed trepidi ceſſere metus, ceſſere querelæ.
  Jam parit adventu tacta puella Deæ:
Jam puerum eſt enixa: vides, ut lumine matrem
  Exprimat? en, tenero quantus in ore decor.
Salve parve puer cui jam felicia rident
  Sæcula; cui pharetram ſponte remittit Amor.
Nam ſive auratis humeros armare ſagittis,
  Seu juvet accenſas ſollicitare faces:
Seu potius jactare leves pueriliter alas,
  Et dare neglectas poſt tua terga comas:

Quis te non Paphiis nutritum vallibus, aut quis
Idaliæ Puerum non putet eſſe Deæ?
Vive, precor, blandumque oculis ridere parenti
Aſſueſce; & dulces diſce movere jocos.

Ad Julium Senenſem, Exſulem.

Quum mihi languentes dolor oppugnaret ocellos;
Cogerer & triſti ſolvere verba ſono:
Ingratos inter gemitus, mœſtaſque querelas
Allata eſt manibus litera miſſa tuis.
Inſpexi, agnovique tuas, mea Numina, Muſas,
Pireriosque hauſtus, Caſtaliumque decus.
Poſcis, ut iratum placent mea carmina Phœbum,
Et flectant duras ad tua vota Deas.
Non hoc ingenium, non hæc facundia noſtra eſt:
I, precor, atque alio flumine pelle ſitim.
Ille mihi faciles jampridem denegat aures;
Et vetat argutæ tangere fila lyræ.
Nec mihi jam ſolito latices de fonte miniſtrat,
Nec docet optatos Calliopea choros.
Quid petis extinctam dilapſo a torre favillam?
Quid miſer a noſtro vulnere quæris opem?
Jam tibi felici decurrunt carmina vena,
Et rapit ad patrium te tua Muſa decus.
Ipſa mihi viſa eſt te lamentante, Thalia
Ingemere, & triſti Delius ore queri:
Qualis Strymonias olim quum fleret ad undas
Orpheus indignis vocibus Eurydicen:
Qui cantu Iſmarii gelidis in rupibus Æmi
Adtonuit quercus, adtonuitque feras:
Saxaque Biſtoniis deduxit montibus: & te
Currentem adſtrictis, Hebre, repreſſit aquis.
Scilicet egregios ſemper Fortuna poëtas
Tanget & ancipiti deprimet uſque rota?
Neve ſit extremos tantum ſubmotus ad axes
Ille, Tomitana qui jaces exul humo?

Te quoque nunc rigidi premit inclementia fati,
Longius & patria cogit abeſſe domo.
Sed niſi per magnos quæratur ſama labores:
Omnis in ardentes eſt abitura rogos.
Sic pius Æneas, ſic ſtirps Laërtia Ulyſſes
Majus poſt cineres emeruere decus.
Sic quoque ſublatis Tirynthius undique monſtris
Viſit ab Oetæa regna paterna pyra.
Et te, crede mihi, tot ſæva incommoda paſſum
Virtus ſublimi ducet in aſtra via.

In Funere Sarri Brancatii, Lucretia Uxor.

Ergo importunæ ruperunt ſtamina Parcæ,
Stamina lanifica tam bene ducta colo?
Ergo ego, quæ fueram tali modo nupta marito,
Frigida nunc triſti conqueror in thalamo?
Quique his dignus erat vitam exhalaſſe labellis,
Occidit externis advena litoribus?
Felices nimium, fortunatæque Sorores,
Quæ datis æternis thura Sabæa focis.
O utinam numquam amplexus, numquam oſcula noſſem:
Eſſem pars veſtri nempe ego parva chori.
Care vir, audaci nimium confiſe juventæ,
Et nimium lacrimis umbra gemenda meis:
Quis te tam denſos immittere corpus in hoſtes
Juſſit? an ad pugnam non ſatis unus erat?
Me miſeram, non ulla tuæ te cura puellæ,
Non ſubiit mœſtæ certa ruina domus.
Tu mihi per ſanctos ſolitus jurare hymenæos,
Per non lædendi fœdera conjugii;
Te non immemorem caræ fore conjugis umquam;
Etſi Lethæus tingeret ora liquor.
Quin ipſa, admonui, ne ſic violentus in arma
Irrueres: eheu quo, violente, ruis?
Quo raperis? quo jam noſtri tibi cura receſſit?
An potes in moriens non meminiſſe tuæ?

Vix equidem credo; quamvis heu credere cogar;
  Tam cito pectoribus me cecidiſſe tuis:
Sed cecidi: ſic ſors tulit impia; nullaque pro me
  Vota ſalutares demeruere Deos.
Hectora ſic conjux, ſic conjux flevit Achillem;
  Sic miſera extinctum Laudamia virum:
Nunc mea virginitas, quando inlibata remanſit,
  Servetur cineri non violanda tuo.

Ad Divum Jacobum Picenum.

Sancte Senex, quem nec ſceleris contagia noſtri,
  Nec peſſum vitiis ſæcla dedere ſuis;
Æquaſti magnos qui paupertate triumphos;
  Tantus amor nivea ſimplicitatis erat.
Silva tibi ſedes, viridique e ceſpite lectus,
  Explebant menſas amnis, & herba tuas.
Talis erat priſcis victus mortalibus olim,
  Sed priſcis tantum vivere cura fuit.
At te diverſos naturæ expendere caſus
  Juvit, & inſtantes Divûm aperire metus:
Submotumque oculis animo percurrere cœlum:
  Quaſque tenes ſedes, mente adiiſſe prius:
Noſcere præterea cunctarum exordia rerum:
  Quod vix humanæ conditionis erat.
Magnum opus, ut prima ſurgentis origine mundi,
  Omnia ſint ſenis edita luciferis:
Utque pater ſancta demum ceſſare quiete
  Perfecto artifices juſſerit orbe manus:
His addis cultuſque pios, ritusque verendos,
  Cunctaque legifero tradita ſacra Duci:
Quæque ſuis caſtæ ſæclis cecinere Sibyllæ:
  Quæque Sacer Vatum Spiritus ore refert:
Sidereos Partus, demiſſaque pignora cœlo,
  Atque inopes cunas, ſtramineumque thorum:
Speratumque diu terris, cœloque probatum
  Verum hominem, verum mente animoque Deum.

Hinc

Hinc & ſupplicium infandum, atque obbrobria mortis:
Claraque de Stygia ducta tropæa domo:
Denique, ut ad Patrem populo ſpectante ſuorum
Ceſſerit; igniferis præſideatque locis:
Quantaque nos maneant promiſſæ gaudia vitæ:
Quantaque venturæ gloria lucis erit.
Miremur tibi ſi placidi penetrale Tonantis,
Et patet immenſi regia clara poli:
Quum tantum his ſuperas meritis ſit ſcandere in arces,
Qua plaga ſecurum lactea monſtrat iter?
Scilicet inde datur terras ſpectare jacentes,
Et circumfuſi brachia curva maris;
Solis & ardentes radios, Lunæque recurſus:
Qualiter & pacta ſtent elementa fide:
Nec minus æternis niteant ut ſidera flammis,
Et peragant varias noxque, dieſque, vices.
Felix, qui noſtras potuiſti linquere curas;
Et procul humanas deſpicere illecebras.
Felices, qui te colles videre loquentem,
Quæque tibi gratos præbuit herba thoros:
Quæque arbor, rupeſve ſacra te fovit in umbra:
Et quæ nunc Manes continet urna tuos.
Nam licet incultis fuerit tibi vita ſub antris;
Nunc pedibus data ſunt aſtra terenda tuis.
Attamen o dic, ſancte Pater, dic, addite cœlo
Gloria, dic, patriæ fama, decuſque tuæ:
Ecquid te ſolitis mulcet ſapientia chartis,
Mollis ubi Elyſium concitat aura nemus?
An juvat aurata meditantem carmina canna,
Nectere purpurea tempora cana roſa?
An mage virgineis ſedet invigilare choreis:
Quum deceat cœlo, quidquid in orbe libet?
An potius toto Superûm ſpectante ſenatu,
Diluis æthereo crimina noſtra foro?
Denique quidquid agis, nitidi novus incola cœli,
Pectoribus noſtris non levo Numen eris.

Ad Petrum de Rocca Forti Maximum Regis Galliarum Cancellarium.

Quod pectus tibi forte, quod ardua pectoris arx eſt;
 Quod forti dignum pectore nomen habes:
Quod leges ſua jura tenent te vindice; quodque
 Omnia virtuti pervia facta tuæ:
Autumni ſedem, chelaſque Aſtræa reliqui;
 Advenique tuos, noſter alumne, lares.
In cunis ego te, ſi neſcis, ſedula fovi,
 Reptaſti gremio ſarcina grata meo;
Ipſa tuos finxi mores, animumque, manuſque:
 Ingeniumque ſagax, judiciumque dedi.
Hinc noſtri cultuſque frequens, optandaque rerum
 Cognitio, hinc fidei nomina tanta tuæ.
Ad te igitur duplices ſubnixo poplite palmas
 Inſuetis tendo ſollicitata malis:
Ne patiare, meas Latio langueſcere vires;
 Pendet ab auxilio ſpes mea tota tuo.
Deprimor audaces inter deriſa miniſtros;
 Nec fas ingenuum tollere ad aſtra caput.
Quodque diu partum eſt virtute, & fortibus armis
 Imperium, fœdæ ſervit avaritiæ.
Nec mirum, veſtro tantum quum diſtet ab orbe.
 Terraque cenſura ſit procul illa tua.
Quis credat? tectis cives pelluntur avitis;
 Adrogat injuſtas dum ſibi fiſcus opes:
Fiſcus opes miſerorum, hoc eſt, heu, parcere victis?
 Hoc eſt Auſonio reddere jura ſolo?
Cogitur infelix alienas ire per oras
 Nobilitas, patriis expoliata bonis:
Culpaturque fides domino ſervata priori,
 Et maris, & terræ non labefacta minis.
Scilicet eſt crimen duram contemnere mortem;
 Scilicet eſt reges crimen amare ſuos.
O bene fortunæ memores, quicumque ſuperbas
 Gentibus a victis abſtinuere manus.

Nam

Nam quamvis ſævos illectet præda tyrannos:
  Magnanimos reges gloria ſola juvat.
Delentur nullos hominum benefacta per annos;
  Quaque licet faciunt nos ratione Deos.
At ſiquis ſeræ ſpernit præconia famæ,
  Quercubus alpinis adnumerare potes.
Ergo tu, Regem cui fas lenire potentem;
  Da deſideriis vela ſecunda meis.
Effice, Juſtitiæ ſoliti reddantur honores:
  Dignus es, altricem qui tueare tuam:
Sed ſoror ut noſtros æquet Clementia faſces:
  Qua ſine, dura nimis, difficiliſque vocer.
O decus, o lapſi ſpes conſtantiſſima ſecli;
  O vir fortuna fortior ipſe tua.
Sic tibi contingat, Solyma de gente triumphum,
  Captaque per noſtros ſigna videre duces.
Sic Rhodanum Nilo ſpectes dare jura ſubacto:
  Perque Araris ripas plurima laurus eat.
Hoc ego te, mecum hoc Phœbus, doctæque Sorores;
  Hoc pietas, hoc jus, nobilitaſque rogant.

De ſtudiis ſuis, & Libris Joviani Pontani.

Qui primus patrios potuit liquiſſe penates,
  Et maris, & longæ tædia ferre viæ;
Quem non mœſta domus, quem non revocare parentes,
  Non potuit fuſis blanda puella comis:
Impius, & ſcopulis, & duro robore natus,
  Atque inter tygres editus ille fuit.
Non mihi circumſtat ſolidum præcordia ferrum:
  Nec riget in noſtro pectore dura ſilex:
Ut poſſim dulceſque lares, limenque puellæ
  Linquere; & ignoto quærere in orbe domum.
Sed Phœbi ſacros cogor luſtrare receſſus,
  Vocalemque undam, Theſpiadumque choros,
Ut fugiam nigras ſupremo in funere flammas;
  Et volitem populi docta per ora mei.

Me-

Meque inter claros attollat fama poëtas,
Nec rapiat nomen nigra favilla meum:
Et noſtro celebrata ſuperbiat Umbra ſepulchro:
Spernat & e Phariis marmora cæſa jugis:
Non tamen ut magni tumulum tentare Maronis
Audeat; aut tantum ſperet habere decus.
Sed quis tam niveis vellat mea colla lacertis?
Quis vetet optato membra fovere ſinu?
An tanti fuerit ſacro Parnaſſus hiatu,
Perque ſuas paſſim templa habitata Deas:
Ut tibi ſit nitidos lacrimis corrumpere ocellos,
Diſceſſumque fleas, cara puella, meum?
Ah pereat, quicumque leves ſectatur honores;
Et ſequitur famæ nomina vana ſuæ.
Tecum ego nocturnis dubitem ceſſare choreis?
Tecum ego conſperſa gaudia inire roſa?
Deductumque levi crinem perfundere amomo?
Et noctem inſolitis ducere blanditiis?
Scilicet & Turcas Pontanus in æquora claſſes,
Alfonſi & fortes ducat in arma manus,
Qui nunc naſcentis canit incunabula mundi,
Aureaque ætherea ſidera fixa domo:
Utque imbres, lapideſque pluant, ut nubibus ignes
Exiliant: ſalſas ut mare volvat aquas:
Heſperidumque hortos, excuſſaque poma draconi,
Ruſticaque ad primos munera miſſa thoros:
Delicias, Lepidina, tuas, reſonanſque viciſſim
Paſtorum argutis carmen arundinibus:
Qualiter & fulvis radiet Sertorius armis.
Et Pompejanus prœlia tentet eques:
Audeat arguto neu quis contendere verſu,
Ille vel æterno digna Marone ſonat.
Te Pater irriguis audit Sebethus in antris,
Jurgia ad ingratas dum jacis ipſe fores.
Inde vocas ſacrum feſtas Hymenæon ad aras,
Optati referens fœdera conjugii:
Utque tuis primum ſurgens complexibus uxor,
Viſa ſit erepta virginitate queri:

Fe-

Felix, qui fidos expertus conjugis ignes,
  Vidiſti ſobolis pignora certa tuæ:
Næniolaſque rudes cecinisti, & blanda parentis
  Oſcula, & ad cunas murmura nata ſuas.
Felix, excultum torſit quæ Fannia vatem;
  Quæque illi regnum Cinnama ſubripuit.
Quamvis diſſidii leges patiantur amaras,
  Spectabunt cineres nomen habere ſuos.
Eridani poſt hæc ſed te quis credat ad amnem
  Populea canas fronde ligaſſe comas?
Et Stellam ceciniſſe, atque impendiſſe querelas;
  Spectandos quum jam vix daret illa pedes:
Bajanoſque ſinus, myrtetaque cognita Nymphis,
  Clauſaque ſulphureis antra recurva jugis:
Tum Superûm laudem, mutiſque inciſa ſepulchris
  Numina, collapſos & reparare rogos:
Denique Pindaricoſque modos, reſonantia plectra,
  Et Methymnææ fila novaſſe lyræ:
Quum tamen interea motus, atque agmina Regum,
  Bellaque Campanæ diſcutis hiſtoriæ.
Quin & jucundo diſtringis ſæcula morſu,
  Dum vafer in Stygio diſputat amne Charon.
Varroniſque tui, Nigidique exempla ſecutus,
  Grammaticæ haud ſpretas incipis ire vias.
Carminis hinc numeros noſtris depromis ab auſis,
  Dignatus pueri verba referre ſenex.
Quid loquar, ut ſacros Mariani exhauriat amnes
  Ægidius, verum dum canit ore Deum?
Aut apta ingratos taxet ſub imagine mores
  Qui ſuperinfuſas ſpernit Aſellus aquas?
Te juveneſque, Seneſque colunt præcepta ferentem,
  Parthenope ſpreto quæ Cicerone legit:
Ex adytis quidquid Divûm ſapientia pandit:
  Et, Stagira, tui dogmata firma Senis:
Quid deceat fortemque virum: quæ Principis artes:
  Largificas præſtet quæ dare dona manus:
Parendi leges quæ ſint, legeſque loquendi:
  Edat ut argutos lingua diſerta ſales;

Quid Fortuna homini, quid det Prudentia; quantum
  Immanes animos incitus ardor agat:
Magnanimique viri quæ ſint ad ſingula partes,
  Sive colat pacem, ſeu fera bella gerat.
Nec fugis aſtrorum cauſſas aperire latentes,
  Et Ptolomæi fata repoſta poli.
Salve, ſancte Senex, vatum quem rite parentem
  Præfecit terris Delius Auſoniis.
Non te Lethææ carpent oblivia ripæ;
  Nec totum in cineres vertet avara dies.
Nec tibi plebejo ponetur in aggere buſtum.
  Niliacas dabitur vincere Pyramidas.
Quid tibi victrices exſpectas, Umbria, palmas?
  Mœnibus has patriæ rettulit ille meæ.
Ille ſuis longum ſtudiis, & laude fruatur:
  Me juvet in dominæ conſenuiſſe ſinu.

Ad Joannem Sangrium, Patricium Neapolitanum; De ſuo immaturo obitu.

Si me ſævus Amor patriis pateretur in oris
  Vivere, vel ſaltem matre vidente mori;
Ut, quæ vix uno nunc ſunt ingeſta libello,
  Eſſent illa ſuis continuata locis:
Forſitan immites potuiſſem temnere Parcas,
  Ductaque de pulla triſtia penſa colo:
Nec me plebejo ferret Libitina ſepulchro;
  Aut raperet nomen nigra favilla meum.
Nunc cogor dulceſque lacus, & amœna vireta,
  Pieridumque ſacros deſtituiſſe choros:
Nec pote, quæ primis effudit Muſa ſub annis,
  Emendaturo ſubdere judicio.
Sic heu, ſic teneræ ſulcis reſecantur ariſtæ:
  Implumes nido ſic rapiuntur aves.
Proh, Superi, tenues ibit Syncerus in auras?
  Nec poterit nigri vincere fata rogi?
At tu, quandoquidem Nemeſis jubet, optime Sangri;
  Nec fas eſt homini vincere poſſe Deam:

Ac-

Accipe concuſſæ tabulas, atque arma carinæ;
Naufragiique mei collige relliquias:
Erranteſque cie quocumque in litore Manes;
Taliaque in tumulo carmina cæde meo:
Actius. Hic. Jaceo. Spes. Mecum. Extincta. Quieſcit.
Solus. De. Noſtro. Funere. Reſtat. Amor.

In Maledicos Detractores.

Quid ruis in ſacros, temeraria turba, poëtas?
Sævaque mordaci prœlia dente moves?
Deſine ſacrilega convicia fundere lingua;
Deſine: pro populo ſtat Deus ipſe ſuo.
Quis novus in furias armat dolor? ite, profani,
Ite, nec immeritas conſcelerate Deas.
An monet hoc Stygiis immerſus Stucca lacunis;
Dum flens Eumenidum verbera torta timet.
Illum olim tinctæ juverunt felle ſagittæ:
Nunc miſerum facti pœnitet uſque ſui.
Parcite tam cari Manes violare parentis;
Per ſtupra, & talos, per cyathoſque rogo.
Ars ſua quemque juvet: non vos Helicona ſubire,
Non fas virginei polluere amnis aquam.
Scilicet hanc ſumpto Joviani Muſa cothurno
Hauriat; & magno digna Marone ſonet.
Cui comes intactæ luſtrans ſacraria ſilvæ
Altilius, docto pectore carmen hiet.
Nec minus & Muſæ repetens monimenta jocoſæ
Compater, argutos ingerat ore ſales.
Elyſiuſque hedera comtus florente capillos,
Rara, ſed Aoniis concinat apta choris.
Extendatque armis titulos Aquivivus avitos;
Et doceat noſtras cernere caſtra Deas,
Ipſe ſuæ referat Cabanilius ardua Trojæ
Mœnia, & antiquos, Appula regna, lares.
Quique velut tenera ſurgit novus arbore ramus
Corvinus, quavis aure probanda canat.

Et qui Pieriis reſonat non ultimus antris
  Albinus, referat Principis acta ſui.
Tu quoque quid ceſſás doctis deflere querelis
  Excidium patriæ, culte Marulle, tuæ?
Quique tot egregias animas, tot clara virorum
  Ingenia enixu format, alitque ſuo;
Nectat honorata Majus ſua dicta corona;
  Tamque pias ferulas, regia ſceptra vocet.
Quin & rite ſuos Genio Chariteus honores
  Præbeat, & feſtas concinat ante dapes.
Ælius at blandæ fretus dulcedine linguæ
  Facunda totos conterat arte dies.
Nec te jam pudeat venturo oſtendere ſæclo
  Eloquii vires, Scala diſerte, tui
Certent Socraticis Zenonis ſcripta libellis;
  Cujus apis vernos intulit ore favos.
At tu Caſtaliis non inficiande choreis,
  Caſtalidos, Carbo, nunc cane regna tuæ.
Te quoque, quem gemina mulcet ſapientia lingua,
  Parde, juvet ſtudiis invigilare tuis.
Atque alii, quorum doctas it fama per aures,
  Extremo properent vincere fata die.
Nos quoque, ſi magnus non averſatur Apollo,
  Cantemus Nymphas, capripedeſque Deos.
Nam bene Theſpiacas, Livor licet audiat, undas
  Novimus; & dextro preſſimus antra pede.
At vos incautis ſociis aconita parate;
  Et furtis miſeras exſtimulate domos:
Oedipodiſque modo, thalamos fœdate paternos:
  Si modo dat certum vulgus habere patrem:
Nocturniſque dolis agitate, & cædibus urbem;
  Perque fora infeſtam reddite, perque vias.
Hæc ſtudia, has artes primis didiciſtis ab annis,
  Non Aganippeæ tangere fila lyræ.
Nam neque Calliope vobis, nec dexter Apollo
  Permeſſi ſanctos exibuere lacus;
Dira ſed Alecto gemina comitata Sorore
  Pocula cœnoſo de Phlegethonte tulit.

Nimi-

Nimirum hinc nigro mores, & carmina tabo
 Pallent; & fœdo livor in ore ſedet.
Fallor, an hos nobis miſit gravis Ætna Cyclopas:
 Mitis & hanc ſentis tu quoque terra luem!
Heu, mea Parthenope, quæ te contagia lædunt?
 Talia tu numquam gignere monſtra ſoles.
Dî patrii, quorum monitis huc advena claſſis
 Appulit, Euboicas conſtituitque domos:
Litoribus talem noſtris avertite peſtem;
 Mœnia felici ſi poſuiſtis ave.
Voſque, Umbræ inſontes, quas jam lethale venenum
 Ante diem Stygias ire coëgit aquas:
Ultrices huc ferte faces; fumoque ſequaci
 Auctores veſtræ ſollicitate necis,
Et vos, o vatum certiſſima Numina, Muſæ,
 Numina carminibus non violanda meis,
Parcite, ſi veſtras nunc primum læſimus aures:
 Juſta laceſſita ſumpſimus arma manu,

Ad Alfonſum, Ferdinandi Filium Aragonium, Siciliæ Regem.

Alfonſe, invicto laus acceſſura Parenti,
 Heſperios inter non leve nomen avos:
Quid me laudatos Parnaſſi mittis ad amnes?
 Obruitur largo flumine noſtra ſitis.
Gloria Virgilio eſt, currus, atque arma referre:
 Naſonis medio fata in amore mori.
Battiaden docti ſectatur Muſa Properti:
 Flaccus Pindaricos dividit aure modos.
Paſſeris exſequias fracto canit ore Catullus.
 Tu Nemeſin laudas, culte Tibulle, tuam.
Omnia non uno deſudant eſſeda campo:
 Noſter in exiguo tramite currit equus.
Si me Caſtalia docuiſſet Phœbus in umbra;
 Oraque Gorgonea noſtra rigaſſet aqua;
Meque vel Æſchyleo donaſſet Muſa cothurno;
 Et foret in noſtro grandior ore ſonus:

Non ego Phaſiacæ canerem certamina pubis,
Æquora non prima ſollicitata rate;
Non conjuratos ſubvertere Pergama Reges,
Non Trojæ profugos poſt duo luſtra Deos;
Thebanaſve acies, Fratrumque immitia bella,
Sævaque diſcordi funera rapta pyra;
Teque, tuoſque meo celebrarem carmine: nec me
Pignore tam grato dulce gravaret onus.
Nam canerem victoſque duces, Hiſpanaque regna,
Horridaque a proavis bella peracta tuis;
Demiſſumque genus antiqua ab origine Regum;
Quantaque magnanimi geſta feruntur Avi,
Dum Lybiæ tractus, veteres Carthaginis arces,
Lotophagûm dites & populatur agros:
Reginæ accitû mox Itala regna ſecutus,
Chalcidicaſque arces, Parthenopenque ſubit.
Sed quoniam inſtabiles animos muliebria verſant
Pectora; ſuſpectos deſerit ille lares;
Ac patriæ petit arva ſuæ, nec longa moratus
Ultores rurſum ducit in arma Deos;
Obſeſſamque intrat Nymphis comitantibus urbem,
Qua per operta vagus labitur antra liquor.
Aurea quin illo dicunt ſub Rege fuiſſe
Sæcula: felices, qui meruere frui.
Quid Patris invictas acies, quid concita dicam
Claſſica per campos, Daunia terra, tuos:
Disjectoſque duces, populataque caſtra, neque ullis
Clara magis Regum prœlia temporibus?
O mihi ſupremos ſi Parca indulſerit annos:
Quanta canam! quantus vox mea plauſus erit!
Tunc ego Mæonios auſim perrumpere fontes,
Sævaque terribili bella tonare tuba,
Utque alios ſileam: tua fortia facta referrem:
Proveherentque animos tot monumenta meos;
Ut puer extremas regni percurreris oras,
Luſtratis referens præmia litoribus:
Et male pacatos ſedaveris ante tumultus,
Quam patriis hoſtes finibus expuleris.

Primus honos, forti defenſos milite Locros
  Servaſſe, & muros, urbs Meliboea, tuos.
Nec non Marte pari ſummas Caulonis in arces
  Veniſſe, inque ſuo templa ſacrata jugo;
Templa Deæ, vaſtis latè quæ præſidet undis,
  Una Jovis conjux fida, ſororque Jovis.
Teſtis Crathis erit, teſtes Sybaritides undæ,
  Oraque, quæ fluctus proſpicit Jonios.
Adde, quod Etruſcos oppleveris agmine campos;
  Et tibi captivis fluxerit Arnus aquis:
Totque pharetratas, Turcarum corpora, turmas
  Auſoniis dederis Manibus inferias.
Gratia Dîs Italis; prærupta Ceraunia, & arces
  Buthroti, noſtras pertimuere minas:
Captivumque Ducem, fractoſque adſpeximus arcus,
  Detulit huc domita quos tua claſſis aqua,
Hinc Ligurum furias, compreſſaque jurgia ferro,
  Gallicaque in partes oppida verſa duas.
Ipſe ego quæ vidi, referam: ſcit Tuſcula tellus,
  Quæque cadit ſummo lympha Aniena jugo.
Nam duce te, Latios ferro dum ſubruis agros;
  Tempora militiæ prima fuere meæ.
Bis Nomentanas, bis magni Tiburis arces
  Vidimus ad noſtros proiicere arma pedes:
Quum jam ſit media trepidatum pæne Suburra;
  Et Capitolino vota parata Jovi.
Nec ſemel, ut fatear, Collinæ ad limina portæ
  Fregimus, armatos reppulimuſque duces.
Parce tamen, veneranda Parens, ſi juſta ſecutus
  Signa ſub Alfonſo: Rex erat ille meus.
Lanuvium infelix, fatis contraria noſtris
  Terra; potes certas tu variaſſe vices.
Nam quod ad hoſtiles flexit Victoria partes:
  Fortunæ magis hoc, quam fuit artis opus.
Ille ſed Eridani ripas non fractus in altas
  Contendens, caræ regna Sororis adit:
Metatuſque locum caſtris, Inſubria paſſim
  Fudit, & Euganeis agmina miſſa jugis.

Dicite Jo, populi: turmas ſpectaſtis ovantes;
  Et per victrices fœdera juncta manus:
Ipſe quoque haud ſileat quos cedere Farfarus hoſtes
  Riſit, & exutum vertere terga ducem.
Heus ubi nunc, Roberte, tuæ voceſque, minæque,
  Campani peteres quum tibi jura ſoli?
Jam noſtros Reges, jam ſternere cuncta parabas:
  Nunc fuga degeneres arguit ecce metus.
Hortariſque tuos dimittere ſigna maniplos,
  Heu pudor, & longæ præmia militiæ.
Hos tamen ille pius, quamvis diverſa ſecutos,
  Alfonſus miti fovit & auxit ope.
Macte animo cuſtos hominum, macte optime Regum,
  Auſoniæ tu Sol, tu pater unus ades.
Quid memorem paciſque artes, bellique labores,
  Perpetuumque animi tempus in omne decus?
Sed me formoſæ deterrent juſſa puellæ,
  Ne poſſim tantis invigilare choris;
Et vetat aſper Amor dulces contemnere curas;
  Cogit & invito ſubdere colla jugo.
Nec proſunt lacrimæ, nec verba precantia mortem;
  Ille ſuas in me concutit uſque faces.
Quare ſi noſtri veniet tibi nuntia lethi
  Fama; triumphales jam prope ſiſte rotas:
Atque hæc ad cineres mœrens effare ſepultos:
  Sævitia dominæ rapte Poëta jaces.

In Feſto Die Divi Nazarii Martyris, qui Poëtæ Natalis eſt.

Ecce mihi totum lux expectata per annum
  Jam redit; Aoniæ ſerta novate Deæ.
Hæc me vitales genitum produxit in auras;
  Juſſit & erectum tollere ad aſtra caput.
Nunc mihi purpureis aram cumulate hyacinthis:
  Cingite & intexta limina noſtra roſa.
Sic etenim coluiſſe decet Geniumque, Lareſque:
  Ferte coronato thura, merumque foco.

Tuque apio innexos dudum acceptura poëtas,
  Splendida ſolennes inſtrue menſa dapes.
Hic mihi puniceo Pontani Muſa cothurno
  Incipiet poſito carmen hiare mero:
Naturæque vias, tenerique exordia mundi
  Proferet; & certa cuncta obitura die.
Craſſus at æterno frondis redimitus honore,
  Solvat Pieriis ora rigata modis:
Et mihi Linternumque vetus, placidumque Petrinum,
  Oſtendatque Atavi regna opulenta mei:
Regna male ad ſeros heu perventura nepotes;
  Dum verſat varias Sors inimica vices.
Altiliuſque novos Superis laturus honores,
  Pindarica feriat carmina docta lyra.
Sforciadum mox dicat, Aragonioſque hymenæos:
  Jure quibus cantus æquet, Homere, tuos.
Nec gemat exſilium Spartani Muſa Marulli,
  Ventura ad noſtras ingenioſa dapes:
Verba ſed antiqui reddat, numeroſque Lucreti;
  Dum magnis Divos laudibus accumulat.
Adde tuos, Ruderice, ſales; adde inclita Patris
  Eloquia: adde animo tot bona parta tuo.
Jamque Panhormitæ luſus, & ſcripta recenſe,
  Et Jovianeæ tempora amicitiæ.
Hos inter meritis rediens Aquivivus ab armis,
  Prodat honoratæ præmia militiæ:
Atque chori princeps docti ſophiam Plutarchi,
  Cumque ſuis referat dogmata principiis.
Ipſe autem haud dubitet Cabaniſius acta referre
  Vel ſua, vel magno juncta Parentis Avo.
Nec Phœbo minus ipſe ſuo, quam Marte probatus,
  Phocaïco pexas tingat in amne comas.
Tu quoque, quem juvenem veneror, dulciſſime Garlon,
  Incipe jam docta plectra movere manu:
Alliſaſque tuas mihi concine, dum vaga Lunam
  Sidera per tacitum nocte ſequuntur iter.
Talibus auſpiciis geniales ducere cœnas,
  Theſpiadumque modis concelebrare juvat.

Calendis Januariis. Ad Fuſcum.

Exoritur lux alma; caput Sol detegit aureum;
  Qui toties noſtros exhilaravit avos.
Exoritur: redit ecce anni melioris origo.
  Quiſquis ades, ſancta concipe voce preces.
Cingantur de more ſacris faſtigia templis,
  Quæ vaga Sebethi Naïs ab amne legit.
Ipſe ſui Janus præpandat limina templi:
  Cui geminum liquido ſtillet odore caput.
Illius & caſtas fument pia thura per aras:
  Atque focos ſupra ſtet, videatque ſuos:
Nunciet & tibi, Fuſce, novos virtutis honores.
  Jam reor hæc animum vota fovere tuum.
Nec magis optaris, quas Lydius amnis arenas,
  Quas volvit flavi lympha ſuperba Tagi.
Nec magis uberibus quidquid ſibi colligit arvis
  Medus, & aſſiduo Sole peruſtus Arabs.
Juſta precor: Latiis utinam diſcedat ab oris
  Hoſtis, & indecori victus oberret equo.
Victus Hydruntinas cogatur linquere terras;
  Et plangat noſtram ſanguinolentus humum.
Hæc veniet lux, Fuſce, tuis lætiſſima votis;
  Quum Pax optatas ducet in urbe moras.

In Morum Candidam.

Nunc, Erato, virides capiti ſubnecte corymbos;
  Profer & auratæ fila canora lyræ.
Arboris umbriferæ caſus referamus acerbos.
  Non erat hæc noſtro fabula nota ſolo.
Audiat, & molli cantantes protegat umbra
  Ipſa, ...
Olim Bajanis fuerat pulcherrima ſilvis
  Naias, errantes figere docta feras.

Quam

Quam liquidus clauſis Lucrinus ſæpe ſub antris
Optavit lateri jungere poſſe ſuo.
Nec ſemel illius pharetram laudavit, & arcum
Paſtorum incultis fiſtula carminibus.
Teſtes Cumææ, teſtes Linternides undæ,
Sanctaque Gauranæ Numina Hamadryades,
Illam Silvanos, Panaſque odiſſe bicornes,
Et quoſcumque colit ſilva, nemuſque Deos.
Sed quid fata parant? ſolitis Morinna redibat
Montibus: hoc illi nomen, & omen erat:
Quum ſubita cœlum texit caligine nimbus;
Et multa canam grandine fecit humum.
Illa hiemem fugiens, diverſa per arva cucurrit,
Tecta caput ſertis, grandine tecta caput.
Vallis erat prope ſulfureos male pervia montes,
Candida quam Grajo nomine ſignat humus.
Hanc ſuper excisis pendebat cautibus antrum,
Agricolûm hirſutis nota domus gregibus.
Pugnantes huc forte coëgerat impiger hircos
Semideuſque caper, ſemicaperque Deus.
Quem procul ut vidit, Nymphæ, ſic pectore toto
Inſequitur; tales & jacit ore ſonos:
Quo properas, ah dura, meaſque ingrata querelas
Deſpicis? aſpectus ne fuge, Nympha, meos.
Mecum capreolos, mecum venabere damas.
Parebit juſſis hoc pecus omne tuis.
Nil eſt, quod fugias: mihi, crede, recentia ſemper
Pocula de niveo fagina lacte madent.
Semper picta roſis, ſemper contexta liguſtris
De noſtro poteris munera ferre ſinu.
Dixit, at illa volans celeres prævertitur auras,
Imbre nihil motos impediente gradus
Jamque petens triſteſque lacus, ſterilemque paludem,
Conſitaque arbuſtis non minus arva novis,
Adſpicit exeſi longe ſub faucibus antri
Obſcurum cæco pulvere noctis iter.
Huc tamquam in latebras, ſe conjicit haud minus ille
Inſequitur prædæ tractus amore ſuæ.

Jamque patens cœlum rurſus, Solemque videbat;
Liquerat & montem poſt ſua terga cavum:
Dextra pontus erat, præruptaque ſaxa ſiniſtra:
Et jam defeſſam, jamque premebat amans.
Protinus exclamans, fer opem mihi, Delia, dixit:
Oraque ſupremo diriguere ſono.
Attulit auxilium Nymphæ *Dea*; ſeque vocanti
Præbuit: illa cadens ſponte recumbit humi:
Fitque arbor ſubito: Morum dixere priores;
Et de Morinna nil niſi nomen habet.
Peſque in radicem, in frondes ivere capilli;
Et quæ nunc cortex, cærula veſtis erat.
Brachia ſunt rami; ſed quæ nitidiſſima poma,
Quas male vitaſti, Nympha, fuere nives.
Flevit Miſenus, mutatam flevit Avernus;
Fontibus & calidis ingemuere Deæ.
Quin etiam flevere ſuis Sebethides antris
Najades, & paſſis Parthenopea comis.
Sed tamen ante alios lacrimas in ſtipite fudit
Faunus; & hæc triſtes addit ad inferias:
Inter ſilvicolas o non ignota Sorores,
Nunc Morus, duris candida corticibus:
Vive diu; & noſtros ſemper tege fronde capillos;
Cedat ut ipſa tuis Pinus acuta comis.
Tu numquam miſeræ maculabere ſanguine Thisbes
Immemor heu fati ne videare tui.
Tu, nec fata negant, niveis uberrima pomis,
His olim ſtabis frondea limitibus:
Et circum puerique canent, facileſque puellæ:
Ducentes feſtos ad tua ſacra choros.
Hactenus inſigni cecinit teſtudine Muſa;
Aoniaſque volans læta reviſit aquas.

Ad

Ad Bacchum.

Bacche bimater, ades: ſic ſint tibi nexa corymbis
  Cornua; ſic nitidis pendeat uva comis:
Seu te nunc Thebæ, ſeu te nunc Iſmarus horrens,
  Sive habet umbroſis Naxos amica jugis.
Huc, pater, huc propera frondenti candide thyrſo;
  Huc potius greſſus dirige, Bacche, tuos.
Sed pallam jam pone gravem, pictoſque cothurnos;
  Et muſto teneros tu quoque tinge pedes.
Tecum etiam Dryadeſque Deæ, Satyrique bicornes
  Adſint; & calamos, concavaque æra ſonent;
Raucaque ſubductis percurrant tympana palmis,
  Baſſaridum fuſis turba verenda comis.
Quas male feſtinas Silenus pone ſequatur;
  Et, procul ut maneant, ſubſideantque, roget.
Tum ſecum auriti fatum deploret aſelli,
  Incedet ferula dum titubante Senex.
At Deus hortorum, cui vertice fixa rubenti
  Canna tremit, ſævas falce repellat aves.
In medio crater cælato maximus auro
  Spumet inexhauſtum, Lesbia dona, merum:
Et circum de more tuas cava tibia laudes
  Intonet, appoſitas concelebretque dapes.
Ipſe ego perque vias urbis, perque omnia paſſim
  Compita, perpetuo ſacra colenda feram.
Ipſe Giganteo referam memorata triumpho
  Nomina, & ovantes, orgia læta, choros.
Nec ſileam fuſcas acies, Gangetica regna,
  Geſtaque odoratis prœlia litoribus:
Mox thalamos, Ariadna, tuos, tædaſque jugales,
  Quæque nitet medio fixa Corona polo.
Jamque pios ritus, indictaque ſacra frequentans,
  Inſtituam virgas fronde virente tegi;
Inoedamque tuas vates tam magnus ad aras,
  Quam nec Virgilius, quam nec Homerus erat.

Tu

Tu mihi, ſancte pater, mordaces exime curas:
Nubilaque annoſo pectora ſolve mero.
Tu mihi ſecuros adige in præcordia ſomnos:
Afflatuque juva lumina feſſa tuo.
Scimus enim, quantos ineunte ætate labores
Pertuleris, quantos fulminis igne metus.
Infelix Semele, quid munera poſcis amantem,
Quæ tibi, quæ Nato ſunt nocitura tuo?
Poſce Jovem, quæ digna tuis ſint præmia votis,
Poſce: feres votis præmia digna tuis.
Non tibi ſilvicolûm proles de Plebe Deorum,
Sed cui ſint Phœbus, Mercuriuſque pares;
Sed quam Saturnus non dedignetur ab alto
Noſcere; quam læto Juppiter ore probet.
Salve, cara Patri ſoboles, mitiſſime Divûm:
Salve, hominum requies, lætitiæque parens:
Et faciles, ſi juſta peto, mihi proſpice Muſas:
Et me pacato numine dexter adi.

Ad Ludovicum Montaltum Syracuſanum, Caroli Caeſ. Scrinii Magiſtrum.

Montaltus nomen clarum tibi, ſive nivoſis
Naſcenti dederit fertilis Ætna jugis;
Seu luſtrata vagis Nebrodis ſaxa Napæis,
Sive Dionæo Numine clarus Eryx:
Seu quod Olympiaco reptaris vertice; teque
Pertulerit placido blanda Arethuſa ſinu:
Nobile frondoſo defluxit nomen Olympo,
Elei referens ſacra vetuſta Jovis
Seu mage quod celſas puer exſuperaveris Alpes;
Dum patet in laudes Belgica terra tuas:
Oceanique petis non explorata Britanni
Murmura; nec canæ Tethyos antra times:
Exhauſtos præferret ut illa ætate labores,
Aëria nomen venit ab Alpe tibi:
Quidquid id eſt, quicumque hujus tibi nominis auctor
Montis, & inacceſſi verticis aſperitas:

Non

Non mores, non facta, ſed altæ mentis acumen
  Vidit, & ingenii prævia ſigna tui.
Nam licet ipſe animo nubes, & ſidera vincas;
  Cunctaque ſint ſenſu pæne minora tuo:
Non te per duros aditus, rupeſve fragoſas,
  Sed per floriferum vallis adimus iter:
Vallis, perpetuo quam veſtit gramine rivus:
  Et quam vicini litoris aura fovet.
Hoc eſt, hoc, mihi crede, Deos æquare merendo:
  Hoc eſt æterni ſceptra tenere Jovis.
Cætera mortales inter peritura labores
  Deſere, & hoc unum vita ſequatur opus.

Ad Junianum Majum Præceptorem.

Quum tibi Bajanæ ſpectantur ab æquore Nymphæ,
  Stagnaque vicinis hoſpita litoribus;
Qua vetus Herculeos perduxit ſemita tauros,
  Longius excluſo concita clauſtra mari:
Quaque jacet Baulos inter lucumque Sibyllæ,
  Et Prochytæ rectum per juga tendit iter:
Nos hic, ut noſti, duræ parere puellæ
  Cogimur, & triſtes ducere in urbe moras.
Nec tamen aut ſtudiis animum intendiſſe ſeveris,
  Aut prodeſt ſanctas excoluiſſe Deas.
Quumque tot unanimes dederint mihi fata ſodales;
  Auxilium, nemo eſt, qui mihi rite ferat.
Inſtat ſævus Amor, reficitque in cote ſagittas;
  Nec patitur preſſo colla movere jugo.
Et licet aſſiduis tabeſcant pectora curis.
  Quærimus, unde queant tanta venire mala.
Atque utinam triſtes Lacheſis mihi finiat annos;
  Claudat & ætatis tempora dura meæ:
Aut aliquis, ſævi quæ ſit medicina furoris,
  Non vanus noſtra cantet in aure Deus.
Sed jam laurigeris ceſſant oracula Delphis:
  Mutaque Cumææ Virginis antra ſilent.

Nec

Nec Pan Mænalia reddit reſponſa ſub umbra:
  Nocte licet paſtor viſcera libet ovis.
Nec mihi Chaonias ſpes eſt audire columbas:
  Cornigerumque pudet fata referre Jovem.
Oblitaſque loqui jampridem Græcia quercus
  Mirata eſt poſito conticuiſſe Deo.
At tibi venturos, Maï, prædicere caſus
  Fas eſt, & mites conſuluiſſe Deos.
Nec tantum aut aræ fumos, aut nuncia ſentis
  Fulgura, ſed Stygiis ſomnia miſſa locis:
Somnia, quæ miſeram perturbant ſæpe quietem;
  Dum mens incertis pendet imaginibus.
O quoties per te vanum poſuiſſe timorem
  Me memini, & lætos continuaſſe dies.
O quoties, trepidus quum non ſpernenda putarent,
  In noſtrum cavi damna futura caput.
Sæpe, meæ tibi quum narraſſem viſa puellæ;
  Dixiſti, certos haud procul eſſe metus
Sæpe illam madidos luſtrare in flumine crines
  Juſſiſti, & miſto ſolvere farra ſale.
Quod ſi olim terris talem te fata dediſſent,
  Spreviſſet Thuſcos Martia Roma viros.
Nam te quis melius calidas deprendere fibras,
  Conſulere aërias aut potuiſſet aves?
Illa triumphatum regeret nunc legibus orbem;
  Nec foret in cineres obruta pæne ſuos.
Nec fera vidiſſet Cannenſis funera pugnæ;
  Aut aquilas Parthos tam male ferre duces.
Scipiadum patriis habitarent ſedibus Umbræ:
  Tanta nec Hiſpanum conderet oſſa ſolum.
Te duce, veridicæ patuiſſent ſcripta Sibyllæ;
  Non intellecto quæ nocuere Deo
Fortunate Deûm interpres, quem ſidera norunt,
  Cui Superûm mentes explicuiſſe licet.
Non te lethali tetigit Puer improbus arcu:
  Quamvis & dominos implicet ille Deos.
Nec tibi ſecuros rumpunt ſuſpiria ſomnos:
  Fallaces Veneris deſpicis inſidias.

At nos incertis cæci jactamur in undis;
Ducimus & nullo tempora conſilio.
Et quiſquam mihi nunc longos optaverit annos,
Quum videat vitæ tædia tanta meæ?
Non me Siſyphio ſuperent impulſa labore
Saxa; nec infernis dolia adacta vadis.
Et Tityi roſtro cedet mihi vultur obunco,
Pomaque Letheis riſa ſub rboribus.
Vos igitur, qui me victum jam fletis, amici,
Sic mea compoſitis cædite buſta notis:
Actius. Hic. Situs Eſt. Cineres. Gaudete. Sepulti.
Jam. Vaga. Poſt. Obitus. Umbra. Dolore. Vacat.

In Dominæ Natalem, ad Junonem.

Junoni fer ſacra, novas lege, Muſa, coronas:
Natalis Dominæ jam mihi feſtus adeſt,
Ipſa ſed in primis ſolennes indue cultus:
Et mihi purpurea tempora cinge roſa.
Utque aliquid gratas Divæ meditemur ad aras.
Affer inauratæ garrula plectra lyræ.
Tu quoque, vita, tuos auro ſubnecte capillos:
Plurimaque in niveo pectore gemma micet.
Hæc mihi te, mea lux, ſeros promiſit in annos,
Hæc mihi te certam juſſit habere dies.
Quanta mihi hac primum fulſerunt gaudia luce!
Quantus in hoc uno tempore venit honos?
O mihi Erythræis merito ſignanda lapillis:
O mihi delicias inter habenda meas.
Quiſquis ades, bona verba, & lætos edite cantus;
Libaque de Siculo dulcia melle date.
Alba mihi veſtis nullo violata veneno
Adſit: & in geminos defluat apta pedes.
Ante aram viridi texant umbracula quercu
Formoſis Dryades, ruſtica turba, comis.
Phœbus odorata circum tegat atria lauro:
At myrto duplices tu, Cytherea, fores,

Ipſa

Ipſa Ambum merces Niſeïa turba miniſtret:
Lenæuſque ferat Naxia vina Pater.
Omnia ſint lætis operata ex ordine ſacris:
Et cœlum niveis conſtrepat alitibus.
Magna parens Juno, centum comitata miniſtris,
Huc ades; & votis annue, Diva, meis.
Vos quoque, per vacuum quæ luditis aëra, Nymphæ,
Cingite felici nubila ſumma choro.
Scilicet eventus hæc ſint bona ſigna futuri:
Hæc eadem plenæ nuntia lætitiæ.
Ipſe ego veſtra ſequar jucundo gaudia plauſu;
Et peragam varios ore, manuque modos:
Quin etiam ſertis, & thure calentibus aris,
Excipiam ſancta Numina veſtra die.
At tu, Natalis, nullos non fauſte per annos,
Semper honorata luce ſerenus eas.
Quodque opto, innumeras (ſi quid prece poſſe putamur)
Cumææ vincas Vatis Olympiadas.

Ad Ruinas Cumarum, Urbis Vetuſtiſſimæ.

Hic, ubi Cumææ ſurgebant inclita famæ
Mœnia, Tyrrheni gloria prima maris;
Longinquis quo ſæpe hoſpes properabat ab oris,
Viſurus tripodas, Delie magne, tuos;
Et vagus antiquos intrabat navita portus,
Quærens Dædaleæ conſcia ſigna fugæ:
[Credere quis quondam potuit, dum fata manebant?]
Nunc ſilva agreſtes occulit alta feras.
Atque ubi fatidicæ latuere arcana Sibyllæ,
Nunc claudit ſaturas veſpere paſtor oves.
Quæque prius ſanctos cogebat curia patres,
Serpentum facta eſt, alituumque domus.
Plenaque tot paſſim generoſis atria ceris,
Ipſa ſua tandem ſubruta mole jacent.
Calcanturque olim ſacris onerata tropæis
Limina: diſtractos & tegit herba Deos.

Tot decora, artificumque manus, tot nota ſepulchra,
Totque pios cineres una ruina premit.
Et jam intra ſolaſque domos, disjectaque paſſim
Culmina ſetigeros advena figit apros.
Nec tamen hoc Graiis cecinit Deus ipſe carinis?
Prævia nec lato miſſa Columba mari.
Et querimur, cito ſi noſtræ data tempora vitæ
Diffugiunt? urbes mors violenta rapit.
Atque utinam mea me fallant oracula vatem:
Vanus & a longa poſteritate ferar.
Nec tu ſemper eris, quæ ſeptem amplecteris arces;
Nec tu, quæ mediis æmula ſurgis aquis.
Et te (quis putet hoc?) altrix mea, durus arator
Vertet; & Urbs, dicet, hæc quoque clara fuit.
Fata trahunt homines: fatis urgentibus, urbes,
Et quodcumque vides, auferet ipſa dies.

Mala Punica.

Quid miſer externas perquiris navita gentes:
Et tam longinquo gurgite quæris opes?
Nec te ventorumque minas, pelagique procellas,
Non piget ignotæ damna ſubire viæ?
Aſpice, quam tenui velemus cortice gemmas.
Jam tibi, quidquid habent litora rubra, damus;
Seu vis purpureos roſeo fulgore hyacinthos:
Inſenſam Baccho ſive amethyſton amas:
Ardentes ſeu quæ torres imitantur, & ignes;
Seu mage diluto lumine chryſolithos.
Sed rude divitias extollit vulgus inanes:
Nec meminit, quantis ſit caput inde malis.
Divitiæ fera bella viris, lethumque tulerunt.
Nam prius æterna pace vigebat humus.
Divitiis natoque pater, natuſque parente
Cæditur, & caro fratre verenda ſoror.
Nec tantum ſævæ tractant aconita novercæ:
Sed jugulat partus mater avara ſuos.

Ad.

Adde, quod & gemmæ ſolo fulgore probantur:
  Adſcituſque illis quæritur arte decor.
At nobis natura oculos tardare tuentes,
  Et dedit arenti pellere ab ore ſitim.
Nec noſtra populos armant in prœlia gemmæ;
  Nec ſuadent magnos clam violare Deos.
Sed ſemper placidis viſunt convivia menſis:
  Stant ubi jucundo pocula plena mero.
Illic nos teneræ vir porrigit ipſe puellæ,
  Porrigit & cupido fida puella viro.
Pacis opus ſumus, & pacati munus amoris;
  Quod capit a Satyro Naïs amata ſuo.
Nec temere, Infernis quum nos libaſſet in hortis,
  Noluit ad Matrem Nata redire ſuam.
Nos quoque, dum Libycos errat Pomona per agros,
  Obſtupuit pleno fracta rubere ſinu:
Ac rarum mirata decus, mirata liquorem,
  In ſua de patrio tranſtulit arva ſolo.
Ergo Puniceæ laus hæc, & gloria ſilvæ,
  Vincere gemmiferi lucida dona maris;
Pallentiqae graves depellere corpore morbos;
  Ægraque Pæoniis ora levare modis.
Quod nec Erythræi præſtabunt litora ponti,
  Non opibus pollens Indica terra ſuis.
Tu vero, duplici fulgent cui tempora lauro,
  Militiæ, & ſacri dux, Aquivive, chori:
Accipe nos, laudum contentus luce tuarum:
  Muneraque inviſæ deſpice luxuriæ:
Et ſeu carminibus, ſeu delaſſaberis armis;
  Diluat exundans hæc tibi gemma ſitim.

Ad

Ad Federicum, Ferdinandi Filii Aragoneum, Siciliæ Regem.

Ergo ego fallaci tantum ſervire puellæ
  Natus, & adverſo ſemper amore queri?
Nec me Pieria ſpectabit Phœbus in umbra
  Inter certantes carmina ferre choros?
Qua denſos Helicon ſaltus, colleſque virentes
  Pandit; & Aonidum perluit antra liquor;
Diſpoſitæque jugis intexunt ſerta Puellæ:
  Pendenteſque ſonant per cava ſaxa lyræ.
Jam libet intactis haurire e fontibus undam;
  Et luſtrare ſacrum, qua via nulla, nemus.
Ardua ſunt tentanda: novas en, carmina, vires
  Sumite: per durum Gloria anhelat iter.
Nunc opus eſt alia crinem compeſcere fronde:
  Nil mihi cum ſertis, Bacche joco ſe, tuis.
Ipſe audax virides Parnaſſi in vertice lauros
  Decerpam, aut ſilvis, Pinde canore, tuis.
Ipſe lyram nullo percuſſam pollicis ictu
  Suſpendam ex humeris, præmia rara, meis.
Non ego nunc molles meditor laſcivus amores:
  Nec jacio ad ſurdas carmina blanda fores.
Major ad heroos me ſublevat aura cothurnos;
  Major & in noſtro perſonat ore Deus.
Lætus ades, Federice: tuas ex ordine laudes
  Exequar: auſpiciis fama petenda tuis.
Nam quamquam antiquis Regum bene fulta triumphis
  Stat domus, & tantis ſe tibi jactat avis:
Majorum tua non titulis innixa recumbit
  Gloria, nec priſcis geſtit imaginibus:
Sed certat magnos virtus anteire parentes,
  Æternum & vera laude parare decus.
Nec tua facta olim titulo breve marmor habebit.
  Immenſum magni carminis illud opus.
Seu te quis teneris puerum miratus ab annis,
  Ætatis referat tempora prima tuæ:

Seu caſus rerum varios, duroſque labores,
Exhauſta & ſævo prœlia Marte canat.
Egreſſum vix dum cunis Æneïa nutrix
Senſit, & adventu mota repente tuo eſt:
Terque Deos venerata, caput ter ſuſtulit urna;
Et tandem Phrygio lingua voluta ſono eſt;
En iterum, Sol magne, meæ poſt diruta Trojæ
Pergama, poſt Latios ſpes mihi ſurgit avos.
Hac ætate vagi quondam per prata Scamandri,
Ænæan vidi ludere ſæpe meum.
Nec tu major eras, quum jam poſt fata Creuſæ
Reptares gremio, pulcher Iüle, meo;
Certareſque jocis curas mihi demere aniles,
Deducens blandas noſtra per ora manus.
His tamen auſpiciis Albanæ ad ſidera turres
Crevere, & rerum maxima Roma caput.
Hinc Decios, Fabioſque, hinc pectora dura Catones
Vidimus, & faſces, Brute ſevere, tuos.
Vidimus & ductos non uno ex hoſte triumphos,
Auctaque Juleis ſtemmata Cæſaribus.
Ingredere o, felixque ſubi pede noſtra ſecundo
Mœnia, propenſos & venerare Deos.
Ingredere: Antiphatæ pollens tibi regia ſervit,
Et Læſtrigonio limina tuta metu.
Sit Jove Creta potens; ſint clari ab Apolline Delphi;
Laudet Amyclæos Tænaris ora Duces.
Alciden, Bacchumque ferant ad ſidera Thebæ:
Terra rudimentis noſtra beata tuis.
Nam te dum rapidos arcet de finibus hoſtes:
Ardua magnanimus miſit in arma Pater.
Auſpice te, noſtræ nullis incurſibus arces,
Succumbent nullis litora noſtra minis.
Sed bene habet: ceſſere metus, ceſſere pericla:
Barbarus hoſtiles ad ſua vertit equos.
Jam juga, jam lati reſpirant undique campi:
Nec tuba veliferas concitat ulla rates.
Tu tamen ad patrios revocabere victor honores;
Maternoſque ſinus, Parthenopenque petes.

Mox

Mox Salentinos ibis metator in agros,
Qua ſecat Oebalia culta Galeſus aqua.
Sed quo, Livor edax, non irruis? ecce repente
Fata jubent longas te procul ire vias;
Romanumque Patrem, ſacraſque inviſere ſedes,
In primis magnos promeruiſſe Deos
Tum pontes, arcuſque ducum, delubra, viaſque,
Cumque ſuis cernes ſtructa theatra foris.
Interea Vaticanas numerare per ædes
Tot ſigna artificum, tot monumenta licet.
Mox Vejos, vetereſque Umbros, forteſque Sabinos
Tranſgreſſo, Hadriacum ſtat ſuperare latus,
Æmiliæque domos, Apenninumque nivalem,
Et Phaëtonteo proxima regna Pado.
Quis ſumptus, Leonora, tuos. quis publica dicat
Munera, Ateſtinis edita Principibus?
Jam veteres ſuperas, dives Ferraria, ludos;
Aurea dum celeri præmia ponis equo;
Effigieſque Deûm, ſpectandaque ſigna per aras
Exſtruis, & variis pegmata celſa locis.
Quis rurſum Venetæ miracula proferat Urbis?
Una inſtar magni quæ ſimul orbis habet.
Una Italûm Regina, altæ pulcherrima Romæ
Æmula, quæ terris, quæ dominaris aquis,
Tu tibi vel reges cives facis, o decus, o lux
Auſoniæ: per quam libera turba ſumus:
Per quam Barbaries nobis non imperat; & Sol
Exoriens noſtro clarius orbe micat,
Proxima ſunt, Gonzaga, tuæ ſpectacula terræ,
Donaque per magnos ante parata Duces.
Mantua queis, largoque exſultat Mincius ore,
Auſus ſpumiferum tollere ad aſtra caput.
Mincius æterni ſacram geniale Maronis;
Cui cedit flavo lucidus amne Meles.
Hinc populos, Ticine, tuos ſpectare licebit,
Dictaque lanigeræ Mœnia pelle ſuis,
Taurinoſque, altaſque Alpes, Pœninaque caſtra,
Et Rhodanum, & ripas, magne Lemane, tuas.

Inde per immenſum la.i ſpatiabere campi;
  Oſtendit ſacrum Mons ubi Jura nemus.
Et veteres felix cuſtodit Claudius arces,
  Claudius æternæ conciliator opis
Hic formidatas acies, ipſumque videbis
  Elatum longa proſperitate Ducem.
Finitimis dum bella parat, tibique arma, viroſque
  Commendans, magni jus dabit imperii,
Nimirum ingeniumque ſagax miratus, & artes,
  Quæque dabis mentis plurima ſigna tuæ.
Quapropter mediis generum te deligit armis,
  Pollicitus Natæ ſpemque, thorumque ſuæ.
Ac velut Oenomai currus, aſtumque ſecutus,
  Eludet pacti fœdera conjugii.
Sed male ut Oenomao currus ceſſere, doliqne;
  Perfidiæ pœnas ſic ferus iſte luet.
Ter victus, ter jam caſtris exutus ab hoſte,
  Poſtremo miſeram corruet ante diem.
Nam dejectus equo, foſſaque inventus in alta,
  Obſcœnam turpi ſanguine tinget humum.
Nec jam erit, extremos funus qui curet ad ignes;
  Non lapis, inciſis qui tegat oſſa notis
Tu celſus, tu ſublimis, tu victor honorem
  Accipies, tibi quem Gallia tota dabit.
Biſque tuis referet ſuperatos Lingonas armis,
  Ductaque bis pulſos ſigna per Helvetios:
Præterea quantum populorum Moſa coërcet;
  Quantum cærulea Rhenus inundat aqua.
Atque erit is noſtræ gentis vigor, omnia credi
  Ut poſſint juſto ſuccubuiſſe metu.
Hic ego te, laudeſque tuas, fortiſſime Juli,
  Non ſileam, & valida prœlia geſta manu,
Quem titulis Aquiviva domus præluſtribus ornat;
  Mortaleſque inter, ſemideoſque locat.
Et jam militiæ moles tibi creditur omnis;
  Omnia ſub leges allicis ipſe tuas.
At te patrato, juvenum pulcherrime, bello
  Tempus erat patriis dona tuliſſe Deis:

Men-

Mendaciſque ſimul faſtus, odiumque Tyranni
  Cum prope defenſo deſeruiſſe ſolo.
Eja age rumpe moras, inviſaque caſtra relinque;
  Fidaque magnanimi limina Regis adi.
Cui vel ad Oceani fines tot litora parent;
  Juraque dant ſceptri Celtica regna ſui.
Hic tibi felices tædas, certoſque hymenæos
  Expediet, tutas & ſimul addet opes.
Teſtis erit Liger, Arvernis qui fuſus ab antris
  Libera devexum per loca findit iter.
Interea Patrem, Campanaque tecta reviſe;
  Debitaque auſpiciis, hei mihi, regna tuis;
Debita, ſed fatis cito jam ceſſura malignis;
  Evertet tantas quum ferus hoſtis opes.
Dî maris Etruſci, per quos Tiberinus, & Arnus,
  Macraque cæruleis jungitur altus aquis;
Dum redit in patriam Juvenis, tot honoribus auctus,
  Candida felici ſolvite vela Noto.
Voſque, citæ puppes, juſſum properate per æquor:
  Fata dabunt iſtas ſæpe iterare vias:
Nec ſemel hos tractus, Ligurumque videbitis oras,
  Aut Vari infauſtum fluminis hoſpitium;
Vallatoſque ſinus ſcopulis, Toroëntia clauſtra,
  Et ſparſas mediis Stœchadas æquoribus.
Denique Phocaïcoſque ſinus; Marioque refoſſum
  Litus, & antiquæ mœnia Maſſiliæ:
Donec fatales Turonum accedere muros
  Permittant veſtro fata ſiniſtra Duci.
Ah Liger, ah nimium lacrimis urgende meorum,
  Qualia ſpectabis flumine buſta tuo!
Buſta, quibus magni ponant diademata reges;
  Grataque ſolenni flore parentet humus.
Atque aliquis Latio veniens novus hoſpes ab orbe
  Portet honoratas munus ad inferias:
Et dicat: Pederice, tuorum hic meta laborum
  Hæſit, habet noſtros hæc brevis urna Deos.

Quod pueritiam egerit in Picentinis; ad Caſſandram Marcheſiam.

Eſt Picentinos inter pulcherrima montes
 Vallis: habet patrios hic pia turba Deos.
Quam ſuper hinc cœlo ſurgens Cerretia rupes
 Pendet: at huic nomen Cerrea ſilva dedit:
Parte alia ſacræ reſpondent ſaxa Tebennæ;
 Quique rigens Merulæ nomine gaudet apex.
Et circum nigra latè nemus accubat umbra,
 Plurima qua riguis effluit unda jugis,
Semiferi, ſi vera canunt, domus horrida Fauni;
 Convectant avide quo ſua luſtra feræ.
Accipit hic tergo formoſum bucula taurum:
 Accipit immundum ſima capella marem.
Mille chori Dryadum, Satyrorum mille receſſus,
 Antraque ſilvicolæ grata latebra Deæ.
Vivula nomen aquæ, tenuique Subuncula rivo,
 Et quæ de gelida grandine dicta ſonat.
Huc mea me primis Genitrix dum geſtat ab annis,
 Deducens caro nupta novella Patri;
Adtulit indigenis ſecum ſua munera Divis,
 In primis docto florea ſerta gregi.
Grex erat Aonidum cœtu comitata ſororum
 Ipſa ſui princeps Calliopea chori.
Delius argutis carmen partitus alumnis,
 Flectebat faciles ad ſua plectra manus.
Atque hic me ſacro perluſtravere liquore;
 Cura quibus noſtræ prima ſalutis erat.
Tum lotum media puerum ſtatuere chorea,
 Et circumfuſis obſtrepuere ſonis.
Denique præcinctumque hederis, & virgine lauro,
 Ad Citharam dulces edocuere modos.
Tantus erat lætis avium concentus in agris,
 Ut poſſes ipſos dicere adeſſe Deos.
Venerat omne genus pecudum, genus omne ferarum,
 Atque illa feſtum luce habuere diem.

Tunc ego paſtorum numero, ſilveſtria primum
  Tentavi calamis ſibila diſparibus,
Deductumque levi carmen modulatus in umbra,
  Innumeros pavi lata per arva greges.
Androgeumque, Opicumque, & ruſtica ſacra ſecutus,
  Commovi lacrimis mox pia ſaxa meis,
Dum tumulum caræ, dum feſtinata Parentis
  Fata cano, gemitus dum, Meliſæe, tuos.
Ac tacitas per operta vias rimatus, & antra
  Inſpecto, & variis flumina nata locis.
Mox majora vocant me Numina: ſcilicet alti
  Inceſſere animum ſacra verenda Dei;
Sacra Dei Regiſque hominum, Dominique Deorum,
  Primævum ſanctæ relligionis opus;
Nuncius æthereis ut venerit aliger aſtris,
  Dona ferens caſtæ Virginis in gremium.
Quid referam caulaſque ovium, luſuſque canentum
  Paſtorum, & Reges, Arſacis ora, tuos?
Nec minus hæc inter piſcandi concitus egit
  Ardor in æquoreos mittere lina ſinus;
Fallaceſque cibos vacuis includere naſſis;
  Atque hamo undivagos ſollicitare greges;
Quandoquidem ſalſas deſcendi ego primus ad undas,
  Auſus inexpertis reddere verba ſonis.
Quid referam molleſque Elegos, miſerabile carmen,
  Et Superis laudes non ſine ture datas?
Quæque aliis ipſe numeris, dum ſeria tracto,
  Dum ſpargo varios per mea dicta ſales.
Multaque præterea, dilectæ grata puellæ,
  Adſciſco antiquis rurſus Etruſca modis.
Ut ſileam quos impenſos tot regibus annos;
  Tot data belligeræ tempora militiæ;
Et ſileam vexata malis mea corpora morbis,
  Vixque Machaonia reſtituenda manu.
Adde graves populique fugas, procerumque ruinas,
  Inflicta & miſeris urbibus exilia.
Ipſe per infeſtos tecum, Federice, labores
  Multa adii terra, multa pericla mari.

Tuſcorumque vadis, Ligurumque exercitus undis,
Poſtremo litus Maſſilienſe ſubî.
Jam Rhodanum, Volcaſque feros, Vocontiaque arva
Legimus, & fines, Belgica terra, tuos.
Biſque pruinoſas curſu ſuperavimus Alpes:
Bis metas magni vidimus Oceani.
Atque hic te tandem deflevimus, optime Regum;
Quantum Hecube Natos fleverat ipſa ſuos:
Quantum diſciſſis fratres Caſſandra capillis,
Andromachæque ſui dum legit oſſa Viri.
O fatum infelix, o ſors male fida, quid illic
Egimus? o triſti merſa carina loco.
Quum nullum interea frugis genus imbre, vel æſtu
Redderet ingenio Muſa vocata meo.
Et jam miramur, longo ſi preſſa labore
Amiſit vires parvula vena ſuas?
Ipſe Deûm ſimul, atque hominum celebrator Homerus
Deficeret, ne dum ſegnis, inerſque lyra.
Deficeret pater ipſe, & carminis auctor Apollo;
Pegaſidum ſacras qui tenet unus aquas.
Ergo, tanta meæ quum ſint diſpendia vitæ
Facta; potes noſtram quiſque dolere vicem:
Quod non ingenio, quod non profecimus arte;
Quod mea ſit longo mens prope victa ſitu:
Quod mala ſubrepens imos, ceu peſtis, in artus
Irruerit, fracto corpore, ſegnities;
Nec pote jam lapſæ ſtudium revocare juventæ;
Ingenii cum ſit tanta ruina mei.
Tu ſaltem, bona poſteritas, ignoſce dolori;
Qui facit, ut ſpreto ſit mea fama loco:
Muſarum ſpolierque bonis, & nomine claro
Vatis; & hæc ultro credar habere mala.
Proſit amicitiæ ſanctum per ſecula nomen
Servaſſe, & firmam regibus uſque fidem.
Voſque vel ignavo, vel tardo parcite, amici,
Cui natura ſuas dura negarit opes;
Dum tamen ambitione mala, atque libidine turpi,
Et caream inviſæ crimine avaritiæ.

Tu

Tu quoque vel feſſæ teſtis, Caſſandra, ſenectæ,
Quam manet arbitrium funeris omne mei;
Compoſitos tumulo cineres, atque oſſa piato.
Neu pigeat vati ſolvere juſta tuo,
Parce tamen ſciſſo ſeu me, mea vita, capillo;
Sive: ſed heu prohibet dicere plura dolor.

Deos Nemorum Invocat in Extruenda Domo.

Dî nemorum, ſalvete; ego vos de rupe propinqua,
De ſummis patriæ mœnibus adſpicio:
Adſpicio, veneror que: cavæ mihi plaudite valles;
Garrula vicinis perſtrepat aura jugis.
Vos quoque perque focos felicia dicite, cives,
Verba, per inte&tas flore decente vias.
Victima ſolennes eat inſpectanda per aras,
Turbaque Palladia fronde revincta comas.
Moſque ut ab antiquæ repetatur origine Romæ,
Exterior forda cum bove taurus aret.
Ac prius infoſſo tectum quam cingere ſulco
Incipimus, juſtos ture piate Deos.
Nulla per obductum decurrant nubila cœlum:
Candidaque auguſtum concinat omen avis.
Exſurgat paries, ventos qui pellat, & imbres;
Qui multa circum luce ſerenus eat.
Adſit diſpoſitis ſeries concinna columnis;
Quæque ornet medias crebra feneſtra fores.
Ipſe biceps primo cuſtos in limine Janus
Occurrat lætis obvius hoſpitibus.
Protinus a dextra ſacræ, mea turba, Sorores
Cingant virgineis atria prima choris.
A læva nitidis ſtratum Pythona ſagittis
Miretur poſita Cynthius ipſe lyra.
Ædibus in mediis parvi ſinus amphitheatri
Viſendas regum præbeat hiſtorias.
Ac primum triplici ſeſe defendat ab hoſte
Fernandus rapido jam metuendus equo.

Alfonſuſque pharetratas, dira agmina, gentes
  Cogat Hydruntinis cedere litoribus.
Tum juvenis Rex ipſe, & Regum inſignibus auctus
  Alpinos adigat linquere caſtra Duces.
Poſtremo Federicus, avito lætus honore,
  Dalmaticas grandi claſſe refringat opes.
Infeſtoſque Deos, metuendaque jura minatus,
  Indicat Nato bella gerenda ſuo.
Hic bene conveniens membris variantibus ordo
  Adſpiciat celebres e regione ſitus.
Exhedræ, xyſtique, tablinum, hypocauſta, diætæ,
  Et quæ privatis uſibus apta velim.
Atque aliæ Occaſus, aliæ vertantur in Ortus,
  Quæque habeant Boream, quæque inhibere Notum.
Jungantur longis quadrata, obliqua rotundis:
  Et capiat ſtructos plurima cella thoros.
O ſtudiis placitura meis, o mille per artes
  Otia Pieriis noſtra juvanda modis.
Hic ego tranquillo tranſmittam tempora curſu;
  Dum veniat fatis mitior hora meis.
Viximus ærumnas inter, lacrimoſaque Regum
  Funera: nunc patria jam licet urbe frui:
Ut quod tot curæ, tot detraxere labores,
  Reſtituat vati Parthenopea ſuo.

Ad Federicum Regem.

SCribendi ſtudium mihi tu, Federice, dediſti,
Ingenium ad laudes dum trahis omne tuas.
Ecce ſuburbanum rus, & nova prædia donas:
Feciſti vatem, nunc facis agricolam.

Ad Villam Mergillinam.

Rupis o ſacræ, pelagique custos,
Villa Nympharum domus, & propinquæ
Doridos, regum decus una quondam,
Deliciæque;
Nunc meis tantum requies Camœnis;
Urbis inviſas quoties querelas,
Et parum fidos popularis auræ
Linquimus æſtus:
Tu mihi ſolos nemorum receſſus
Das, & hærentes per opaca laurus
Saxa: tu fontes, Aganippidumque
Antra recludis.
Nam ſimul tete repeto; tuaſque
Sedulus mecum veneror Napæas:
Colle, Mergillina, tuo repente
Pegaſis unda
Effluit, de qua chorus ipſe Phœbi,
Et chori Phœbus pater, atque princeps,
Nititur plures mihi jam canenti
Ducere rivos.
Ergo tu nobis Helicon, & udæ
Phocidos ſaltus, hederiſque opacum
Theſpiæ rupis nemus, & canoro
Vertice Pindus.
I, puer, blandi comitem laboris
Affer e prima citharam columna;
Affer & flores: procul omnis a me
Cura recedat.

Prin-

Principis noſtri decus, atque laudes
  Fama, per latas ſpatiata terras,
  Evehat, qua Sol oriens, cadenſque
    Frena retorquet:
Quaque non notos populos, & urbes
  Damnat æternis Helice pruinis;
  Quaque ferventes cumulos arenæ
    Diſſipat Auſter.
Ille creſcentes veneratus annos
  Vatis, antiquum referentis ortum
  Stirpis, & clarum genus, & potentum
    Nomen avorum;
Contulit large numeroſa dextra
  Dona: & ignavæ ſtimulos juventæ
  Addidit, ſilvas, & amica Muſis
    Otia præbens.

Calendæ Maii.

Majus adeſt; da ſerta, puer: ſic ſancta vetuſtas
  Inſtituit; priſci ſic docuere patres.
Junge hederam violis; myrtum ſubtexe liguſtris;
  Alba verecundis lilia pinge roſis.
Fundat inexhauſtos mihi decolor Indus odores:
  Et fluat Aſſyrio ſparſa liquore coma.
Grandia fumoſo ſpument cryſtalla Lyæo:
  Et bibat, in calices lapſa corona meos.
Poſt obitum non ulla mihi carcheſia ponet
  Aeacus, Infernis non viret uva jugis.
Heu vanum mortale genus, quid gaudia differs?
  Falle diem: mediis mors venit atra jocis.

In Tumulum Ladislai Regis.

Miraris niveis pendentia ſaxa columnis,
  Hoſpes, & hunc, acri qui ſedet altus equo?
Quid ſi animos, roburque Ducis, præclaraque noſſes
  Pectora, & invictas dura per arma manus?

Hic Capitolinis dejecit ſedibus hoſtem:
Biſque triumphata victor ab urbe redit:
Italiamque omnem bello concuſſit, & armis:
Intulit Etruſco ſigna tremenda mari.
Neve foret Latio tantum diademate felix;
Ante ſuos vidit Gallica ſceptra pedes.
Quumque rebellantem preſſiſſet pontibus Arnum;
Mors vetuit ſextam claudere Olympiadem.
I nunc, regna para, faſtuſque attolle ſuperbos:
Mors etiam magnos obruit atra Deos.

Ad Federicum Regem.

Clauſa quod effoſſis erumpunt oſſa ſepulchris,
Et reſerant veteres putria ſaxa rogos:
Nimirum tanto cupiunt ſub Principe Manes
Vivere; & ad nutus Umbra vocata venit.
Utque decet, longo manſuras tempore ſedes
Spondent, & regnis otia læta tuis.
Quæque diu ambiguis tecum Fortuna vagata eſt
Paſſibus; hic certa ſtat bene nixa rota.
Sume animos, Federice: tuis hic meta periclis
Hæret: habent Manes, & pia buſta fidem.

De Natali Altilii Vatis.

Muſarum lux alma, meus cui thura quotannis,
Cui rite Altilius fundit in igne merum:
Accipe ſervatos hiberno frigore flores:
Quæque madent Siculis annua liba favis.
Quandoquidem magnum Latio, rarumque dediſti
Pignus, & Aoniis non leve nomen aquis.
At tu, ſic triſtes numquam experiare tenebras,
Sic Phœbi nitido ſemper honore mices:
Fauſta, precor, longos tamen exſpectata per annos,
Altilioque tuo concolor uſque redi.

Ad Federicum Regem.

Hibernas tibi pampineis cum vitibus uvas
Mittimus, o regni gloria, honosque tui.
Pulla vacant: niger omnis ager; ſpumantia tandem
Musta ſilent: menſis eſt tamen uva tuis.
Jam pater Autumnus [illegible] lilia mittet;
Talia ſi medio frigore Bruma dedit.

De Expeditione Alfonſi Regis.

Venturos olim Romana ad mœnia Turcas,
Dixerunt vates: credite, vera canunt.
Scilicet Alfonſum Turcas in bella trahentem
Expectas [illegible] Roma tuis.
Pone metum, [illegible]: ſed te [illegible] manebunt
Imperia: Alfonſo Principe major eris.

In Funere Lauræ Puellæ.

[illegible] etiam Superi tibi, Laura, dediſſent:
[illegible] fecit.
[illegible] Pater [illegible] fugiens
[illegible] Erycina faces.
[illegible] fata, Deæque:
[illegible]
[illegible] per [illegible]:
[illegible]

De [illegible], Clarini [illegible].

[illegible]
[illegible]
[illegible] Ceres [illegible]
[illegible] Minerva [illegible].
[illegible] Veneris [illegible] Minerva;
[illegible]:

Quam

Quum ſubito aurato ſurgit Puer improbus arcu:
Et cœlum notis territat omne minis.
Aſſenſère metu Superi Pater ipſe Deorum
Riſit, & Aonias juſſit abire Deas.
Exultat palma Venus; & naſcente puella
Augentur Charites, Cypria turba, Deæ.

Ad Federicum Regem.

Edicto nuper quum tu, Rex magne, caveres,
Audaci ne quis ſtringeret arma manu:
Depoſuiſſe tuum vel primus diceris enſem,
Et monſtraſſe palam primus inerme latus.
Quid majus populiſve tuis, Federice, vel urbi
Accidere huic noſtræ per tua dona poteſt?
Poſt domitos hoſtes, inter tot commoda pacis,
Contigit exemplis vivere poſſe tuis.
Publica nimirum res tunc ſibi conſtat, & æquum
Imperium quum Rex, quod jubet, ipſe facit.

De Emendatione Catulli, ad Jovianum.

Doctus ab Elyſia redeat ſi valle Catullus:
Ingratoſque trahat Lesbia ſola choros:
Non tam mendoſi mœrebit damna libelli;
Geſtiet officio quam, Joviane, tuo.
Ille tibi amplexus atque oſcula grata referret:
Mallet & hos numeros, quam meminiſſe ſuos.

De Cæſare Borgia.

Qui modo proſtratos jactaret cornibus Urſos.
In latebras Taurus concitus ecce fugit.
Nec latebras putat eſſe ſatis ſibi: Tibride toto
Cingitur, & notis vix bene fidit aquis.
Terruerat montes mugitibus; obvia nunc eſt,
Et facilis cuivis præda ſine arte capi.

Sed

Sed tamen id magnum; nuper potuiſſe vel Urſos
Sternere, nunc omnes poſſe timere feras.
Ne tibi, Roma, novæ deſint ſpectacula pompæ;
Amphitheatrales reddit arena jocos.

Ad eumdem, dum ab Urſinis premeretur.

O Taure, præſens qui fugis periculum:
(Nam te nec odio, tædiove tam bonas
Spreviſſe ſilvas, tam bonos putem lacus)
Dic, quis propinqua nubibus tibi juga
Moleſtus invidet? juga illa jam tuis
Sudata cornibus, tuiſque prœliis
Devicta? quis ſaltus, & amnium uberes
Curſus, thoroſque marginum virentium?
Quis uda rivis prata? quis recondita
Nemora? quis umbras ſibilantium arborum
Male advocatus abſtulit tibi Deus?
Non amplius videbis, ah miſer, miſer,
Amata regna: non videbis amplius
Tuos amores: non licebit, heu, tibi
Poſthac cubanti ſub geniſtulis tuis,
Mollive fulto niveum amaraco latus,
Audire voces ruminantium gregum:
Meridianum non inire ſomnulum.
Quæ nunc adibis teſqua? quæ petes loca,
Miſelle Taure? quas ſubibis ilices?
Ubi myricæ? ubi virentis arbuti
Jucunda ſedes? ubi ſalicta, & omnibus
Eheu juvenca præferenda paſcuis?
Juvenca, ſolos quæ relicta ad aggeres
Padi ſonantis, heu malum ſororibus
Omen, dolentes inter orba populos
Te te requirit, te reflagitans ſuum,
Implet querelis nemus; & uſque mugiens
Modo huc, modo huc, illuc furit, amore perdita:
Omnia peragrat arva; luſtrat omnia;

Num

Num qua biſulcæ ſigna cernat ungulæ:
Quærit per alta montium cacumina;
Quærit per ima vallium cubilia,
Memor locorum, non tamen ſui memor:
Te mane primo, te rubente veſpero
Luget: nec illam Luna quum recurreret
Cœlo, nec atræ noctis alma ſidera
Videre dormientem; abire flumina,
Abire Solem, abire cernit omnia;
At ipſa mœſtam ſola non abit domum,
Humi recumbens, ſtrata ſub nudo æthere.
Hanc & Puellæ nemorum, & ipſe corniger
Silvanus adſpicit: hanc bubulcus intuens,
Miſer bubulcus, nec juvare eam valens,
Tantum, quod unicum in malis refugium habet,
Suſpirat, ingemit, Deûm invocat fidem,
Iratus Urſis, quod coëgerint procul
Abire ſilvis albulum juvenculum,
Et tam venuſtam clamitare buculam.

In Gemmam ſuam.

Hæc, mihi quæ roſeos juſſit ſordere hyacinthos,
  Et nitet articulis unica gemma meis;
Cujus in exiguo Ductor ſtat Troïcus orbe,
  Anchiſeſque ſenex, Aſcaniuſque puer:
Quis credat? veteres inter neglecta ruinas,
  Et vili latuit ſemiſepulta ſolo.
Tu tamen obrueras: nec te, Sinveſſa, pudebat
  Hoc decus heu terris occuluiſſe tuis.
Scilicet Ænean Natumque, Patremque gerentem,
  Ignibus ereptos obrueteſque Deos?
Parcere debueras, cui jam pia flamma pepercit;
  Nec te tam turpi dedecorare nota.
Et dubitem Belgaſque feros, rigidoſque Britannos
  Hac comite, ignotos & penetrare ſinus?
Hæc eſt Iliacos pietas ſpectata per ignes;
  Quum verita eſt profugos lædere flamma Deos,

De Venere, & Marte.

Dum Venus armatum complectitur obvia Martem;
Dixtrinxit teneram fibula adunca manum.
Senſit, & ante Jovem ridens ait æmula Pallas:
Bella iterum geſſit cum Diomede ſoror.

De Endymione, & Luna.

Spreverat hirſutas paſcentem Pana capellas
Candida nocturnis quæ Dea fertur equis.
At poſtquam niveæ conſpexit munera lanæ;
Poſthabuit notas Endymionis oves.
Qui ſimul ac triſtes ſomno inclinaret ocellos;
Mors hæc, mors, inquit, non mihi ſomnus erit.

De Ferdinando Juniore.

Corniger æſculea Faunus recubabat in umbra:
Quum prope latrantes ſenſit adeſſe canes.
Mox Juvenem Superis ſimilem, divinaque tela
Conſpiciens, trepido ſic movet ora ſono:
Seu Mars, ſive alto Phœbus deſcendis Olympo;
Jam jam linquo omnes te veniente feras.

De Poggio Florentino, Hiſtorico.

Dum patriam laudat, damnat dum Poggius hoſtem:
Nec malus eſt civis, nec bonus hiſtoricus.

De Diana, & Ferdin. II.

Errabat Diana ſuis immiſta puellis;
Quum procul ecce mei conſpicit ora Ducis;
Atque ait: huc, Nymphæ, concedite; namq; propinquat,
Qui regat in ſævas certius arma feras.

De Mane, & Veſpere.

Sol jubet exoriens, Faunos, Dryadaſque puellas
Quærere, & herboſo ducere monte choros.
Declivis, vitreas ſuadet deſcendere ad undas,
Doridaque, & luſus o Galatea, tuos.
Cauſſa patet: quia, ſublimes quum tendit in arces,
Nos quoque per ſaltus, & juga ſumma rapit.
Quum vero Heſperios petit imæ Tetyos amnes
Exemplo ad fontes nos vocat ipſe ſuo.
Hinc adeo natura hominum loca mane requirit
Ardua; cæruleis veſpere gaudet aquis.

De Vulturno, & Puero.

Miramur tacitis Vulturnum currere lymphis,
Et tardos dura compede ferre pedes.
At magis occulto mirabimur urier igni,
Et puerum tota nocte vocare ſuum.
Tune etiam, formoſe puer, vaga flumina torques?
An fuerit reges perdomuiſſe parum?
Quinetiam combure Deos, Dominoque Deorum
Arma move, & pulſo da Ganymede merum.

In Quintium.

Clara tibi videor ſcripſiſſe Epigrammata, Quinti.
Sunt, fateor: medio ſcripſimus illa die.
Tu latebras obſcurus amas; quia lumine nullo.
Atque intempeſta ſcribere nocte ſoles.

De Mercurio, & Amore.

Dum comes aligero Cyllenius iret Amori,
Aliger incauto ſubripuit faculas.
Deprenſo tum fure, manum referebat ad arcum;
Sed non inventa riſit Amor pharetra.

In Tumulum Hannibalis.

Hannibal huc victas ſecum Charthaginis arces
Tranſtulit; hæc ambos terra Libyſſa tegit.

De Venere, & Junone.

Confidit nimium jaculo dum pulcher Adonis;
Inguina ſetoſus candida rupit aper
Accurrit miſeranda Venus: tum Nupta Tonantis;
Quid gemit hæc? nullo Mars meus ictus apro eſt:

In Fabianum.

Eſſe tibi ſapiens, & vir, Fabiane, videris:
At mihi nec ſapiens, nec Fabiane, vir es.

De Pretore Preſide Deſide.

Ait nefaſtas eſſe nundinas prætor;
Fari recuſat: quid nefaſtius dicas?

Atramentum Scriptorium.

Ferrum putre ſitu ſpumanti fervet aceto,
Mandet ut æternis ſcripta voluminibus.
Scilicet hoc illud, vatum volitare per ora,
Hoc eſt. Pyramidas vincere, Nile, tuas.
Infelix fatum: ſanies rubiginis ergo
Eripit inviſo nomina noſtra rogo?

Ad

Ad Federicum Regem.

Ne tibi non aliquid Jani miſiſſe Calendis
Arguar, aut lætam non celebraſſe diem:
Mittimus hibernis ſervatas menſibus uvas;
Inſuper & fauſtas addimus ore preces;
Ut tibi qui nitido cum Sole renaſcitur annus,
Felici redeat candidus uſque pede.

In Mancinum.

Qui ferro fratres, ſtupro, Mancine, ſorores
Fas violare putat; quid putat eſſe nefas?

Tumulus Maximillæ.

Hic hic ſiſte, precor, gradum, viator.
Hoc ſub marmore Maximilla clauſa eſt:
Quacum frigiduli jacent Amores,
Et Luſus, Venereſque, Gratiæque.
Hanc illi miſeræ ſevera Clotho
Pro dulci thalamo domum paravit.
Has matri dedit, has patri querelas
Pro plauſu, choreiſque nuptiarum.
Quid firmum tibi, quid putes, viator,
Manſurum inviolabile, aut perenne?
Si quæ deliciæ juvenculorum,
Et decus fuerat puellularum,
Nunc eheu jacet ecce Maximilla,
Luctus perpetuus juvenculorum,
Æternæ & lacrimæ puellularum.

De Mirabili urbe Venetiis.

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis
Stare Urbem, & toto ponere jura mari:
Nunc mihi Tarpejas quantumvis, Juppiter, arces,
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.

Si pelago Tibrim præfers; Urbem adſpice utramque:
  Illam homines dices, hanc poſuiſſe Deos.

De Alfonſo Duce Calabriæ.

Alfonſus magnum dum trajicit Apenninum:
  Caſtraque non ſolita primus in Alpe locat:
Armorum ſonitus, galeaſque, æratáque tela
  Silvarum dominæ pertimuere Deæ.
Nec minus occultas Satyri petiere latebras,
  Aſſueti imbelles ante videre feras:
Spectaruntque procul celſa de rupe ſilentes;
  Agmina dum, & magnos cogeret ille duces.
Atque aliquis ſigna adſpiciens, miratur, & inquit.
  Imperium vobis urbis, & orbis erit.

Ad Caſſandram.

Quarta Charis, decima es mihi Pieris, altera Cypris,
  Caſſandra una choris addita Diva tribus.

Ad Venerem.

Quid mihi te facilem blandis promittis ocellis,
  Si miſerum ſic poſt uris, acerba Venus?
Non decet hoc Superos: aut te mihi fronte ſerena
  Concilia, aut torvo lumine bella move.

De Galla.

Omnes, quos ſcripſi, verſus vult Galla videre:
  Mittam ego, pro libris ſi mihi labra dabit.

De Vetuſtino.

Emit ſepulchro prædium Vetuſtinus,
Sed quod futuros non ſequatur hæredes;
Iratus æque mortuiſque, viviſque.
Scribique curat grandibus notis, demens,
Viginti. In. Agro. In. Fronte. Ter. Pedes. Octo

Ha-

Habitat ſub urbe ſcandulis tribus tectus:
Ne penſione degravetur, aut ſumptu.
Dormit grabato, quo nec ipſe jam vellet
Dormire cimex, nec lacerta, nec ſorex.
Cœnat per hortos alliumque, cæpaſque,
Et ſalgamorum jure lurido caules:
Vel, ſiquid optat unctius ſibi poni,
Piſcatur ipſe in paludibus ranas:
Aut e cloaca colligit meras ſordes,
Putremque palumbum, mortuumve caponem,
Et doliorum turbidam bibit fæcem,
Tamquam Falernum conſulare, vel Chium,
Opimianæ quod refuderint cellæ.
Nec jam profeſtis hoc, ſed Idibus tantum
Sacriſque potat ferculis Calendarum.
Et mane veſte currit anxius rapta
Ad architectos, marmorumque ſectores,
Ut de ſepulchro conferat novas lites.
Quos jam miſellos peſſimis modis multat;
Ducit, reducit, diſtrahit, rapit, vexat,
Per angiportus, viculoſque, clivoſque,
Et per ruinas Urbis, & per anfractus:
Monſtrat theatra, porticuſque priſcorum,
Arcuſque claris Principum ſacros armis;
Hinc & Deorum templa, & obrutas thermas,
Et quidquid altis [illegible] ſubeſt clivis:
Nec jam Faviſſas linquit, & nigros manes.
Demum recentis quum laboribus fractos,
Et æſtuantes pariter, & fame ſiccos
Vix officinis poſt meridiem reddit
Jam feriatæ, veſtibuſque adhuc clauſæ;
Culpat coronas, zophorumque permutat:
Spiras reformat, & ſcapos columnarum:
Et nunc Etruſcas, nunc Corinthias mavult:
Nunc Doricarum laudat ordinem tantum:
Guttas, triglyphos, tænias, thoros, plinthos.
Quid cum columnis nunc tibi Vetuſtine,
Aut cum volutis, Joniciſve pulvinis?

Dormi, miſelle; ſat diu laboraſti:
Conare feſſos & aliquando permitte.
Aut, ſi ſepulchri cura te coquit tanta.
Cadaver iſtud vel Gemoniis conde.

In Tumulum Neæræ.

Quæ voces? Charitum quæ circum pompa? Neæræ.
Unde odor hic? cineri thura miniſtrat Amor.
Unde pyra? ex pharetra, quinam ſtruxere? Lepores.
Aſt hæc illacrimans quæ legit oſſa? Venus.
Fortunate lapis, tumuloque beatior omni,
Tu tegis in terris ſiquid honoris erat.

De Hybla.

Hybla, mei quondam dulciſſima cura Marulli:
Hybla, ſuburbano nuper humata ſolo:
Accipe quæ multo promuntur verba dolore:
Accipe de lacrimis humida ſerta meis.
Te roſa, te violæ, te mollis amaracus ornet:
Te pia ſuſpenſo pondere velet humus.
Et tibi, quod raræ poſſunt ſperare puellæ;
Contingant vatis carmina docta tui.

De Aufidio.

Dum caput Aufidio tractat chirurgus, & ipſum
Altius exquirit, quo videat cerebrum.
Ingemit Aufidius; quid me, chirurge, fatigas?
Quum ſubii rixam, non habui cerebrum.

Ad Alfonſum.

Qui prius Herculeæ ſenſit Leo vulnera clavæ,
Hic, Alfonſe, tuos corruet ante pedes.
Quæque viret noſtras quercus paſſura ſecures,
Deferet immundos fulmine tacta ſues.

Vi-

Victa dabit Bellona manus: Pax arva reviſet:
  Claudentur diræ Marte ſedente fores.
Tunc pia Parthenope lætos tibi ducet honores,
  Per fora, per vicos otia vulgus aget.
Sebethoſque pater fluvis metuendus Etruſcis,
  Aurea cæruleum tollet ad aſtra caput.

In Lydam.

Quum dixi medio tibi macram algere ſub æſtu,
  Non dixi fluvium, Lyda: quid ergo? cutem.

In Ollum.

Omnia facturum te dicis, nil facis, Olle.
  Nil mirum: levius dicere, quam facere eſt.

Ad Rufum.

Tamquam priſca mihi, ſaxoque inventa vetuſto,
  Diſticha, Rufe, ſoles ſæpe referre tua.
Stultum adeo me Rufe, putas? ego tam mala credam
  Carmina Romano marmore poſſe legi?
Archemoro longos affingis Neſtoris annos.
  Andromaches puerum Laomedonta vocas.
Deſine mentiri Pyliam, Phrygiamque ſenectam.
  Sint vetera hæc aliis, mi nova ſemper erunt.

De Cypariſſo Puero.

Flebat adhuc mœrens cervo Cypariſſus adempto,
  Quum ſua conſpexit cortice membra tegi.
Delius exclamat: Quid noſtro, ſilva, dolore
  Creſcis? Tu Daphnen, tu Cypariſſon habes.

De Harmoſyne.

Harmoſynen quiſquis ſeu vir, ſeu femina vidit,
  Deperit: anne oculos Actius unus habet?

De Jucundo Architecto.

Jucundus geminos fecit tibi, Sequana, pontes:
Jure tuum potes hunc dicere Pontificem.

De Ænea & Didone.

Immemor ah miſeræ cur enſem linquis Elyſſæ,
Nate Dea? profugas non gravat ille rates.
Anne parum fuerat cauſſam dare mortis acerbæ,
Ni ferrum fugiens tu quoque triſte dares?
Tolle, precor, tumidas tecum hoc, jam tolle per undas.
Diſceſſu, ſatis eſt, ſi perit illa tuo.

In Cæcilianum.

Si tibi per genium fas eſt jurare Minervæ,
Per Veneris flavas, Cæciliane, comas;
Nec jubar excipitur Solis, nec cornua Phœbes,
Nec Capitolini crura, caputque Patris:
Cur mihi tu ventrem, cur inteſtina Deorum,
Hiſpana tactus relligione, ſonas?
Non pudet heu cœlum rebus fœdare pudendis?
An credis magnos hæc quoque habere Deos?

Ad Marinum Caracciolum.

O dulce, ac lepidum, Marine, factum,
Dignum perpetuo joco, atque riſu,
Dignum verſiculis, facetiiſque,
Necnon & ſalibus, Marine, noſtris.
Ille maximus Urbis Imperator
Cæſar Borgia, Borgia ille Cæſar,
Cæſar patris ocellus, & ſororis,
Fratrum blanditiæ, quies, voluptas,
Montis pupulus ille Vaticani,
Ille inquam dominæ Urbis inquinator.

Ca-

Cæſar Borgia, Borgia ille Cæſar,
Mœchus ille ſororis, atque adulter,
Fratrum pernicies, lues, ſepulchrum,
Montis bellua tetra Vaticani;
Quingentas modo qui voravit urbes
Imbutus ſcelere, & malis rapinis,
Urbes ſub ducibus ſuis quietas,
Quaſcumque aut Latium ferax virorum,
Aut Campania pinguis, aut per alta
Diviſi juga continent Sabini:
Hiſque ingeſſit Ariminum, Piſaurum,
Urbinum, Populoniamque magnam,
Camertes pariter, Forumque Livi,
Corneliique Forum, Faventiamque,
Et quantum Æmiliæ eſt, Etruriæque,
Quantum circuitu hinc & inde longo
Neptuni lavat æſtuantis unda.
At nunc quis neget eſſe opus Deorum?
Dum vecors animi impotente morbo,
Quærit plura, nec eſt potis miſellus
Explere ingluviem periculoſam;
Ecce ecce evomit; o Jovem facetum,
O pulchram Nemeſim, o venuſta fata.
Verum ſcilicet id, Marine, verum eſt,
Quod dici ſolet, en fides probat nunc;
Fortunam ſi avide vorare pergas,
Eamdem male concoquas, neceſſe eſt.
Ut jure evomere hunc putemus ipſum,
Qui tantum miſer hauſit oppidorum;
Aſt id omne, quod auſit, oppidorum,
Quod quinque aſſiduis voravit annis,
Imbutus ſcelere, & malis rapinis,
Scis quot evomuit diebus? uno.
O lucem niveam, o Jovem facetum,
O pulchram Nemeſim, o venuſta fata,
O dulce, ac lepidum, Marine, factum.

De

De Caſare Borgia.

Aut nihil, aut Cæſar vult dici Borgia: quid ni?
Quum ſimul & Cæſar poſſit, & eſſe nihil.

Ad eumdem.

Omnia vincebas: ſperabas omnia, Cæſar.
Omnia deficiunt: incipis eſſe nihil.

Dies Genialis.

Aureli, perfunde meis unguenta capillis,
Tu ſuper & vernas ſparge, Nearche, roſas.
Sed prius æſtivum ramis defendite ſolem;
Et viridi mollem ſternite fronde thorum.
Non plumæ, non picta juvant me ſtragula, nec quæ
Pavonis vario ſponda colore nitet.
Larga coronata diſponite pocula menſa;
Setino & gelidas adſociate nives:
Certatimque leves potanti inducite ſomnos.
Sic juvat ætatis ducere fila meæ.
An ſcimus miſeri, quid lux ventura minetur?
Vivamus: mortem fallere nemo poteſt.

Ad Amicam.

Da mihi tu, mea lux, tot baſia rapta petenti,
Quot dederat vati Lesbia blanda ſuo.
Sed quid pauca peto, petiit ſi pauca Catullus
Baſia? pauca quidem, ſi numerentur, erunt.
Da mihi, quot cœlum ſtellas, quot litus arenas,
Silvaque quot frondes, gramina campus habet;
Aëre quot volucres, quot ſunt & in æquore piſces:
Quot nova Cecropiæ mella tuentur apes.
Hæc mihi ſi dederis, ſpernam menſaſque Deorum,
Et Ganymedea pocula ſumpta manu.

Ad

Ad Vesbiam.

Adſpice, quam variis diſtringar, Vesbia, curis.
  Uror, & heu noſtro manat ab igne liquor.
Sum Nilus, ſumque Ætna ſimul: reſtinguite flammam
  O lacrimæ, lacrimas ebibe, flamma, meas.

Ad Æglen.

Si tibi ſum Phœbus; ſi ſum tibi Juppiter, Ægle;
  Cur tu non Daphne ſis mihi, non Danaë?

Ad Animum ſuum.

Arſiſti; & miſeras conſumſit flamma medullas;
  Aridaque in cineres oſſa abïere leves:
Fleviſti; roremque oculi fudere perennem;
  Sebethus lacrimis crevit & ipſe tuis;
Ardendi, flendique igitur quæ tanta cupido eſt?
  O anime, exſequias diſce timere tuas;
Neve iterum tua damna, iterum tua funera quæras:
  Sirenum ſcopulos præteriiſſe juvet.

In Nolam Urbem.

Infenſum Muſis nomen, male grata petenti
  Virgilio optatam Nola negavit aquam.
Noluit hæc eadem Joviano ruſtica vati
  Hoſpitium parvæ contribuiſſe moræ:
Idcirco nimirum hoc dicta es nomine, Nola,
  Nolueris magnis quod placuiſſe viris.
At tibi pro ſcelere hoc cœnoſos fuſa per agros
  Exhauſit populos Styx violenta tuos.
Jamque quid, o nullis abolenda infamia ſæclis,
  Imprecer? & cœlum deſit, & unda tibi.

De

De Caſſandra Marcheſia.

Deſine formoſæ dotes numerare puellæ;
  Deſine jam extinctas ſollicitare faces.
Nam dum ſæpe comas, frontemq;, humeroſq;, manuſq;
  Commemoras; proprios exſtruis ipſe rogos.
Dumque oculis Caſſandra, animo Caſſandra recurſat;
  Caſſandra heu mentis jus habet omne tuæ;
Blandus Amor tacitis ſubrepſit in oſſa venenis.
  Sic ſibi vel fatum quilibet eſſe poteſt.

De Morinna.

Sit ſpectanda comis, ſit pulchro corpore tota,
  Sit Venus, & blandas ſpiret ab ore roſas:
Aoniaſque Deas, ipſam quoque Pallada vincat
  Ingenio, & dulci pectore mella fluant:
Dum tamen ire mihi noctes Morinna quietas,
  Et ſinat arbitrii libera jura mei.
Arſimus: & primos miſeri deflevimus ignes:
  Hoc ſatis: extremo turpe in amore mori.

De Puliciano.

Vanas Gigantum iras, & impetus graves
Miratur aliquis audiens mortalium;
Auſumque cœlo vincula inferre irrita
Sævum Typhoëa, quum jugoſum Pelion
Adderet Olympo, matre nec Terra ſatum
Agnoſceret ſeſe; impium donec Pater
Iratus ardenti igne ſubſtulit caput;
Ut par erat: nam quis petat ſanus Deos?
At nunc quis hoc, quis hoc ferat mortalium?
Iners, puſillus, unus heu pulex ciet
Turmas, cohortes, copias, manipulos
Muſcarum; & altos ſcandere adparat thoros
Heroum: opacis qui ſub umbris arborum
Strati, ac perenni flore ſubfulti caput,

Du-

Ducunt quietem perpetem, æternam, optimam;
Nec noſtra curant dicta; vel facta amplius,
Ut qui beatos incolant tuti locos;
Et nomen alta in arce ſacrarint ſuum,
Functi periclis, & malis laboribus;
Cunctaſque Fortunæ improbæ calcent minas,
Nedum puſilli Pulicis morſus leves.
At tu, moleſte, amare, veſane, impie
Pulex, inepti concitator agminis,
Quo proripis te? quo vocas muſcarias
Iſtas phalanges? quo volaciles globos
Impellis audax? i procul, miſer, miſer,
I, criminoſe, maximam in malam crucem.
Haud fas quietas Manium ſedes Deûm
Muſcas ſubire, pulicumque copias.
Nil hic negotî vel tibi, vel peſſimis
Tuis maniplis: quid moraris, impie?
Abi profundam in noctem, & ultimum Chaos.
Speranda certe gloria hic nulla eſt tibi.
Quos Dî probavere ſemel, hos ſemper probant.

Actaeon marmoreus.

Viderat Idæo nudas in vertice Divas
  Phryx Paris, & dixit: Vincis utramque, Venus.
At ſi, Gargaphiis quam nos male vidimus undis,
  Vidiſſet, poterat dicere: Cede, Venus.

Orpheo Reſpicienti.

Hoc fuit, infelix, & adhuc heu reſpicis, Orpheu,
  Quod te, quod miſeram perdidit Eurydicen.

Echo loquitur.

Vidi, arſi, flevi, triſtemque (heu fata) repulſam
  Spreta tuli: ſum nunc vox, ſonus, aura, nihil.

Ea-

Eadem Jocatur.

Quum facie caream, quæris, cur dicar imago.:
Quum tua verba ſequar; dic, ubi lingua mea eſt?

In malum Librum.

Si ſapis, hoſpes, abi; miſerum neu tange libellum,
Non hic Mæoniden, Virgiliumve leges,
Sed fœdas Bavii chartas, & olentia Mævi
Carmina, Romani dedecus eloquii.
Quid dubitas ſacros incendia paſcere lucos:
Abnuerit liquidas ſi dare Phœbus aquas?

Laudat Federicum Regem.

Quum vehor picta vacuus phaſelo;
Et modo ſeptos jaculis echinos,
Nunc bene hærentes ſcopulis laboro
Vellere conchas:
Tange vocales ſtudioſa chordas,
Muſa; & auratum moderare plectrum:
Pauca de multis referamus acta
Regis amati.
Qualis herboſo ſpariata campo
Virgo, jam matris decus, & voluptas,
Nectit e ſolis violis coronam,
Cetera linquens.
Hic ubi veras imitata turres
Tot ſimul pinnis, niveiſque tectis,
Rupe Mergillina ſedens, propinquum
Spectat in æquor,
Adſit ex imo Galatea fundo,
Nil timens ſævos Polyphemi amores:
Nec mihi durum refluens canenti
Obſtrepat unda.
Sit licet magnus, trepidaſque turmas

Fre-

Fregerit primis Federicus auſis;
Quum puer celſas penetravit Alpes,
Saxaque Rheni:
Texerit latis pelagus carinis,
Dalmatûm dites populatus urbes:
Senſerit preſſo prope fulminantem
Ore Timavus;
Cinxerit ſacra meritum corona
Et caput; Gallos quoniam feroces
Contudit: totas revocarit Orci ex
Faucibus urbes:
Nil tamen majus, nihil egit unquam
Fortius: quam quod titubante regno,
Quum ſibi ſceptrum, & diadema poſſet
Sumere tutus;
Conjugem caram, propriosque natos
Liquit, & fidas lacrimas clientum,
Fratris heu pulſam ſobolem ſecutus
Per mare vaſtum.
Ergo nunc illi Moderator alti
Ætheris; cui ſunt pia facta curæ;
Regium frontis decus, & negatos
Addit honores.
O Fides, rarum, placidumque Numen;
O mihi nullis reticenda ſæclis:
Te te ego æternum prece, victimisque
Pronus adorem.

De Andrea Matthæo Aquivivo.

Cernis, ut exultet patriis Aquivivus in armis;
Duraque ſpumanti frena relaxet equo?
Quis mites illum Permeſſi hauſiſſe liquores
Credat, & imbelles excoluiſſe lyras?
Conſurgunt niveæ fulgenti in caſſide criſtæ;
At clypeus torvo Gorgonis ore tumet.
Macte animo, rigidum Muſas qui ſtringere ferrum,
Qui Martem doctos cogis amare choros.

Hæc ducis eſt virtus, non uni inſiſtere palmæ;
Sed nomen factis quærere, & ingeniis.

In Bubonem.

Nam quis te, inepte Bubo, tam ſtolidus furor
Adegit importunum inire prœlium,
Iſto indecenti roſtro, & alis luridis?
Quid bellicoſæ volucris, inſulſe, aſperos
Laceſſis ungues? deſine, miſer, dum licet;
Ne dormientis excites ſomnum tuo
Cum maximo, ut par eſt, malo, ac clade ultima.
Sed pervenire vis in ora vulgi; & hac
Via cupis ſceleſte, fieri notior?
Non aſſequere: nec profecto tam bono
Fruere fato. An hoc pudendo ſanguine
Se tingat Aquila, fulminum & cœli immemor?
Ponenda honeſtæ mortis hæc ſpes eſt tibi.

Ad Mathonem.

Ut mandem victura meis tua nomina chartis;
Dicis amicitiam te, Matho, velle meam.
Et tibi ſemper in ore Duces, quos Grajus Homerus,
Quos noſter Latia vexit in aſtra tuba.
Dumque ego ſum tanti te judice; venit ab horto
Cum donis olitor biſve, ſemelve tuus,
Scilicet æterni pretium mihi grande daturus
Nominis, & fidæ pignus amicitiæ.
O Matho, quam felix, & amico, & vate reperto es,
Quam felix horto, muneribuſque tuis;
Si quod Diis genitis vix tot peperere labores,
Id tibi lactucæ, prototomique dabunt.

De Patria Homeri.

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Jos, Argos, Athe-
Cedite jam: Cœlum patria Mæonidæ eſt. [næ.

De Luna, & Pane.

Effudit longas Tegeæa in rupe querelas
  Pan captus forma, candida Luna, tua.
Quumque levi calamos cera conjungeret, addit:
  Prædata es ſenſus tu quoque, canna, meos.

In Tumulum Amaranta.

Hic Amaranta jacet; quæ, ſi fas vera fateri,
  Aut Veneri ſimilis, vel Venus ipſa fuit.

Ad Ferrandum Regem.

Ex ferro nomen tibi ſit licet, aurea condis
  Sæcula; nam ſub te Principe nemo metit.

De Summontii Pietate.

Excitat obſtrictas tumulis Summontius Umbras;
  Impleat ut ſanctæ munus amicitiæ.
Utque prius vivos, ſic & poſt fata ſodales
  Obſervat; triſtes & ſedet ante rogos.
Nec tantum violas cineri, ac beneolentia ponit
  Serta; ſed & lacrimis irrigat oſſa piis.
Parva loquor: cultis reparat monumenta libellis:
  Quum poſſint longam ſaxa timere diem.
At tu, vivaci quæ fulcis nomina fama,
  Poſcenti gratas, Muſa, rependе vices:
Ut quoniam dulces optat ſic vivere amicos;
  Vivat, & in libris ſit ſacer ille meis.

De Venere, & Diana.

Incultam adſpiciens ſilvis Cytherea Dianam,
  Riſit, &, An tendes retia ſemper? ait.
Cui Dea caſta: Feris cur non ego retia tendam;
  Tendere ſi potuit Vir tuus illa tibi?

Ad Æglen.

Abſentem quæris, præſentem deſpicis, Ægle.
  Non redamas; ſed me vis in amore mori.

De Venere, & Priapo.

Tractabat clypeum Marti placitura Dione,
  Sævaque feminea ſumſerat arma manu.
Pone, Dea, exclamat petulanti voce, Priapus;
  Pone; decent iſtas hæc magis arma manus.

In Gelliam.

Quem tu nunc patruum, nunc patrem, Gellia, dicis;
  Hic tibi nec patruus, Gellia, nec pater eſt.

In Flaccum.

Non largitur opes, & vult Epigrammata Flaccus.
  Jure ſuo hæc poſcit: vult ſibi verba dari.

De Peto Compatre.

Petus deliciæ tuæ, Dione,
  Uni cui Charitum ſales beatos,
  Cui fontes dederas facetiarum,
  Ac riſus ſimul eleganter omnes;
  Petus mortuus eſt tuus, Dione,
  Petus Compater uſque ad aſtra notus.
  Qui puro niveæ colore mentis
  Vincebat nitidiſſimos olores.
  Cui de lacteolis tuis papillis
  Donarunt violas Jocuſque, Amorque,
  Donavit teneram Thalia myrtum.
  Mox promens citharam decentiorem
  Verſus addidit eruditiores.
O ſævæ nimium, maleque Parcæ,
  Veſtros non potuit tenere fuſos
  Petus; qui rapidas domare tygres,
  Qui duras potuit movere quercus

Ve-

Veſtras non potuit colos morari.
Sic, ſic occidis heu, miſelle Pete;
Nec te Piërides tuæ, nec ipſa
Quæ te per Paphon, & Gnidon virentem,
Per colles Amathuntios vocavit,
Fatis eripuere tam malignis.
At non unanimes tui ſodales,
Quos tu pectore tam pio colebas,
Quos triſtes obitu tuo relinquis,
Hoc duro tibi defuere caſu.
Quin me trans Ligerim, feroſque Celtas,
Luſtrantem Morinûm pigras paludes,
Dum quæro Oceani ultimos receſſus,
Veris nuncius obruit querelis.
Ergo quid tibi tam vagus viator,
Cui nec pulchra Neapolis, nec alti
Colles Pauſilypi, nec ipſe adeſſet
Sebethos pater, aut pater Veſevus,
Inferre exſequiarum, amice, poſſem?
Rupem, quam vagus hinc, & inde Nereus
Alterna veniens retundit unda,
Acceſſi, & procul angulo in ſupremo
Stans, ſupra pelagi fluentis æſtus,
Manes terque quaterque convocavi.
Hic fudi lacrimas amariores,
Hic vici gemitus vel unus omnes,
Omnes & ſimul omnium querelas;
Mox quamvis cineri tuo decentem
Pontanus tumulum pararit, ac te
Cognatas veneretur inter Umbras;
Quamvis & diuturnius ſepulchrum,
Quod nec ſæcula vincere ipſa poſſint,
Divinis paret excitare chartis:
Noſtrum non tibi qualecunque munus
Inter frigora, ſolitudineſque
Ceſſavit; nec honore te ſupremo
Fraudavi miſer: hoc ſcit ipſa Tetys;
Scit latè Oceani unda Gallicani.

Stant aræ tibi, ſtat videnda nautis
Terreni tumuli puſilla moles;
Et buxus ſuper, & dicata quercus.
Nam myrtum regio illa non habebat.
Quæ juſſit pietas ſacrare, ut eſſet
Naturæ tibi terminus ſepulchrum.

Ignes Nocturni Romæ.

Adſpicis, ut picti vultus imitetur Olympi,
Certet & aſtriferos vincere Roma polos.
Scilicet hos, Auguſte, tibi largitur honores:
Ne cupias magni tecta videre Jovis.
Alta coronatæ jactant incendia turres:
Et Vaticano fulmina monte tonant.
Dumque palam tantos cupit oſtentare paratus
Urbs nimium in laudes ambitioſa ſuas:
Vivant aſtra, inquit, ſummo contenta Tonante;
Pareat Auguſto dummodo Roma ſuo.

De Tyrannis & Bruto.

Quum tot Tarquinios paſſim conſurgere cernas;
Miraris, Brutum cur ferat Italia?

In Tumulum Pueri.

Nate, patris, matriſque amor, & ſuprema voluptas,
Accipe, quæ nobis te dare par fuerat.
Buſta eheu, triſteſque notas damus; invida quando
Mors immaturo funere te rapuit.

In Degenerantem.

Nomen avi, non facta refers: diceris ab illo
Alter, ſed juvenis tu, precor, ille ſenex.

De

De Jove, & Cupidine.

De Veneris Nato queſta eſt Dictynna Tonanti,
Quod nimis ille Puer promptus ad arma foret.
Tum Pater accito oſtendens grave fulmen Amori,
Hoc tibi, ſæve Puer, ſpicula franget, ait.
Cui laſcivus Amor motis hæc reddidit alis;
Quid ſi iterum poſito fulmine Cycnus eris?

In Riccium.

Ægrotat ſedis vitio, & male Riccius audit.
Quid, ſi eſſet ſurdis Riccius auriculis?

De Danäe, & Jove.

Formoſam Danaën munibat ahenea turris;
Et ſatis hoc vanus credidit eſſe Pater.
Indoluit, teneræ miſeratus fata Puellæ
Juppiter, & ſubito factus amator, ait:
Ergo arcere potes Natam Diviſque, viriſque?
At ſi non arces imbribus, imber ero.

De Lucio Grammatiſta.

Noctes, & noctes iterat dum Lucius, illi
Perpetuam noctem præbuit altus Arar.

De Vulcano, & Venere,

Horrida Cœlicolis narrabat prœlia Mavors,
Sævaque terribili capta trophæa manu:
Quod Venus audiret; doluit Vulcanus, & Heus tu!
Inquit, an expectas, ut mea vincla canat?

De Seipſo.

Miraris, liquidum cur non diſſolvor in amnem,
Quum numquam ſiccas cogar habere genas.
Miror ego, in tenues potius non iſſe favillas,
Aſſiduæ carpant quum mea corda faces.
Scilicet ut miſero poſſim ſupereſſe dolori,
Sic lacrimis flammas temperat acer Amor.

De Hercule, & Jove.

Pendebat Phrygii Tirynthius ore miniſtri;
Delicias magno dum facit ille Jovi.
Tum Pater, haud equidem favi, fortiſſime, dixit,
Formoſum rapuit quum tibi Naïs Hylan.

De Venere, & Pallade.

Induerat thoraca humeris, galeamque decoram
Aptarat capiti, Marte jubente, Venus.
Nil opus his, Sol, Diva, inquit; ſumenda fuerunt,
Quum vos ferratæ circuiere plagæ.

Catonis Tumulus.

Hic, ubi Libertas, magni & jacet Umbra Catonis;
Quam melius poterant Cæſaris oſſa tegi!

De Venetorum Signis.

Romanas Aquilæ poſtquam liquere cohortes;
Magnanimus turmas ducit in arma Leo.

De Andrea Matthæo Aquivivo, Duce Hadriæ.

Mœſtæ Bruntinæ duxerunt otia Nymphæ,
Nec Faunis ſolitos exhibuere choros.

Sci-

Scilicet optato quidquid ſine Principe cernunt,
Ingratum eſt, tantus Principis urget amor.
Nec ſatis eſt, poſitis arcum ſpreviſſe ſagittis,
Queſtubus & totos continuaſſe dies:
Aſt etiam noſtris faciunt convitia terris;
Et nos Sirenas, Lotophagoſque vocant.
Vera loquor: Divæ, veniam date vera loquenti:
Non amor hic certe, ſed magis invidia eſt.

De Crinibus Teleſinæ.

Dum nectit flavos auro Teleſina capillos;
Contraxit radios Phœbus, & erubuit.
Mox hæc ad ſuperos: En auro jungitur aurum:
Hoc eſt mortales, hoc ſuperare Deos.

In Galeatium Caracciolum.

Hippoliten, Leden, Teleſinam diligit unus:
Dic mihi, quid tota reſtat in urbe boni?

In Theatrum Campanum.

Dicite, Semidei, ſilvarum Numina, Panes,
Et ſiqua adventu es Nympha fugata meo:
Cui licuit tantas ſaxorum evertere moles,
Quas jam disjectas vix nemora alta tegunt?
Hiſne olim ſueta eſt cuneis Campana juventus
Amphitheatrales læta videre jocos?
Nunc ubi tot plauſuſque hominum, voceſque canoræ,
Tot riſus, tot jam gaudia, tot facies?
Scilicet, heu fati leges, rapit omnia tempus;
Et quæ ſuſtulerat, deprimit ipſa dies.

De Fonte Mergillinæ.

Eſt mihi rivo vitreus perenni
Fons, arenoſum prope litus, unde

Sæ-

Sæpe diſcedens ſibi nauta rores
Haurit amicos.
Unicus noſtris ſcatet ille ripis,
Montis immenſo ſitiente tractu,
Vitifer qua Pauſilypus vadoſum ex-
currit in æquor
Hunc ego vitta redimitus alba,
Flore, & æſtivis veneror coronis;
Quum timent amnes, & hiulca ſævum
Arva Leonem.
Antequam feſtæ redeunt Calendæ
Fortis Auguſti, ſuperantque Petri
Quattuor luces; mihi tempus omni
Dulcius ævo,
Bis mihi ſanctum, mihi bis vocandum,
Bis celebrandum potiore cultu,
Duplici voto, geminaque ſemper
Thuris acerra.
Namque ab extremo properans Eoo,
Hac die primum mihi vagienti
Phœbus illuxit, pariterque dias
Hauſimus auras.
Hac & inſigni peragenda ritu
Sacra ſolennes veniunt ad aras;
Nazarî unde omnes tituli, meæque
Nomina gentis;
Nazarî vaſtas cohibentis undas
Æquoris, ſævoſque domantis æſtus,
Quidquid & vani truculenta juſſit
Ira Neronis.
O decus cœli, ſimul & tuorum,
Rite quem parva veneramur æde;
Cui frequentandas populis futuris
Ponimus aras:
Si mihi primos generis parentes,
Si mihi lucem pariter dediſti;
Huc age; & fontem tibi dedicatum
Sæpe reviſe.

Divo Nazario.

Natali quod, Dive, tuo lucem editus hauſi;
  Quod tua naſcenti lux mihi prima fuit:
Actius hoc riguo parvum cum fonte ſacellum
  Dedico; tu nutu fac rata vota tuo:
Ut quæ Sextiles lux venerit ante Calendas
  Quarta, ſit hic generi bis celebranda meo;
Et quod ſolennes revocat tua feſta per aras;
  Et quod natalem contigit eſſe meum.

De Lauro ad Neritinorum Ducem.

Illa Deûm lætis olim geſtata triumphis,
  Claraque Phœbææ laurus honore comæ,
Jampridem male culta, novos emittere ramos,
  Jampridem baccas edere deſierat,
Nunc lacrimis adjuta tuis revireſcit: & omne
  Frondiferum ſpirans implet odore nemus,
Sed nec eam lacrimæ tantum juvere perennes;
  Quantum manſuro carmine quod colitur.
Hoc debent, Aquivive, Duces tibi, debet & ipſe
  Phœbus; nam per te laurea ſilva viret.

In Tumulum Cottæ Veronenſis.

Sperabas tibi docta novum Verona Catullum:
  Experta es duros bis viduata Deos.
Nulla animum poſthac res erigat: optima quando
  Prima rapit celeri Parca inimica manu.
Quæ tamen ut vidit morientis frigida Cottæ
  Ora; ſuum faſſa eſt crimen, & erubuit.

In Picentem Medicum.

Quod noctu latras, quod ſellas olfacis unus;
  Da veniam, Picens, hoc canis eſt vitium.

Sed

Sed quia tu Cynicus vis dici, & Clinicus idem:
Eſſe idem poteris Mendicus, & Medicus.

De Ferdinando Juniore.

Si merita audieris Ferrandi; Neſtora credas:
Si numeres annos; dixeris Antilochum.

In quemdam.

Ne valeam, Superi, bene ſi facere hic pote, quem ſors
Exſilio, & vinclis vexit ad imperium.
Et peream, ni cuncta evertere jam volet hic, qui
Nil meminit præter vincula, & exilium.

Tumulus in quo ploratur Filius unicus.

Cur heu Lætitiam falſo dixere parentes,
Triſtitiam qui me dicere debuerant?
Natus erat miſeræ lux unica matris, ocellus
Unicus; hunc Lacheſis noxia ſubripuit.
I nunc, vel Nioben confer mihi; cujus habet ſors
Hoc melius, fieri ſaxea quòd potuit.

In Picturam.

Anna Parens, cui cœleſtem ſperare Nepotem
Contigit intactæ Virginis, Anna, Parens:
Ut tandem tete meliori in ſede locares,
Credibile eſt artes edidiciſſe novas.
Scilicet obſcœnæ ſemper convicia turbæ,
Et ſcelera antiqui perpetiar domini?
Vix hæc; & medicas invadis protinus artes;
Nec mora, jam cæcis lumina reſtituis.
Accurrunt ægri, complentur compita rhedis;
Occupat anguſtas ſedula turba vias.
Ecce in quo picta es, paries exſcinditur; & te
Accipit hoſpitio Nata benigna pio.
Nimirum ſapis, Anna; hoc contulit ipſa ſenectus:
Haud aliter poteras hac caruiſſe domo.

De

De Junone, & Ganymede,

Juſſerat Iliacum menſis adſtare miniſtrum
  Juppiter: at conjux, quis mihi miſcet, ait?
Ille verecundis libat cryſtalla labellis:
  Cui Dea: amatori da, puer, iſta tuo.

In Catonis laudem.

Quæ tegit extinctum cum Libertate Catonem,
  Inſultat tumulis, Cæſar, arena tuis.

De Homero in Latinum verſo.

Quid ſeptem de Vate ſacro contenditis Urbes?
  Ecce poteſt civem dicere Roma ſuum.
At vos aut noſtrum, ſi fas, auferte Maronem;
  Aut alium vobis quærite Mæoniden.

In Tumulum Aſſanii.

Tu, qui disjectos artus, inhumataque furtim
  Aſſanii occulto membra refers tumulo;
Macte animi pietate, tamen nihil irrita buſti
  Gloria tam claros afferet ad cineres:
Quandoquidem voluit potius ſic ſparſa jacere,
  Quam cadere ad triſtes nobilis umbra rogos.
Nunc latè exigui fines egreſſa ſepulchri,
  Eoum fama verberat Oceanum.
Contempſit dulcemque animam, floremque juventæ;
  Sanguine ut agnato dedecus elueret.
Quumque hauſit ſævi ſtricto latus enſe Tyranni;
  Laudem obitu ſtatuit quærere, non tumulum.
Quodque magis mirere; hilaris, ridenſque cruentos
  Carnificis cultros cernere ſuſtinuit.
Diſſimulet patriam; taceat nomenque, genuſque;
  Qui facit hoc, dicit ſe Lacedæmonium.

In

In Tumulum Caudolæ.

Heu quæ te rigidi rapuit vis effera fati;
Quis matri miſeræ tot peperit lacrimas,
Flos veterum Caudola, virûm? tibi mœſta ſepulchrum
Illa dedit, triſtes Actius hos titulos;
Hos titulos: qui te nigras deſcendere ad umbras,
Obduci Stygia non patiantur aqua,
Tempora miretur quivis ſua: talis Achilles,
Talis, quum caderet, Martius Hector erat.
I, precor, i nullos non durature per annos,
Neſtoreos qui jam vivere dignus eras.

De Jove, & Amore.

Juppiter infractos jactat dum ſæpe Gigantes;
Et ſibi ſervati dat decus omne poli:
Sic eſt, inquit Amor; namque hoc mugire ſolebas
Tunc quoque, quum torva fronte juvencus eras.

Hymnus ad D. Nazarium.

Nazari, heu quis me tibi ad hanc ſupremi
Litoris ripam, quis ad hos putaſſet
Tethyos fluctus, quis ad has daturum
Thura paludes?
Poſt tot emenſos pelago labores,
Tot pererratos populos, ſub ipſo
Fine terrarum datur ecce amicum
Cernere Numen.
Ergo in extremis, Pater alme, terris
Barbaræ norunt tua ſacra gentes,
Qua latus dextrum Liger æſtuoſis
Obiicit undis.
Jamque & Aulercos genus acre, & ipſos
Cernis ad te Lexovios citato
Eſſedo, & picta volitare flavos

Pug-

Puppe Britannos.

O mihi ſemper geniale cœli
Sidus, o famæ decus omne noſtræ,
Auctor o idem mihi gentis, & ſpi-
rabilis auræ.
Se tibi debet proavorum origo, &
Sanguinis ſi ſunt decora ulla noſtri:
Debet & præſens genus, & futurum,
Debet & hæc lux
Sacra; quæ magnum mihi prima Solem
Obtulit naſcenti, & inane aperti
Aëris, pulchroſque micantis æthræ
Tot ſimul ignes.
Hinc tuis per me dare grata templis
Munera, hinc natalicias coronas
Annuis ſuevit ſociare ſertis,
Dum fuit hæc ſors.
Nunc in ignotis vagor ecce campis,
Regis heu cari exſilium ſecutus;
Dum fides, & fas, & amor, piuſque
Me rapit ardor.
I, puer, buxum nemore e propinquo
Collige, & ſiquas tibi litus offert
Quercuum frondes: celebrare mœſtum
Sic juvat annum.
O, ubi dulces patriæ receſſus
Abluis, Sebethe, loca illa myrto
Conſita; o, qui Pauſilypi virentes
Det mihi citros,
Qua tuum lambens maris unda fontem
Margines parvi minuit ſacelli,
Noſtrum opus; quo ſe recreet quotannis
Læta juventus.
Quæ tibi ſacris operata arenis:
Frondibus remos, celereſque cymbas
Ornat; & forſan mea nunc, ut olim,
Dona requirit.
Heu, Pater, cur heu mihi ad inſtitutos

Non licet jam jam properare curſus?
Cur vetor templis, & adeſſe ludis
Rite dicatis?
Sit ſatis ventos toleraſſe, & imbres,
Ac minas fatorum, hominumque fraudes:
Da, Pater, tecto ſalientem avito
Cernere fumum.

De Amore fugitivo.

Quæritat huc illuc raptum ſibi Cypria Natum:
Ille ſed ad noſtri pectoris ima latet.
Me miſerum, quid agam? durus Puer; aſpera Mater;
Et magnum in me jus altera, & alter habent.
Si celem; video, quantus Deus eſſe perurets
Sin prodam; merito durior hoſtis erit.
Adde, quod hæc non eſt, quæ Natum ad flagra repoſcat,
Sed quæ de noſtro bella cruore velit.
Ergo iſtic, fugitive, late; ſed parcius ure:
Haud alio poteris tutior eſſe loco.

De Camilla Scalampa Mediolanenſi.

Fumantem ambuſtis olim Phaëtonta quadrigis
Excepit rapidis fluctibus Eridanus.
Ecce recens, Ticine, tibi de Sole trophæum
Erigit auratis culta Camilla comis.
Nam Deus ille tuis auſus concurrere ripis,
Majoris Numen ſenſit adeſſe Deæ.
O fatum fluviorum! ergo nova fabula veſtris
Semper erunt Nymphis aut Pater, aut Phaëton.

De Violante Grappina, Femina Præclariſſ.

Dialogus Veneris, & Amoris.

Ven. Unde mihi has violas affers, Puer? *Am.* accipe, Ma- (ter;
Quando aliud calida de nive nil potui.

Ven. De nive tu calida violas? *Am.* perſtrinxit ocellos
Candor: & ecce, nivem quod puto, pectus erat
Ven. Mira refers: ſed tela ubi ſunt illa aurea? *Am.* habebā
Quum legerem violas; nunc Violantis habet.

Hymnus Divo Gaudioſo.

Gaudete, cœtus Virginum,
Plenas habentes lampadas,
Sponſus ſacras ad nuptias
Venit repente: ſurgite.
Venit ſerenus Lucifer,
Nocturna pellens ſidera:
Optata lux ſolemnibus
Adeſt dicata gaudiis;
Lux clara, qua fugans nigram
Mundi Sator caliginem,
Veſtri latere gloriam
Patris diu non paſſus eſt;
Qua Gaudioſi ſegmina,
Tot inreperta ſæculis
Suis videnda civibus,
Dives retexit urnula.
O ter beate, & amplius,
Lapis puſille, qui tuo
Tanti verendum Præſulis
Sinu recondis pulverem.
Præſul ſed o beatior;
Claræ decus Neapolis,
Tuæ benignus patriæ
Fer, Gaudioſe, gaudia.
Adſit fides, & veritas;
Adſit probata caſtitas:
Morbos, famem, pericula
Tuis repelle mœnibus.
Ergo tibi ſit gloria,
Inſeparata Trinitas,

Verbum, Paterque, & Spiritus,
Qui condidiſtis omnia.

De eodem ad Veſperas.

Audiat ſurgens pariter, cadenſque
Sol tuas laudes, meritoſque honores,
Urbis o noſtræ columen, tuæque
Gloria gentis.
Audiat cœlum, mare, terra, & aër,
Annuos ritus tibi dum novamus,
Dum damus flammis adolenda ſacris
Thura per aras.
Huc ades feſta redimite fronde,
Cœlitum plauſus, choreaſque linquens;
Et tuam ſedem, tua, Gaudioſe,
Oſſa reviſe;
Oſſa, quæ longa tumuli ſub umbra
Abdita, ignaras latuere gentes:
Nocte mox pulſa redeant apertas
Lucis in auras.
Hic dies nobis celeber, precamus,
Lætior ſemper redeat, nec ullos
Hoſtium motus ferat, aut maligni
Sideris æſtus.
Da tuis longam, venerande, pacem
Civibus, da perpetuos honores,
Da bonam mentem, ſuperique plenos
Luminis hauſtus
Juſta poſcentes animos benignus
Adjuva; injuſtos moderare ſenſus.
Sentiant per te patuiſſe caſtis
Æthera votis.
Laus tibi, cœli Pater, atque Princeps,
Omnium Rector ſimul & Creator;
Quem fides veri ſtudioſa Trinum
Credit, & Unum.

Ad Divum Nazarium.

Dive, cui vaſti metuenda ponti
Vis, & iratæ famulantur undæ;
Quem per & ſpumas gradientem, & altas
Nauta vocavit;
Ah miſer pœnas pelago daturus,
Quum niger circumſtrepente procellis
Auſter, & turbam minax feriret
Sidera fluctus;
Te mihi ſanctum, patriumque Numen,
Te canam, gentis columen Latinæ,
Auream prolem patris Africani,
Perpetuæque
Matris heu vulnus grave, dum relictis
Tibridis ripis, Italoque cœlo,
Sponte trans Rhætos iter, & nivoſas
Arripis Alpes:
Lacte depulſus, velut ille primi
Quem rapit curſus generoſus ardor,
Pullus, & matrem fugit, & rapaces
Tranſilit amnes.
Mox & ad Rhenum, horribileſque tendis
Treverûm gentes animoſus hoſpes,
Morte feſtinans capere invidendæ
Præmia palmæ.
Hic, ubi e caræ gremio parentis,
Jam neſcis magnæ comitem futurum,
Excipis Celſum, Pater, & ſalubri
Refluis unda.
Perluis totas, mora nulla, & urbes:
Undique exhauſtis properatur agris:
Barbaros gaudent Druydæ ſacrorum
Ponere ritus.
Nazari nomen, meritiſque famam
Audiit, ſiquem Liger in remotis
Occulit ripis, refugove inundat

Sequana curſu.

Te neque injuſti rabies Neronis,
Impios jam jam minitantis ignes,
Non per exſertos Anolinus urgens
Terruit enſes.

Jam voluptatum, gelidæque victor
Mortis, & lapſi reparator orbis
Diceris, mileſque peræque Iberis,
Notus, & Indis.

Ergo ſperatum, Genitor, triumphum,
Et parum factis meruiſſe cœlum eſt:
Aureum vultu jubar, & coruſcos
Fundis honores.

Salve io, magni nova lux Olympi,
Cui per extentas operoſa terras
Templa tot ſurgunt, calidiſque fumant
Ignibus aræ.

Nos tibi hac grata ſcopulorum in umbra
Rite parvis ædiculam columnis
Ponimus: nos perpetuo ſacramus
Munere fontem.

Accipe æſtivam, nova ſerta, citrum, &
Virgines lauros, gracileſque myrtos,
Quoſque Mergillina tulit propinquo
Litore odores.

O mihi longos liceat per annos
Hic ſacra, & feſtos renovare ludos,
Et tuum caſtis ſine fraude votis
Poſcere Numen.

De Ferdinando Havalo Piſcariæ Principe.

Admoveant iterum cœlo ſi caſtra Gigantes:
Hoc duce, quo Ligurum gloria fracta jacet;
Cum Marte Enceladus, cum Phœbo ſigna Typhoëus
Conferet, ipſe Havalus cum Jove bella geret.

In Lygdamum.

Quæris, Lygdame, muſca cur voceris?
Nam muſca es, mihi crede, tam moleſta,
Quam nec ſunt culices, graveſque fuci,
Quam nec vermiculique, cimiceſque,
Unum te tamen arceat neceſſe eſt,
Turdelæ auxilium cacantis, ut te
Non muſcaria, milviique caudæ,
Non alæ accipitrum potentiorum
Avertant, abigantque ſævientem.

Mariæ Carloniæ Groppinæ.

Propago formoſæ arboris
  Formoſa Virgo, quæ vagos
  Inter orta Cupidines,
  Veris lilia vincis,
Roſaſque molles, & croci
  Pulchre rubentis igneum
  Florem, & uvidulas comas
  Halantis hyacinthi:
Rediſti avitos ad lares,
  Feliocem ocellulis tuis
  Redditura Neapolim,
  Caro adnixa marito:
Rediſti ad optatos choros
  Æqualium, & probos ſinus
  Matris, ac bene cognitum
  Fratris dulcis amorem:
Quis o, quis hunc albo mihi
  Signet diem lapillulo?
  Quis Sabæa calentibus
  Addat munera flammis?
Vocanda Muſarum cohors,
  Huc huc, benigna; & abditam
  Barbiton cape, myrteis

Frontem vincta coronis,
Thalia: quid dignum tuo
Promis favore? quid bonæ
Voce, vel fidibus ſtudens
Reſpondere Sorores?
Sed eſſe quid lætum, Dea,
Hic abſque amoribus poteſt?
Non movet Chione ſuis,
Non me Lyda papillis.
Procul faceſſant hinc mala,
Sæcli pudor, libidines,
Mi ſat eſt, minuat graves
Si Garlonia curas!
Juventa, cur me tam cito
Ludendo inepta deſeris?
Hæc erat facies novis
Non fraudanda libellis.

Se fidem ſervaturum.

Si poſt fata novos animas errare per artus,
Vera docent Samii dogmata nota Senis;
Nec pote mens eadem mutari, ſeu ferus altis
Erret aper ſilvis, ſeu vaga cantet avis:
Ipſe ego, mens quoniam eſt uni ſervire puellæ,
Exurgam mœſtis turtur ab exſequiis.

Ad Eunum.

Quidquid erat tripodum Cumis, Delphiſque, petiſti,
Diſcere fortunam dum cupis, Eune, tuam.
At Deus: Exſtabis ſupra regeſque, ducesque:
Veridico tandem retulit ore tibi.
Tu tamen hinc vanos ſumſiſti, Græcule, faſtus;
Jam magni dominus, jam pater, orbis eras.
Ecce crucem aſcendis, non te Deus, Eune, fefellit:
Omnia ſunt crepidis inferiora tuis.

Ad Federicum.

Litibus abſtinui ſemper; mihi teſtis Apollo eſt,
Et Muſæ, & ſtudiis otia grata meis.
Nunc me neſcio quis per triſtia jurgia verſat
Scotius, & rauci cogit ad arma fori.
Es fateor magnus pulſis, Rex inclyte, Gallis.
Pelle etiam Scotos, & mihi major eris.

Ad Porciam Brancium & Iſabellam Sororem.

Porcia, & Iſabella, venuſtæ pignora Matris,
Dicite, quis veſtras non amet illecebras?
Tu quoque dic, tali quum ſis digniſſima partu,
Quis, Leonora, tuo nolit ab igne mori?
Natarum illecebris, Matris ſimul ignibus uri
Qui cupit; is mortis flagrat amore ſuæ.
Vita, vale: in lucro eſt periiſſe: ſed hoc reliquum, Mors,
Quod ſinis, eſt ipſis vix ſatis exſequiis.

In nonnullis Editionibus hoc Epigramma occurrit, quod fortaſſe ab Actio rejectum, extra ceterorum numerum vagari cœpit.

Quum a Patria diſcederet.

Parthenope mihi culta, vale, blandiſſima Siren;
Atque horti valeant, Heſperideſque tuæ.
Mergillina, vale, noſtri memor: & mea flentis
Serta cape, heu Domini munera avara tui.
Maternæ ſalvete Umbræ: ſalvete, paternæ:
Accipite & veſtris thurea dona focis.
Neve nega optatos, Virgo Sebethias, amnes:
Abſentique tuas det mihi ſomnus aquas.
Det feſſo æſtivas umbras ſopor: & levis aura,
Fluminaque ipſa ſuo lene ſonent ſtrepitu.

Exſilium nam ſponte ſequor. Fors ipſa favebit:
  Fortibus hæc ſolita eſt ſæpe & adeſſe viris.
Et mihi ſunt comites Muſæ: ſunt Numina vatum:
  Et mens læta ſuis gaudet ab auſpiciis,
Blanditurque animi conſtans ſententia; quamvis
  Exſilii meritum ſit ſatis ipſa fides.

Fragmentum ejuſdem Auctoris.

Optatos jam, Euplœa, mihi circumſpice portus,
  Quo liceat trepidas piſcanti includere prædas,
  Et Zephyris relevare graves ſpirantibus æſtus:
  Si qua movet cupidam velocis gratia cymbæ.
Tuque ades, o noſtri merces non parva laboris,
  Quem Phœbus mihi, quem doctæ, mea turba, puellæ
  Conciliant; dumque ipſe ratem de litore pello,
  Da vela inſinuans, pelagoque excurre patenti,
Pars animæ, Puderice, meæ: te nam ſua Nereus
  Per vada, te medio Doris vocat æmula fluctu,
  Dum latè horriſonum campus ſtrepit omnis aquarum.
Lucrinæ ad Veneris templum convenerat omnis
  Ænariæ, Prochytæque manus: Zephyreus opaca
  Scilicet Ænaria, Prochyta venit Euthychus alta,
  Inſignes ambo calamis, & verſibus ambo,
  Aptus uterque fretis, piſcatibus aptus uterque:
  Ille hamos verſare, hic retia ſolvere in æquor.
Tum prior hæc Zephyreus: Adeſte o litore ab omni,
  Piſcatorum artes; liquidas exquirite ſedes;
  Vertite Tritonum latebras; penetrate receſſus
  Nereïdum: numquam noſtros ſedabitis ignes:
  Numquam me Pholoë, numquam me Chloris amabit.
  Ede tuos mecum tandem, cava buccina, cantus.
Teſtis Cymothoë, teſtis mihi candida Clotho,
  Optavi quoties mediis in fluctibus ægram
  Projicere hanc animam; quoties ego gurgite in alto
  Occurri monſtris immanibus, horrida cete
  Ut ſaltem miſeros lacerarent dentibus artus.
  Ede tuos tandem mecum, cava buccina, cantus.

Omnia tentavi, terras, mare, nubila, cœlum,
Ventorumque domos, & tempora quattuor anni:
Omnia ſed nocuere ſimul, vos ite, puellæ,
Ite, Deæ pelagi, furiis arceſſite noſtris
Nunc alios ſuccos, aliaſque Melampodis herbas.
Ede tuos tandem mecum, cava buccina, cantus.
Non magicos verſus, ignotaque nomina rerum,
Diſſimileſque Deos, Erebumque, Chaoſque refugi.
Ipſos quinetiam filo convolvere rhombos
Ed dici, parteſque meas de litore echinos,
De ſcopulis muſcum, de fluctibus hauſimus undam.
Ede tuos tandem mecum, cava buccina, cantus.

PAMPHILI SAXI
MUTINENSIS.

Deteſtatur ſequentes puellas.

QUas, inſane, petis rupes? quæ culmina duri
  Niteris infirmo montis adire pede?
An fortaſſe putas Spartanæ ſaxa Maleæ,
  Et Libycum fragili vincere puppe fretum?
Vel quod Scylla movet canibus truculenta marinis,
  Hic ubi nimboſus ſidera tangit Eryx?
Jam miſer Ææ petiiſti limina Circes,
  Jam fera Cyclopis littora ſanguinei:
Quæ non conſilio linques, ut cautus Ulyſſes:
  Nam velut infirmus ſomnia vana petens,
Laberis, & tenui tua gaudia ſcribis arenâ,
  Et Scythico firmas lubrica tecta gelu.
Quas tibi junxiſti ceratas Icarus alas,
  Solvet anhelanti torridus axis equo.
Aliger excutiet ſummo te Pegaſus orbe;
  Ibis ad infernas Tantalus alter aquas;
Fallaces quoniam ſequeris, ſcelerate, puellas,
  Et quibus es captus, retia cæcus amas.
Miles inexpertus, neſcis quod femina telum
  Torqueat, & molli quæ gerat arma manu.
His aries cedit, cedit Balearica plumbo
  Mœnia quæ duro rumpere funda ſolet;
Et quæ de ſumma contorta falarica turre,
  Quæ ferit in cineres fulminis inſtar agit.

Non

Non galeæ durant, ſævis non ictibus horum
Bellica quâ Pallas pectora caſta tegit.
Loricam Siculo nudus coquat igne Pyracmon,
Lemnius hanc mirâ temperet arte faber;
Et ſit femineis leviter percuſſa ſagittis,
Fracta velut ſaxo fictilis urna, cadet.
Exemplum tibi ſit Geticis Mars ſævus in armis,
Qui fera Stentoreâ prœlia voce ciet;
Spicula non clypeo, non ſpicula reppulit enſe,
Torſit ab auricomo quæ puer ore Deo.
Juppiter immenſum qui fulmine terreat orbem.
Fulminco Gnidii ſaucius igne Dei
Paſtor, avis, ſerpens, taurus, fulvumque metallum
Deſeruit gemini limina clara poli;
Et prece, divinâ mortales auribus aures
Implevit, madidis ſparſit & os lacrimis.
Os lacrimis ſparſit, quod Numina cuncta verentur,
Sidera quæ ſpectant, quæ Stygis antra colunt.
Ingemuit lacrimans nigri rex ferreus Orci.
Triſtis & ardenti vulnera corde tulit.
Quid facies igitur tu, quem non dira tuetur
Mens, neque bellaces ducis ad arma viros?
Cera remolleſces calidis ut tacta favillis,
Tacta vel ardenti plumbea maſſa foco.
Ardebis veluti jamdudum tacta ſecuri
Semiviro Cybeles ligna dicata gregi.
Ah miſer, ah demens, obtuſum non reſpicis hamum?
Quo ruis? in teneris floribus hydra latet.
Femina quæque furit, non curat fœdera; leges
Spernit, Avernalis femina nata canis.
Æſoniden docuit preſſo ſerpente malignum
Phaſias armiferæ tradere ſemen humo;
Sub juga flammivomos adamantina cogere tauros,
Victor ut auratæ vellera ferret ovis.
Non patris hanc tenuit pietas, non jura, fideſque
Sanguinis, aut patriæ dulcia regna ſuæ.
Baccatum capiens conjux ut avara monile
Ivit ad infernas Amphiaraus aquas.

E 2 Tyn-

Tyndaris ad Phrygii vultum cor flexit amantis,
Et Menelaëam liquit iniqua domum;
Vertit opes Aſiæ, disjecit mœnia Trojæ,
Hectora vulneribus fodit, & Æaciden.
Fraude Clytæmneſtræ clarus mactatur Atrides;
Fraude cadis natæ tu quoque, Niſe, tuæ.
Ad Ptolemæam nam munera tranſtulit urbem
Cæſaris, & magni ſceptra beata Numæ,
Quæ tenuit Pharium meretrix laſciva Canopum,
Opponens Latiis ſtridula ſiſtra tubis.
Sed quid plura loquor? monſtris eſt mitior iſtis
Sævior Hyrcanâ quæ fera rupe furit.
Vincla, faces, ferrum, lethalia ſpicula, virus,
Sub roſeis claudit quæque puella genis.
Quo tandem fugias? variis & fluctibus actus,
Per mare, per ſcopulos, littora tuta pete.

De Thaide.

Thaida cum video formoſam, frigida ſum nix:
Cum procul eſt, totum me tenet ignis edax.
Res mira eſt, igni vicinus frigore cogor:
Cum procul eſt ignis, totus ab igne premor.

De eadem.

Cum venit ad noſtros Thais formoſa penates,
Phœbeis clarâ eſt tota domus radiis.
Cum linquit noſtros Thais formoſa penates,
Nocturnis fuſca eſt tota domus tenebris.

Epitaphium Baſſani.

Legitimum tumulo Baſſani ſcribere carmen
Qui cupis; hoc tantum ſcribe: poëta jacet.

De eodem.

Quid titulos quæris? ſatis eſt tibi dicere: corpus
Hic Baſſanus habet; cetera fama dabit.

In

In eundem.

Mantua, Pyramidem Pario quid marmore condis;
 Baſſanum capiat maximus ut tumulus?
Pyramidem perdis, perdis quoque marmora: totus
 Baſſani tumulo vix ſatis orbis erat.

De eodem.

Baſſani tumulum lauri redimite, poëtæ,
 Frondibus; & Phœbo condite templa novo.
Eſt ſi nam Phœbus ſacer & venerabilis; omnes
 Qui clauſit Muſas pectore, Phœbus erat.

Jacobo Maffeo, de Lygdo.

Candide, vis Lybici deſæviat ira Leonis,
 Et placidi timeant te lupus atque biſon?
Vis te luminibus ſpectet baſiliſcus amicis?
 Et non ſit ſævo dente timendus aper?
Vis fera laſcivis tigris ſit mitior hœdis,
 Mitior & blando torva leæna cane?
Fac Lygdi ſpectent oculos, & protinus omnes
 Deponent rabiem, cornua & arma, feræ.

De Julio Pontano.

Optavi toto jamdudum pectore, vultus
 Fingeret ut docta Julius arte meos,
Sed timui, pictus vero ne verior eſſem.
 Falleret atque oculos ne mea forma meos:
Picturam ne quiſque meam ſequeretur, amaret,
 Poſceret; & corpus crederet eſſe meum:
Et, me picturam veluti ſpectaret manentem,
 Diceret, o utinam poſſet & iſta loqui.
Non volo picturam qui me facit eſſe magiſtrum;
 Sed volo picturam, qui facit eſſe meam.

De

De eadem.

Qui blandas potuit mores, qui gaudia ſævi
  Linquere conſilii callidus arte ſui;
Dulcia cantantes quæ carmina ſæpe ſorores
  Obvertunt captas ſub freta nigra rates;
Pontani cytharæ teneri ſi carmen Ulyſſes
  Senſiſſet, fidibus cum trahit arma ſuis,
Cum ſcopulos, & ſaxa movet, cum flumina ſiſtit:
  Vidiſſet numquam conjugis ora ſuæ.
Vellet in æquoreas ſed ſe jeciſſe procellas;
  Ob tam dulciſonæ dulcia fila lyræ.

Jacobo Comiti Juliario.

Inſanum forſan, forſan ſine mente vocabunt
  Me vates, quoniam carmina mitto tibi;
Cui jam tota biceps cedit ſuos culmina, vel quo
  Nullus Hyantheas largius hauſit aquas.
Si ſuperat philomela canens Acanthida, debet
  Non tamen hæc cantus ore tacere ſuos.
Et picam cantare doces; placet atque canendo
  Pſittacus, & quamvis non bene dicat, avis.
Argento, fateor, fulvum pretioſius aurum eſt;
  Eſt tamen argenti qui quoque poſcat opes.
Numquid poſt Tyrias veſtes, poſt Serica, Parmæ
  Qui capit intextas ſpernitur ille togas?
Quamvis poſſideant urbes, & regna tyranni;
  Jugera parva tamen, ſi dabis, accipiens.

Paridi Cæſario.

Formoſam rapuit Paris puellam
Graiis Iliacus, Paris diſertam
Sermonem rapuit meus, rapina
Hæc eſt inclita, nobilis, ſuperba.
Nam illa, ut patriæ dedit ruinam;
Hæc clarum patriæ dabit triumphum.

De Morte Angeli Politiani.

Quo cecidit fato noſtri decus Angelus ævi,
  Gentis & Etruſcæ gloria, ſcire cupis?
Icterici non hunc labes triſtiſſima morbi;
  Febris ad Elyſias vel tulit atra domos:
Non inſans humor pectus, non horrida bilis;
  Mortiferæ peſtis denique nulla lues:
Sed quoniam rigidas ducebat montibus ornos,
  Frangebat ſcopulos, decipiebat aves;
Mulcebat tigres, ſiſtebat flumina cantu,
  Plectra movens plectro dulcius Iſmario:
Non plus Threicium laudabunt Orphea gentes
  Calliope dixit, dixit Apollo Linus:
Jamque tacet noſtrum rupes Heliconia nomen;
  Et ſimul hunc gladio ſuppoſuere necis.
Mors tamen hæc illi vita eſt, nam gloria magna
  Invidiâ Phœbi, Calliopeſque mori.

De obitu Joan. Pici Mirandulæ.

Multifores frangit calamos flens Attica Pallas,
  Frangit Hyantheam mœſta Thalia lyram.
Innuptas Phœbus lauros radicibus imis
  Evellit; myrtum diſſipat alma Venus.
Pampineas Bacchus vites, hederaſque ſequaces,
  Blanda poëtarum munera falce ſecat.
Turritam poſuit Cybele lacrimoſa coronam;
  Aſtriferam poſuit Juppiter ipſe ſuam.
Ignoras cauſſam? Muſarum gloria Phœbi
  Spes Cybeles, lumen Pallados, atque Jovis,
Et Bacchi, & Veneris numen, ſub tempore Picus
  Nondum maturo, corpore inane jacet.
Muſa jacet quæcumque, jacet Venus alma: Deorum
  Rex, Cybele, Bacchus, Pallas, Apollo jacent.

Ad

Ad Umbronem.

Quiſquis pictorem credit te, fallitur, Umbros,
  Et cœleſte tuum non bene noſcit opus.
Qui pingit, pictas merito quas credere formas
  Fas eſt pictoris, nomina pictor habet.
Quas formas cernunt oculi, quam pingis imago;
  Etſi non moveat, ſe movet illa tamen.
Immotis graditur pedibus, canit ore ſilenti;
  Audit, agit, loquitur, annuit, odit, amat.
Quod generas igitur, credis dum pingere; non tu
  Nomina pictoris, ſed genitoris habes.

De Puero egregie picto.

Da puero vocem picto, Natura; magiſtras
  Tollat ut artificis candida fama manus:
Nec fieri timeas portentum; picta loquetur
  Non facies, nam cum te duce verba dare
Incipiet, picta tum deſinet eſſe; videtur
  Hoc tantum, quoniam picta, quod ore tacet.

De eodem.

Aut ars Naturæ pingit nunc juncta potenti,
  Aut hoc Naturæ dextera fecit opus.
Nam tantum vario faciemque, manuſque colore
  Quæ formare poteſt, non generare poteſt.

Amoris crudelitas.

Adſpice qui Veneris laſcivum Numen adoras.
  Qui colis aligeri tecta ſuperba Dei.
Ætnæis veluti ſcintillat flamma caminis;
  Ferrea Vulcani cum quatit arma faber:
Utque leves ſtipulæ latis uruntur in agris,
  Cum gravis accenſos adjuvat aura focos:

Viſce-

Viſcera flammatis exardent noſtra medullis,
Corque meum ſævo cogitur igne mori.
Quodque tuis ſpectas oculis miſerabile vulnus,
Hoc mihi pollicitis intulit acer Amor.
Inter ſi lacrimas ſemper, miſeroſque dolores
Vulnera, tela, faces, vivere quæris; ama.

Loca amanti jucunda.

Fons ſacer; rivo vitreo per herbas
Qui fluens, murmur, virides, amicum
Concinis ſomno; mea lux, meum cor
Quâ manet orâ?
Arbor excelſis ſuper aſtra ramis
Quæ caput tollis, Satyros amœnâ
Protegens umbrâ; mea lux, meum cor
Quâ manet orâ?
Mons jugis pulcher, nemus & beatum,
Quod tegunt lauris, coryli, cupreſſus.
Fagus & myrti; mea lux, meum cor
Quâ manet orâ?
Prata quæ fertis thyma, quæ marathra,
Lilium, thymbram, violas, anethum,
Quæ roſas, mentam; mea lux, meum cor
Quâ manet orâ?
Aura, quæ dulci reſonas ſuſurro,
Arborum frondes quatiens virentes,
Cum furit Titan; mea lux, meum cor
Quâ manet orâ?
Fons niger, lætis viduata ramis
Arbor, obſcuri juga montis, herba
Arida, & pratum, coryli, cupreſſi,
Aura valete.
Vos Venus ſpernit, tener & Cupido;
Nox regit denſis tenebris opaca,
Sedibus poſtquam mea lux, meum cor
Non manet iſtis.

Pro Antimacho.

Expoſuit vitam belli qui tempore; vitam
Tranquillæ ſaltem tempore pacis alat.

Danti Aligerio.

Non ego, ſed virtus laudat te: Cynthius alto
Laudatur croceis, quod nitet axe comis.
Carmine ni dulci fleret ſcelus Attica pellex
Tereos, haud claræ nomen haberet avis.
Dulciter obliquis Mæandri funera ripis
Ni ſua cantaret, non coleretur olor.
Lydius auratas quoniam Pactolus arenas
Gignit ad æthereos tollitur aſtra polos.
Cum libet, excelſis bimarem ſub rupibus Iſthmon
Permulcens, Satyros ad tua plectra moves.
Eſt tuus Eurotas, Helicon, Deloſque, Rhoduſque,
Eſt tua Pimplæo quæ cadit unda lacu.
Hectora cur fortem, cur fama canebat Achillem?
Egregios virtus non tacet alma viros.
Nobile laudari decus eſt; rem laudibus aptam
Eximiis facere eſt, ſed magis egregium.

Antonio Caballo.

Accedam tumidas numquid maleſanus ad urbes,
Si nihil eſt in me quod petat urbis amor?
Ambitio cives agitat veſana ſuperbos:
At mihi diſplicuit ſemper inanis honor.
Illorum pectus Craſſi premit improba peſtis:
Me Curii mores, Fabriciique decent.
Furta ſequi Veneris gaudent ſcelerata procaces:
Aligeri fugio tela, faceſque Dei.
Sumen, aprumque vorant; boletos, oſtrea, mullos:
Eſt lactuca ſatis nobilis eſca mihi.
Per fora clamoſas exercent ſtridula lites:
Nil clamore mihi triſtius eſſe poteſt.

Inter

Inter ſe certant odiis, rabidoque furore:
  Dulcia tranquillæ fœdera pacis amo,
Expellunt, rident quem non tegit aurea veſtis:
  Me rudis & pullo vellere læna tegit.
Urbem non igitur poſcam, quæ nil habet urbis:
  Urbs eſt, in medio rure, beata mihi.

Epitaph. Gaſparis Peruſini.

Mucronem dederat cui Mars ferus, ægida Pallas,
  Strenua cui Veneti bellica ſigna duces;
Gaſpar habet corpus tumulo Peruſinus in iſto:
  Mucronem Mars hic, ægida Pallas habet.

De Silvia.

Sit cœli virtus, ſint ſidera fortia quamvis,
  Et valeant vires ſanguinis, atque loci.
Strenuus hinc quis ſit fortis, probus, atque beatus;
  Fortior eſt tamen his imperioſus Amor.
Infortunato nam Silvia nata ſub aſtro,
  Scorpius ardentes cum tenet acer equos:
Vallibus in mediis duro generata ſubulco,
  Inter equos recubans ſemper & inter oves;
Compoſitis loquitur verbis, & murmure blando
  Ruſtica, nil duræ ruſticitatis habet.
Inceſſu graditur lento, riſûſque modeſti eſt:
  Æmula purpureis floribus ora movet.
Naturam, cœli motus, geminoſque parentes
  Sanguinis, atque loci nobilitavit Amor.

Ad Georgium Vallam.

Lumina Niliacæ centum clauſiſſe juvencæ
  Cuſtodem citharæ carmine Mænaliæ;
Hectoreæ Phœbum mirabar Pergama Trojæ
  Concentu querculæ compoſuiſſe lyræ:
Necnon Cadmæas Amphion verſibus arces;
  Placaſſe Eumenides Orphea tartareas.

Iſthmia te bimaris miror nunc ſaxa Corinthi
Tam doctum doctâ ſollicitare chely.
Inter mortales te ſolum mirer ut omnes,
Pierias merito qui coluere Deas.
In Saxum ſatis eſt: quoniam plus vertere ſaxum,
Aſpera quam dulci ſaxa movere ſono.

Ludovico Martinengo.

Forte times, ſævi truculento vulnere fati
Ne rapiat natum mors violenta tuum:
Quod nimium prudens, primis quod ſedulus annis,
Componit, dictat, diſſerit, urget, agit.
Non opus eſt timeas: nam quamvis mors fera; cives
Adſpiciens alios hunc putat eſſe ſenem.
Te ſpectans, puerum vix credit ab ubere raptum.
Bis pater es: natus te patre bis puer eſt.

Ad Marcum Sanutum.

Vis doceam gelidos te pellere, Marce, triones,
Quæque facit Boreas nubila, quæque Notus?
Dic Arabum ſedes, dic te Rhodopeja regna,
Quæque videns geminos, velle ſubire, polos:
Et mox ſidereum fieri ſpectabis Olympum;
Nam Boreas placido flabit & ore Notus.
Quid cupiant homines, cupiunt ſi cernere venti
Te quoque, quos flentes æquora ſurda timent?

Jo. Matthæo Averoldo.

Deſine flere patris ſunus; nam claudat in urnâ
Corpus inane licet, non jacet ille tamen.
Non cedit fatis pietas, non mens proba; non quæ
Laudibus immodicis pervolat aſtra fides.
Dicitur ille mori, qui crimine mortuus, ante
Tela feræ mortis quam pateretur, erat.
Vir probus, hanc moriens vitam quum deſerit, annos
Felices vitæ candidioris agit.

De

De Cane artificioſiſſimè ſculptâ.

Vivam me credis? verum eſt: quæ marmore viva
  Creditur, hæc vitæ munera ſemper agit.

De Caſſandrâ Fideli.

Maturæ gaudete nurus, gaudete puellæ;
  Vos quoque quas pigrâ tardè ſenecta facit.
Nunc quodcumque decus veſtrum eſt; nunc gloria quæq;
  Laudibus ex veſtris, famâque clara venit.
Nunc hederæ vobis dantur, nunc innuba laurus
  Exornat veſtras fronde virente comas.
Quis genus humanum noſcit? Caſſandra quis audet
  Præſcia venturi dicere fata Jovis?
Quis logicæ laqueos, & cæca ænigmata ſolvit?
  Eloquii nectar quis Ciceronis habet?
Iſta, pudicitiæ, Vates, lux unica ſanctæ;
  Inclita cui matres condite templa, Deæ.
Nam dedit æternum vobis quæ nomen, honoris
  Æterni fas eſt ſentiat illa decus.

De Theodoſiâ Joan. Maii uxore.

Currite, cuſtodes: capiet Theodoſia ferrum;
  Currite, vult fati vincere jura ſui;
Conjugis & ſubitâ ſubitos mœſtiſſima caſus
  Morte ſequi: Bruto Porcia caſta ſuo.
Nec tantum ferrum; flammas ſed tollite; flammas
  Nec tantum, ſævæ ſed necis omne genus.
Nam quicumque mori caſto vult captus amore,
  Invenit innumeros queis cadat ille modos.

Ad Pyladem.

Me Saxum dixit, qui noverat omnia vates.
  Sidera Parrhaſio quæ videt urſa polo

Vix natum, fieri me ſaxum vidit amore;
  Vidit, ut in ſaxum me ferus egit Amor.
Duritiâ rigeo; ſub pondere cogor inerti;
  Battus ut & Scyron ſum gravis, & gelidus.
Qualiter, at dices, Muſas Heliconis ab alta,
  Plena Deo quatiens pectora, ſede trahis?
Componis, dictas; facundo diſſeris ore,
  Quid flammæ, quid ſint terra, fretum, Superi.
Non loquor hæc; non hæc lapidoſo pectore manant:
  In me qui vivit ſolus Amor loquitur.

In Aurelium Augurellum.

Phœbus habet citharam, nec non Aurelius, quam:
  Hic ſonat, ille tenet: hic tenet, ille ſonat.

Aliud.

Te ſine, Phœbe, tuus Aurelius unus amatur
  Vatibus; & vates te ſine ſolus amat.

Catella.

Sum quam ſculpſiſti: redeas: hæc gratia rara eſt,
  Cum manus artificis decipit artificem.

Eadem.

Artis, Naturâ periit ſub gloria numquam:
  Sub me Naturæ gloria tota perit.

Epitaph. Ferrandi Regis Neapolitani.

Ferrandus vivo clarus patre, nomine regis;
  Imperii læto clarus & auſpicio:
Vix patre depoſito, rex, non rex, pellitur armis:
  Pulſus adeſt armis, caſtraque ſæva fugat.
Victor obit, clarus fugiens, clarusque triumphans;
  Clarior invicto funere ſed moriens.

De

De eodem.

Vixit Ferrandus, Gallos ut pelleret urbe;
Poſſet & ut patriæ ferre ſalutis opem.
Perdomuit Gallos; patriam ſervavit: ad aſtra
Ne vinci poſſet ſe tulit ante diem.

In obitum Baſſani.

Inclita lætata eſt gemini bis Mantua vatis
Carmine Baſſani, carmine Vergilii.
Inclita triſtata eſt, gemini bis Mantua vatis
Funere Baſſani, funere Vergilii.

De eodem.

Quid fles? quod viridi periit Baſſanus in ævo?
Hoc verum eſt tantum tempora ſi numeres.
Inſpicias ſed ſi, Phœbo dictante ſonoro
Quæ cecinit plectro carmina, Neſtor erat.

Tumulus Lucæ Paſii.

Quid fles? heu, jacet hic quia Lucas Paſius; unus
Eloquio doctus, carmine, jure ſacro.
Falleris: impoſiti ſignum eſt hic funeris: illi
Magnifica eſt tumulus magnificus patria.
Non tumulus domus eſt: populi nam pectore vivit.
Quid fles? viventi non dare fas lacrimas.

Amicæ pictæ.

Quiſquis tam veræ te pinxit imagine formæ,
Qui te Mentoreâ vivere fecit ope;
Ingenio non ille ſuo, non arte magiſtrâ,
Hoc tam divinum fingere quivit opus.
Sed didicit, ſpectans tua lumina; qualiter altâ
Juppiter æthereos pingat in arce Deos.

Hinc vultum fecit tibi talis imaginis; ut ſi
  Pictus uterque tuus, vivus uterque tuus.

Ad Pyladem.

Vivus eram, ſaxum ſi vivit: dulcia verſus
  Cantaſti doctæ fila movens citharæ.
Duritiam poſui; mutavi pondera, mollem
  Saxoſis duxi e cautibus ipſe animam:
Vivere me fateor, vitam te dante beatam:
  Pygmalion fecit quod prece, tu citharâ.

Victori Martinengo.

Maximus es, parvo, Victor, qui corpore, magnas
  Corde potens, vires claudis & exiguo;
Quem colo, quem veneror: tibi diſticha noſtra dicavi,
  Ut tu, quæ parvo corpore ſe capiunt.
Sparſa cadit, fortis vis eſt collecta lapillis.
  Maxima ſub parvis munera ſæpe latent.

Brixiæ.

Egreditur ſemet; non Brixia ſe capit; immo eſt,
  Non una eſt; magni rem tenet imperii.

Bibliopolæ.

Cur emitis gemmas? hæc eſt pretioſa ſupellex.
  Quem latet hoc, veros non habet hic oculos.

BAR-

BARTHOLOMÆI SCALÆ

FLORENTINI.

Præfatio ad Poëtas, ut canant Coſmum Medicem.

SI ſapitis pleno Coſmum canite ore Poëtæ,
Coſmum, qui veſtras nobilitabit opes.
Sive etenim plectro cupitis poſt funera vitam,
Moreque Pindarico condere facta virum.
Victuris certe poterit nil addere chartis
Quiſquam, quod melius barbitos ipſa ſonet.
Sive placet grandi potius reboare cothurno,
Implebunt verſus Coſmica geſta novos.
Quod ſi quem majora juvent, & carmine Divos
Ducere, & heroas ad ſua facta pares.
Nil poterit toto cantari dignius orbe,
Eſt etenim toto dignius orbe nihil.
Ergo ſi ſapitis Coſmum cantate Poëtæ,
Coſmum, qui veſtras nobilitabit opes.

In figuram Coſimi.

Quæ vera eſt Coſmi facies, haud vera videtur:
Diſſimiles adeo longa ſenecta facit.
Talis erat quondam, quem nunc perfectior ætas
Ex homine incœpit fingere velle Deum.

Quæ vera laus ſit Coſmi.

Conſilio polles, & mentis acumine, Coſme,
Qui recte externis conſulis, æque ſuis.

Quem

Quem merito Patriæ dixit Florentia Patrem,
  Namque paris populo commoda mira tuo.
Magnus divitiis partis bene, ſed mage magnus,
  Sic partis quod ſic utere divitiis.
Mirandum ingenium, & rerum doctrina bonarum eſt,
  Ut poſſis priſcos æquiparare patres.
Qui voluit Coſmi divas ſic ſcribere laudes,
  Vera dedit, ſed non carmina digna tamen.
Vult igitur Coſmum digne laudare doceri?
  Sic laudet, laus eſt digna ſed una modo.
Laus Coſmi digna eſt, digne laudare nequire,
  Hoc tantum digne dixeris, inde nihil.

O Coſme, o celebris gloria temporis
Noſtri, & o decus, & præſidium tui,
Privato qui animos pectore Regios
Geſtas par ducibus inclitæ fortibus,
Nullis inferior laudibus omnium,
Seu tu Cecropidûm, ſive Quiritium
Verſaris tabulas, ſeu tibi barbara
Monſtravit potius facta Polymnia,
Nil Coſmo invenias orbe decentius,
Quem Teucri profugi, quemque colunt Dahæ,
Nec non Memnonii gens nigra Dardani;
Quem Gangeſque colit, jamque ſacri lares
Nili multiplicis nomina fluminis
Implerunt Medicum, jurat & oſtrinis
Se ſpectare nihil clarius omnibus;
Non eſt non locus eſt ullus in extimis
Quem tu non decores, Coſme, nec intimis
Qui te non recolat partibus omnibus.
Te miratur Atlas, & tibi vertice
Demiſſo egregiis nutat honoribus;
Semoti penitus orbe Britannici
Mirantur populi, atque ultima, & inſolens
Thyle te titulis proſequitur novis.

Tu gratus Superis, gratus & inferis.
Divûm te pietas, larga benignitas
Talem te faciunt, mille per aurea
Tu delubra micas: nam tibi candido
Mille aræ recalent marmore nobiles;
Tu ſummis decus es, tu mediocribus
Spes certa, & miſeris perfugium bonis;
Te nil eſt melius, nil ſapientius;
Exemptum populum ſeditionibus
Tetris, conſilio qui facis, & metu;
Quem propter populi jure ſuperbiam
Ponunt finitimi: fluctibus impiger
Non certe Eridani vel Tiberis minor
Arnus perfluit: is paceque Lydias
Exornat ſegetes, & parit otia
Tam grata agricolis, grataque civibus.
Fingis Coſme homines moribus optimis,
Civeſque inſtituis juſtitiam ſequi,
Quæ dat Principibus regna potentibus,
Quæ ſervat dominas res bene publicas,
Miranturque homines hanc ſapientiam,
Qua noſtri ſapiunt, nec ſapiunt minus
Externis populis, militiæ, & domi.
Me certe ex humili materia, & rudi
Informique luto alta arte Promethei
Sic finxit me hominem, ſic dedit halitum
Quo ſpiro, & lyricis hæc cano verſibus.
Tandem coccineis veſtis honoribus:
Pro quo quid referes, o mea Barbitos?
Nil eſt quod referas: deſine Barbitos.

JULII CÆS. SCALIGERI

VERONENSIS.

C. Julius Cæſar Dictator.

OMnia qui ſolus fueram, cui Roma triumphus,
  Roma parens, patriæ Roma noverca patri:
Adſum Cæſar, ab extremo cui terminus axe
  Summittit trepidum pronus utrumque caput.
Plus mea mi nocuit pietas, quam Martius hoſtis.
  Hoc, quod non potuit vis, ſcelus eſſe facit.
Ponite ferales animos, turba impia: non me
  Cæditis, hoc Roma eſt, quod manus iſta ruit.

Alexander Magnus.

Materies ego virtutis; mihi ut illa viciſſim
  Fomes inexpleto, qui Jove natus eram.
Nec bello formidavi, nec pace quievi:
  Nec ſenſiſſe novis horrida tela putes.
Veſtro iſto ſed enim orbe mihi cedente priore,
  Alter hic a terris jam capiendus erat.

Sicinius Dentatus.

Si celerem verus vates cecinisset Achillem:
  Poſt famæ celebres ille jaceret opes.
Si mihi mendaci plauſiſſet Græcia linguâ;
  Vix ſatis ad dextræ ſit monumenta meæ.

Ma-

Malo tamen priſcæ præferre inſignia laudis,
Non eſt Romanum fingere, ſed facere.

Maſiniſſa.

Unum conſtitui Heroëm deſcribere: laudes
Obtulit ad meritas ſe Maſiniſſa ſuas.
Virtutem, imperium tacitus contemplor: at unus
Non fuit: hic longè plurimus, unus, erat.
Sortis tentator variæ, victorque malignæ,
Cunctorum expreſſit omnia facta virûm.
Eſt non eſt Regnum: eſt ſemper Maſiniſſa: Triumphi
Romani, ah Romæ pars quoque ſæpe fuit.

Pyrrhus Rex.

Robore nulli, nulli animis, nulli arte ſecundus,
Magno ter tanto major Achille meo;
Veras quæro acies, & veri prœlia Martis,
Qui petat imbelles, malumus eſſe domi.
Aut totum, aut nihil. At parvum nihilo eſt minus: illud
Dedecet Æacidas, progeniemque Jovis.
Nolim exprobretur tenuis victoria Pyrrho.
Vinci a Romanis, vincere pæne fuit.

Annibal.

Sumne ego, qui trepidas fractis cervicibus Alpes
Inſtitui ignoto tramite ferre jugum?
Sumne ego, qui innumerâ confertis cæde maniplis,
Romanos docui ſcire pavere Deos?
Quando ego, qui Italiam fugio, ſum pulſus ab hoſte?
Victorem victo cur patria ore vocat?

Scipio.

Heſperios animos, invictaque robora gentis,
Quoſque dat indomitos Africa terra viros

Per-

Perdomuiſſe, aliquid mihi ſit: victoria, duræ
Victorem Italiæ vincere, ſola fuit.

Plato.

Dic Plato, quid enim fruſtra mea carmina tentent
Aſtra ſubire notis aurea facta tuis?
Non noſtrum eſt: non ulla tuum mortalibus auſis,
Ingenium, & linguam, lingua referre queat.
Ipſe tibi pretium ſolus, tu meta tibi ipſi:
Teque alius, niſi tu, dicere nemo poteſt.

Angelo Politiano.

Ante tuo quam te noſſem de pectore, non te,
Ajebam, decuit, Politiane, mori.
Sive mori decuit: ſed non decuiſſe fatebor;
Ah ſic, ah juvenem, Politiane, mori.
At divina ſemel novi cum pectora, dixi:
Nec juvenem, nec jam, Politiane, mori.

Joannes Picus Mirandula.

Heroas cur non implet Mirandula noſtros?
Mortali ſcribi non valet ille manu.

Marſilio Ficino.

Sancta anima, & cœlum tibi tu quæ ſæpe fuiſti,
Spira in me raci flamina pura boni
Ter cœli ſocia es, ter magni civis Olympi,
Ter comes, in gremium pulchra recepta, Dei.
Cum fluis ex aſtris, divi momenta Platonis
Cum capis, & nunc te cum Jovis aula capit.

Hecu-

Hecuba.

Quis potis æterni pœnas evolvere luctus?
Heu heu, hæc mea ſunt omnia verba: fui.
Felix cui ſolum hoc ſupereſt: qui ſemper acerbi
Non ſit ſpectator funeris ipſe ſui.
Vixi, ut non moriar, vos, ô, qualem eſſe putetis,
Quæ pro ſupplicii fœnore vita datur?

Artemiſia.

In te vivebam tecum vivente, marite:
Nec potui tecum poſt moriente mori?
Quin potui: ſed non poterat nos jungere mors hæc.
Hoc vetuit: non vis defuit illa mihi.
Morte invita igitur, intra mea pectora vives:
Cumque ſuâ conjux conjuge totus erit.

Beatrix Aragonia Matthiæ Corvini, Hungariæ Regis.

Nil dabis? omnia debentur: dabis omnia? nil hoc.
Largior, & major omnibus una bonis.
Hungarus hoc alios ſuperat Rex: illa Maritum.
Nec Fors demiſit mentem, animumque pium.
Hoſpes in antiquâ patriâ, non ſe hoſpes in ipsâ
Una aliorum omnium tota, ſed una ſua.
Hoc iterum nihil eſt: terrena dat, hæc quia ſpernit.
Verum aperit cœlum, cujus imago fuit.

Ad Hieronymum Fracaſtorium.

Os Fracaſtorio naſcenti defuit: ergo
Sedulus attenta finxit Apollo manu.
Inde hauri, Medicuſque ingens, ingenſque Poëta;
Et magno facies omnia plena Deo,

Ad Petrum Bembum.

Si probitas, pietas, gravitas, animuſque quietus
  Cedunt iis numeris, qui Ciceronis erant:
Sic palmam ex Cicerone feram, ſin gloria major
  Ex illis, palmam de Cicerone feram.

FINIS.

INDEX

Rerum notabilium, quæ continentur

IN TOMO OCTAVO.

A

ABel a fratre occiſus. pag. 272.
Abraham 272.
Achilles 3. 207.
Accoltus Benedictus laudatus 102.
Adam 272. peccat 289. 324. 349.
Ægeria 194.
Æneas 208. Didonem deſerit 442.
Æſtas 174.
Ætas aurea deſcribitur 33. 48. 97. 143. 241. 353.
Ætas ferrea 231. 284. 285.
Æternitati conſulendum 199. 164.
Affectus animi varii 102. 103. 162.
Agamemnon 204.
Alciatus Andreas laudatus 79. 182.
Aldovrandus Ulyſſes 184.
S. Alexius Romam relinquit 101.
Alexander VII. Pontifex Max. Laudatus 91. 92.
Muſarum amicus 93.

Alexander Macedo 16. 204. 492. *vicit alios non ſeipſum* 54.
Alfonſus Aragonius 401. 402. 438. 440.
ad *Alfonſum Ferrariæ Principem* 61.
Allegrectus Jacobus laudatus 293.
Amantis querimonia 41. 94. 115. 119. 156. 369. 372. 385. 411. 472. *ipſius affectus varii* 162. 445. *ſollicitudines* 38. 39. 411. 444. 456.
Amicitia 244. &c.
Ammannatus Architectus 307.
Amor non curat opes 40. *conſtans* 387. *in odium vertitur* 378. *in Amorem* 52. 53. 198. *amor militia eſt* 111. 129.
Amor marmoreus dormiens 160. 161. *amor thureus* 197. *amor fugitivus* 464. *ejus vituperatio* 165. *amor gloriæ* 395. *voluptatis* 396. *famæ* 450. *ejus vis omnia ſuperat* 474. 475. *crudelitas* 480.
Amphion 67 287. 483.
Amyntas anguis morſu perit 100.
Angelorum concentus 287. 288. 344. 354.
Angelus ad Mariam Virginem mittitur 324.
Angeli in rerum exordio peccant 349.
Angelus Politianus laudatus 479. 494.
Animi dotes 17.
D. *Anna Mariæ Virginis Parens* 460.
Anna Galliarum Regina 2. *ejus obitus* 14. *laus* 15. *in eandem monodia* 24. 25.
Anni exordium 97. 112. 136. 406.
Annibal Carthaginenſis 493.
Annibal Carus 136.
Antenorius Ludovicus laudatus 321.
Antigonus Pyrrho perſolvit inferias 204.
Apes Cupidinem pungunt 53.
Apollo 424. *ejus ſtatua* 197.
Apoſtoli ad prædicandum pergunt 280. 281.
Appius Claudius 209.

Aqui-

Aquivivus Joannes Hieronymus laudatus 139. *Julius* 420. *Andreas Matthæus* 449. 456.
Arbores variæ 263. 481.
Arion cytharœdus 205. 288.
ad *Arnaldum Villanovanum* 78.
Arnus laudatus 57. 72. 319.
Ars divinandi firmiſſimè refellitur 293. *&c.*
Artemiſia 211. 495.
Aſtrorum enumeratio 267.
Aſtrorum vim in nos nullam eſſe demonſtratur 294. *&c.* 299.
Atramentum ſcriptorium 436.
Atrei ſcelus 215.
Avaritiæ effectus 394.
Auguſtus totius orbis populos cenſeri jubet 338. *populorum enumeratio* 339. *Auguſti laus* 454.
Avium cantus 47.
Aurora 69. 176. 146. 262. 361. 465.
ad *Auram hymnus* 152. 481.
Auſtrius Joannes victor ex Turcis 165.
Auxilium mutuo præſtandum 206.
Azolinus Patavii tyrannus 56.

B

B*Abylon pag.* 3.
Bacchus 14. *laudatus* 125. 126. 196. 409.
Baptiſta Chriſti præcurſor 270. *capite plectitur* 276.
Barclajus Joannes 85.
Beati qui modico contenti ſunt 239.
Beatorum ſeries, & ordo 270. *illorum ſedes* 272. 335. *quibus pateat* 287.
Bellajus Joannes Cardinalis 218. 219. 220.
Bellum 18. 50. 51. 56. 59. 61.
Bellum Turcarum 248. 284.

Bembus Petrus 496.
Benivenius Antonius 35.
Benius Paulus 77. 84.
Beroaldus Philippus moritur 7. *ejus laus ſequentibus.*
Bethlem 342.
Bonamicus Lazarus laudatus 81.
Bootes 16 167.
Borbonius Franciſcus 62.
Borgia Ceſar 432. *vituperatur* 442. 444. in *Bubonem* 450.

C

CAbanilius Trajanus Troja, ac Montelle Dominus laudatus pag. 380.
Cajus Fabius 200.
Camerota in ſcopulum vertitur 170. 171.
Caraffa Alfonſus Cardinalis laudatus, 162.
Cardui fabula 172.
Carmenta Evandri mater 73.
Carmina vincunt gemmas 2. *famam pariunt* 148. 159. 310. *laſciva contemnenda* 7. *varia carminum genera* 21. 22. *intercalare* 39. 40. 305. 378. *hendecaſyllabum* 90. 180.
Carolus V. Ceſar laudatus 149.
Carthago diruta 441.
Caſa Joannes 77.
Caſtor 244. *inter ſidera collocatur* 245.
Cato Uticenſis 207. 208. 211. 213. 418. 456. 461.
Catullus emendatus 431.
Cellinus Benvenutus 307.
Centaurus Chiron 212.
Charites 196. 197. 199.
Chiſia domus laudata 98.

Chri-

Chriſti miracula 357.
Chriſtus Jeſus naſcitur 153. 269. 289. 344. *totus orbis in ejus nativitate deſcribitur* 339. *locus in quo naſcitur* 343. *pauper naſcitur* 347. *adoratur a jumentis* 345. *a paſtoribus* 352. 353. *a tribus regibus orientalibus* 270. 330. *diſſerit cum doctoribus* 331. *baptizatur* 356. *in cruce moritur* 6. 189. 331. 333. 362. *reſurgit* 279.
Cicero patria deturbatus 105. 106. *laudatus* 212.
Cimon Athenienſis 206.
Cœlitis inſigne factum 209.
Cœlorum Regnum 230.
Collatinus 201.
Columna Hieronymus 77. *Victoria* 148. 155. 224.
Cometa 264.
Comminez Philippus 78. *Jacobus* 181.
Conſolatio ad parentem in obitu filii 133.
Conſtantino prælianti crux apparet 277.
Cor regina urnâ clauſum 21.
Corona datur legitime certantibus 287.
Corporis dotes 17.
Creatio rerum 274. 288. 298. 348. 355.
Cremoninus Caſar ſcriptis ſuis famam aſſequutus 85.
Creſi filius mutus 205.
Critonius Jacobus 83. 184.
Crucis Chriſti laudes 132.
Cumarum ruinæ 414.
Cupidinis ſagittas 53. 475. *ejus jurgium cum Pallade* 196. *pungitur ab Apibus* 53. 124. *a Mercurio decipitur* 435. *jurgium cum Jove* 455.
Curæ urbanæ quietem non admittunt 222, 320.
Curtius Roman. Eques pro patria moritur 202. *ejus factum fuſe deſcribitur* 231. &c. *laudatur* 232.
Cyparißus puer 441.

D

DAntis carmina in latinum verſa pag. 298. 299. ejus laudes 482.
David 273.
Deus Pater 348. Deus Judex 364. ad Deum deprecatio 261. 291. pro bello adverſus Turcas 185. 256. 284. pro Eccleſia in pejus labente 285. 286. ad Deum hymnus 4. Dei providentia 106. 107. 190. &c.
Diana 147. 451.
ad Dianam deprecatio 173. 177.
Dies genialis 444.
Dionyſius Areopagita 276.
Dives ſictus 439.
Divitiæ contemnendæ 265. 415.
Diluvium univerſale 289.
Doloris vis 8. 9. &c. 14. 20. 206. 245. 366. 391.
Domus extruendæ ratio 425.
Dux Reipublicæ Genuenſis faſces Magiſtratus attollit 94.

E

ECho loquitur pag. 447. 448.
Eccleſia ſub allegoria navis exprimitur 285. 286.
Ecloga Piſcatoria 365. 369. 371. 374. 377. 380.
Elegia 7. 14. 384.
Eleonora uxor Petri Medicis 36.
Elias, & Enoch vivunt adhuc 282. in fine mundi apparebunt 283.
Empyreæ ſedis deſcriptio 269. 271. 272. &c. 348.
Enoch vivit adhuc 282.

Epitaphium Philippi Beroaldi 11. *Annæ Gallorum Reginæ* 21. 22. 24. *Jacobi Scotorum Regis* 26. *Ferdinandi I. Neapolitani Regis* 156. *Ferdinandi II. & Federici ibid. Cardinalis Alexandri* 217. *Ambroſii Politi* 220. *Antonii Pucci Cardinalis* 222. *Bartholomæi Stellæ* 223. *Phyllidis* 368 *Baſſani* 476. 477. 487. *Gaſparis Peruſini* 483 *Ferrandi Regis Neapolitani* 486. 487. Vide Tumulus.

Epulis indulgendum 123. *poſt illas rixæ* 196.

Equus ferox 236.

Etruſcorum virtus in rebus bellicis 301. 302. *&c.*

Etruſci cum Gallis pugnant 304. *vincunt* 305.

Eurydices 10.

Exemplum verba corroborat 182.

F

F*Abius, & Camillus pag.* 211. de *Fabiis CCC.* 202.

Fabula Cametotæ in ſcopulum verſa 168. 170. 171. *Cardui* 172. *Jole* 175. *&c. Neſides nymphæ* 145. *aliarum* 117. 381. 383. 406. *Niobes* 212. 214. 215. 216. *Papilionis* 95.

Fama vincit mortem 26. *velox* 71. 150.

Fata virtute calcantur 86. *fata vere non ſunt* 106. *validis rationibus confutantur* 294. *&c.*

Feltrius Franciſcus Maria Urbinat. Dux 61.

Femina malorum cauſſa 476. *ejus nulla fides* 475.

Feminæ durities, & inconſtantia 127. *fortitudo* 155. *pulchritudo* 155. 178. 476. V. Puella.

Ferdinandus Aragonius Dux Calabriæ 374. 434. *Alfonſus filius* 401. 438. *Federicus plene laudatus* 417. *&c.* 427. 429. 430. 431. 437. 448.

Fernelius Joannes 80.

Florentia laudata 74.

Flores varii 176. 200. 263.

Fluminis ripa 47. 200.

Fons 89. 99. 100. 114. 146. 148. 151. 153. 263. 457. 481.

Fortuna instabilis 3. 23. 55. 278. 298. *ejus bona* 17. *omnipotens* 103. *ad eam deprecatio* 104. *deſcribitur ibid.*

Forma per ætatem perit 336.

Franciſcus primus Gall. Rex 216. 218. *laudatus* 219. *ejus imago* 221.

Fregoſius Federicus laudatus 242. *Octavius* 245.

Fulgoſius Aurelius laudatus 301.

Fulmina 264.

Furſtembergius Ferdinandus 87.

G

G*Anymedes pag.* 264. 461.

D. Gaudioſo hymnus 465. 466.

Gemma miro artificio elaborata 433.

Gemmæ, & lapides pretioſi 269. 415.

Gigantes 203. 375. *in Superos bella movent* 446. 468.

Gonzaga Scipio S. R. E. Cardinalis 98. *Veſpaſianus laudatus* 134. *Hippolyta* 164.

Gottofredus Bullionius 55. 56.

Guicciardinus Franciſcus laudatus 182.

H

H*Avalus Ferdinandus Piſcariæ Princeps pag.* 468.

Hector 209.

Henricus Rex Gall. filium ſuſcepturus 216. *laudatur* 217. 222.

Hercules 3. 65. 116. *ejus res geſtæ* 117. 118. 267. 375.

Aquivivus Joannes Hieronymus laudatus 139. *Julius* 420. *Andreas Matthæus* 449. 456.
Arbores variæ 263. 481.
Arion cytharœdus 205. 288.
ad *Arnaldum Villanovanum* 78.
Arnus laudatus 57. 72. 319.
Ars divinandi firmiſſimè refellitur 293. &c.
Artemiſia 211. 495.
Aſtrorum enumeratio 267.
Aſtrorum vim in nos nullam eſſe demonſtratur 294. &c. 299.
Atramentum ſcriptorium 436.
Atrei ſcelus 215.
Avaritiæ effectus 394.
Auguſtus totius orbis populos cenſeri jubet 338. *populorum enumeratio* 339. *Auguſti laus* 454.
Avium cantus 47.
Aurora 69. 176. 146. 262. 361. 465.
ad *Auram hymnus* 152. 481.
Auſtrius Joannes victor ex Turcis 165.
Auxilium mutuo præſtandum 206.
Azolinus Patavii tyrannus 56.

B

B*Abylon pag.* 3.
Bacchus 14. *laudatus* 125. 126. 196. 409.
Baptiſta Chriſti præcurſor 270. *capite plectitur* 276.
Barclajus Joannes 85.
Beati qui modico contenti ſunt 239.
Beatorum ſeries, & ordo 270. *illorum ſedes* 272. 335. *quibus pateat* 287.
Bellajus Joannes Cardinalis 218. 219. 220.
Bellum 18. 50. 51. 56. 59. 61.
Bellum Turcarum 248. 284.

Floret vacui 176. 200. 263.
Fluminis ripæ 47. 200.
Fons 89. 99. 100. 114. 146. 148. 151. 153. 263. 457. 481.
Fortuna instabilis 3. 23. 55. 278. 298. *ejus bona* 17. *omnipotens* 103. *ad eam deprecatio* 104. *deſcribitur ibid.*
Forma per ætatem perit 236.
Franciſcus primus Gall. Rex 216. 218. *laudatur* 219. *ejus imago* 221.
Fregoſius Rodericus laudatus 242. *Octavius* 245.
Fulgoſius Aurelius laudatus 391.
Fulmina 264.
Furſtembergius Ferdinandus 87.

G

Ganymedes pag. 264. 461.
D. Gaudioſo hymnus 465. 466.
Gemma miro artificio elaborata 433.
Gemmæ, & lapides pretioſi 269. 415.
Gigantes 203. 375. *in Superos bella movent* 446. 468.
Gonzaga Scipio S. R. E. Cardinalis 98. *Veſpaſianus laudatus* 134. *Hippolyta* 164.
Gottofredus Bullionius 55. 56.
Guicciardinus Franciſcus laudatus 182.

H

Havalus Ferdinandus Piſcariæ Princeps pag. 468.
Hector 209.
Henricus Rex Gall. filium ſuſcepturus 216. *laudatur* 217. 222.
Hercules 3. 65. 116. *ejus res geſtæ* 117. 118. 267. 375.

Hie-

Chriſti miracula 357.

Chriſtus Jeſus naſcitur 153. 269. 289. 344. *totus orbis in ejus nativitate deſcribitur* 339. *locus in quo naſcitur* 343. *pauper naſcitur* 347. *adoratur a jumentis* 345. *a paſtoribus* 352. 353. *a tribus regibus orientalibus* 270. 330. *diſſerit cum doctoribus* 331. *baptizatur* 356. *in cruce moritur* & 189. 331. 333. 362. *reſurgit* 279.

Cicero patria deturbatus 105. 106. *laudatus* 212.

Cimon Atheniensis 206.

Cœlitis inſigne factum 209.

Cœlorum Regnum 230.

Collatinus 201.

Columna Hieronymus 77. *Victoria* 148. 155. 224.

Cometa 264.

Comminez Philippus 78. *Jacobus* 181.

Conſolatio ad parentem in obitu filii 133.

Conſtantino prœlianti crux apparet 277.

Cor reginæ urnâ clauſum 21.

Corona datur legitime certantibus 287.

Corporis dotes 17.

Creatio rerum 274. 288. 298. 348. 355.

Cremoninus Caſar ſcriptis ſuis famam aſſequutus 85.

Creſi filius mutus 205.

Critonius Jacobus 83. 184.

Crucis Chriſti laudes 132.

Cumarum ruinæ 414.

Cupidinis ſagittas 53. 475. *ejus jurgium cum Pallade* 196. *pungitur ab Apibus* 53. 124. *a Mercurio decipitur* 435. *jurgium cum Jove* 455.

Curæ urbanæ quietem non admittunt 222, 320.

Curtius Roman. Eques pro patria moritur 202. *ejus factum fuſe deſcribitur* 231. &c. *laudatur* 232.

Cypariſſus puer 441.

C. *Julius Cæſar dictator* 492.
Julio III. Pont. Max. gratias agit poëta 222.
ad *Junonem in die Natali* 413.
Juſtinus Martyr 277.
Juſtitia non habitat in terris 284. 394. *ſtatua ſuper columna* 307.
Juſtus Lipſius 183.

L

L*Ætitia pag.* 350. *mortis cauſſa* 207.
Lampridius laudatus 218.
Laocoontis ſtatua admirabilis artificium deſcribitur 228 *&c.*
Laurus 459.
Laus Philippi Beroaldi 7. 8. 9. *&c. Annæ Galliarum Reginæ* 15. *Joannis Auſtriaci* 51. *Totilæ Gothorum Regis* 55. *Gothofredi Ballionii* 55. 96. *Roberti Neapolitani Regis* 56. *Job Archiepiſcopi Genuenſis* 57. *Sfortiæ* 58. *Nicolai Urſini* 59. *Claricis Urſinæ* 131. *Jacobi Trivultii* 60. *Alfonſi Ferrariæ Principis* 61. *Franciſci Mariæ Feltrii* 61. *Coſmi Medicis* 62. 159. *Franciſci* 64. 65. *totius Mediceæ Domus* 73. 74. *&c. Philippi Comminez* 78. *Hieronymi Vidæ* 79. *Andreæ Alciati*, *& Veſalii ibidem. Epiſcopi* 80. *Philoſophi* 81. 82. 183. 184. 386. *Hiſtorici* 84. *Poëtæ* 83. 88. 99. 105. 130. 154. 168. 218. 293. *Pontificis* 91. 163. 182. 249. *Cardinalis* 108. 144. 162. 165. 181. 218. *Caroli V. Cæſaris* 149. 150. D. *Lucæ Evangeliſtæ* 187. *&c. Franciſci Regis Gall.* 219. *Joannæ Aragoniæ* 247. *Alfonſi* 401. 402. *&c. Federici, ſimulque totius Familiæ* 417.
Lazarus 276.
Leo X. Pont. Max. 216.

Leo-

Epitaphium Philippi Beroaldi 11. *Annæ Gallorum Reginæ* 21. 22. 24. *Jacobi Scotorum Regis* 26. *Ferdinandi I. Neapolitani Regis* 156. *Ferdinandi II. & Federici ibid. Cardinalis Alexandri* 217. *Ambroſii Politi* 220. *Antonii Pucci Cardinalis* 222. *Bartholomæi Stellæ* 223. *Phyllidis* 368 *Baſſani* 476. 477. 487. *Gaſparis Peruſini* 483 *Ferrandi Regis Neapolitani* 486. 487. ; Vide Tumulus.

Epulis indulgendum 123. *poſt illas rixa* 196.

Equus ferox 236.

Etruſcorum virtus in rebus bellicis 301. 302. &c.

Etruſci cum Gallis pugnant 304. *vincunt* 305.

Eurydices 10.

Exemplum verba corroborat 182.

F

F*Abius*, & *Camillus pag.* 211.
de *Fabiis* CCC. 201.

Fabula Canetoſa in ſcopulum verſa 168. 170. 171. *Cardui* 172. *Jole* 175. &c. *Neſides nympha* 145. *aliarum* 117. 381. 383. 406. *Niobes* 212. 214. 215. 216. *Papilionis* 95.

Fama vincit mortem 26. *velox* 71. 150.

Fata virtute calcantur 86. *fata vere non ſunt* 106. *validis rationibus confutantur* 294. &c.

Feltrius Franciſcus Maria Urbinat. Dux 61.

Feminæ malorum cauſſa 476. *ejus nulla fides* 475.

Feminæ durities, & *inconſtantia* 127. *fortitudo* 155. *pulchritudo* 155. 178. 476. V. Puella.

Ferdinandus Aragonius Dux Calabriæ 374. 434. *Alfonſus filius* 401. 438. *Federicus plene laudatus* 417. &c. 427. 429. 430. 431. 437. 448.

Fernelius Joannes 80.

Florentia laudata 74.

C. *Julius Caſar dictator* 492.
Julio III. Pont. Max. gratias agit poëta 222.
ad *Junonem in die Natali* 413.
Juſtinus Martyr 277.
Juſtitia non habitat in terris 284. 394. *ſtatua ſuper columna.* 307.
Juſtus Lipſius 183.

L

L*Ætitia pag.* 350. *mortis cauſſa* 207.
Lampridius laudatus 218.
Laocoontis ſtatua admirabilis artificium deſcribitur 228 &c.
Laurus 459.
Laus Philippi Beroaldi 7. 8. 9. &c. *Anna Galliarum Regina* 15. *Joannis Auſtriaci* 50. *Totila Gothorum Regis* 55. *Gothofredi Ballionii* 55. 56. *Roberti Neapolitani Regis* 56. *Job Archiepiſcopi Genuenſis* 57. *Sfortia* 58. *Nicolai Urſini* 59. *Claricis Urſina* 131. *Jacobi Trivultii* 60. *Alfonſi Ferraria Principis* 61. *Franciſci Maria Feltrii* 61. *Coſmi Medicis* 62. 159. *Franciſci* 64. 65. *totius Medicea Domus* 73. 74. &c. *Philippi Comminez* 78. *Hieronymi Vida* 79. *Andrea Alciati*, & *Veſalii ibidem. Epiſcopi* 80. *Philoſophi* 81. 82. 183. 184. 386. *Hiſtorici* 84. *Poëta* 83. 88. 99. 105. 130. 154. 168. 218. 293. *Pontificis* 91. 163. 182. 249. *Cardinalis* 108. 144. 162. 165. 181. 218. *Caroli V. Caſaris* 149. 150. D. *Luca Evangeliſta* 187. &c. *Franciſci Regis Gall.* 219. *Joanna Aragonia* 247. *Alfonſi* 401. 402. &c. *Federici, ſimulque totius Familia* 417.
Lazarus 276.
Leo X. Pont. Max. 216.

Hiemis deſcriptio 262.
Hieraſolyma 192.
Hiſpanorum Regum pietas 277.
Hiſtoria vita temporum 63. *per eam fama viget* 80.
Homerus 77. 201. 206. 212. 214. 424. *ejus Patria* 450 *in Latinum verſus* 461.
Hortus deſcriptus 41. 157.
Hylas aquis merſus 100.
Hymnus 4. 185. 187.

I

Jacobus Scotorum Rex pag. 26.
D. *Jacobus Picenus* 392. *ejus vitæ ratio ibid.*
ad *Janum deprecatio* 98. 425. *ei feſtus dies* 112. 113. 136.
Icarus 474.
Impoſſibilia 41.
Imprecatio 306.
Inferorum deſcriptio 329. 335.
Ingenia hominum varia 7. 242.
Innocentes pueri ab Herode occiſi 350.
Joannes Apoſtolus 281. *ejus res geſtæ* 282. *apparebit in fine mundi* 283.
Joanna Aragonia laudata 247.
ad *Joannem Auſtriacum* 50.
Job Archiepiſcopus Genuenſis 57. *ejus laus ibid.*
Jannes Pardus Philoſophus laudatus 386.
Iolas in florem vertitur 175. &c.
Jordanes 355.
Joſeph filius Jacob 273.
Joſue 273.
Jovis ſidus 266. *ejus in amores facilitas* 475.
Iſabellæ Aragoniæ triumphus 153.
Judith 273.

C. Ju-

C. Julius Ceſar dictator 492.

Julio III. Pont. Max. gratias agit poëta 222.

ad *Junonem in die Natali* 413.

Juſtinus Martyr 277.

Juſtitia non habitat in terris 284. 394. *ſtatua ſuper columna*. 307.

Juſtus Lipſius 183.

L

L*Ætitia pag.* 350. *mortis cauſſa* 207.

Lampridius laudatus 218.

Laocoontis ſtatua admirabilis artificium deſcribitur 228 *&c.*

Laurus 459.

Laus Philippi Beroaldi 7. 8. 9. *&c. Anna Galliarum Regina* 15. *Joannis Auſtriaci* 50. *Totila Gothorum Regis* 55. *Gotbofredi Bullionii* 55. 56. *Roberti Neapolitani Regis* 56. *Job Archiepiſcopi Genuenſis* 57. *Sfortia* 58. *Nicolai Urſini* 59. *Claricis Urſina* 131. *Jacobi Trivultii* 60. *Alfonſi Ferraria Principis* 61. *Franciſci Maria Feltrii* 61. *Coſmi Medicis* 62. 159. *Franciſci* 64. 65. *totius Medicea Domus* 73. 74. *&c. Philippi Comminez* 78. *Hieronymi Vida* 79. *Andrea Alciati*, *& Veſalii ibidem. Epiſcopi* 80. *Philoſophi* 81. 82. 183. 184. 386. *Hiſtorici* 84. *Poëta* 83. 88. 99. 105. 130. 154. 168. 218. 293. *Pontificis* 91. 163. 181. 249. *Cardinalis* 108. 144. 162. 165. 181. 218. *Caroli V. Ceſaris* 149. 150. D. *Luca Evangeliſta* 187. *&c. Franciſci Regis Gall.* 219. *Joanna Aragonia* 247. *Alfonſi* 401. 402. *&c. Federici, ſimulque totius Familia* 417.

Lazarus 276.

Leo X. Pont. Max. 216.

Leva Antonii effigies 61.
Libera hominum voluntas 299.
Librum malum 448.
Linguæ uſus qualis 217.
Linus cytharœdus 287.
Lorechius Odettus 60.
in D. *Lucam Evangeliſtam hymnus* 187.
ad *Lucinam deprecatio* 389.
ad *Lucium Craſſum* 384.
Ludi popularis 71. *Ludus talorum* 217.
Ludovici Gallorum Regis pietas 277. 278.
Luna 434.
Luſus paſtoritius 94.

M

Majoregius Marcus Antonius pag. 183.
Majus Menſis 139.
Mala punica laudata 415.
in *Maledicos* 399.
Mantua 419.
Marcianum ab Etruſcis recuperatum 305.
Margarita Scotorum Regina 26.
Maria Aragonia 164.
ad *Mariam Virginem deprecatio* 70. *hominum Patrona* 275. *ad eam hymnus* 320.
Maria Virgo Dei Mater ab Angelo ſalutatur 326. *concipit* 328. *Eliſabeth inviſit* 335. *mutua am-ambarum colloquia* 336. *Bethlem petit ſimul cum Joſepho* 341. *parit* 344.
Maria juxta crucem filii 332.
Maritus uxorem mortuam deflet 177. &c.
Marius Romanus 3.
Marſilius Ficinus 494.
Martinengus Ludovicus laudatus 484. *Victor* 488.

Martiranus Berardinus in Patriam revocatur 234.
Martis ſidus 266.
Matthaeus Petrus hiſtoricus laudatus 84.
Mazonius Jacobus mente captus 83.
Medices Coſmus laudatus 62. 159. 301. 308. 389. 490. *Magnus Dux Etruriae ſalutatur* 312. *Franciſcus* 64. *ei Filius naſcitur* 68. 308.
Medicea domus laudata 73. 74. 301. 305.
Mercurii Sidus 266.
in *Milite quot requiruntur* 165.
Minerva 14. 61. 74.
Mirandula Picus laudatus 479. 494.
Miracula Chriſti 357. *&c.* 360.
Montaltus Ludovicus laudatus ex nomine 410.
Mores hominum corrupti 285. 299.
Moronus Joannes Cardinalis 165.
Mortis recordatio utilis 4. *mors ſuperba* 8. 23. 429. *luctûs cauſſa* 20. 66. 391. 453. *ejus effectus* 67. *malorum finis* 148.
in *Morte Chriſti* 333. 362.
in *Morte Philippi Beroaldi* 7 11. *Annae Gallorum Reginae* 14. 24. *Jacobi Scotorum Regis* 27. *Eleonorae uxoris Petri Medicis* 36. *Dionyſii Petavii* 90. *Martiae Capiciae* 119. *Antonii Epicuri* 130. *Pictoris* 147. *Portiae Capiciae* 166. 177. *Aſtiamadis* 200. *Collatini* 201. *Orphei* 202. *Marci Bruti* 215. *Auguſtini Barbadici* 246. *Ludovici Antenorii* 321. *Phyllidis* 366. *Sani Brancatii* 391. *Actii Synceri Sannazarii* 398. *Puellae* 440. *Peti Compatris* 452. *filii unici* 460. *Angeli Politiani* 479. *ibid. Joannis Pici Mirandulae.*
Moſes 273.
Muſettola Jo: Franciſcus aegrotat 137. *laudatur* 138.
Muſſus Cornelius Epiſcopus Bituntinus 8. 182.
Mutius Scaevola 205. 210. 223.
Myrtus Veneri ſacra 149.

Nar-

N

NArſetis effigies pag. 55.
Natalis Altilius vates 429.
D. Nazarii Martyris dies feſtus 404. 459. ad ipſum hymnus 462. 467.
Neptunus 252.
Nereidis cujuſdam cantus 168.
Neſis Nympha in ſcopulum verſa 145.
Niobe 212. 214. 215. 216.
ad Nitedulam 162.
Nobilitas in virtute conſiſtit 81.
Noe 272. 289.
Nolæ urbis etymologia 445.
Nox deſcribitur 69. 124. 258. 343. 369.
Numa Pompilius 54. 207.
Nympha herculea caſus 117.
Nympha Penea in arundinem verſa 381. alia in ſalices 383. alia in morum candidam 406. &c.

O

OPes contempta pag. 188. 239. &c.
Oraculi reſponſum: extabis ſupra Reges & Duces: quomodo adimpletum ſit 470.
Oratio Ducis ad milites ante pugnam 254.
Oratio Deo gratiſſima 290. quid in ea petendum 291.
Orpheus 10. 14. 447. cantu omnia trahit 107. 110. 202. 287. 288. 390. 479.
in Ortum Magni Principis Etruriæ 68.

P

PÆſti ruina pag. 141.
Palinurus cantu decipitur 169.
Pallas 153.
Pan Lunæ amator 451.
Papilionis fabula.
Paradiſi terreſtris flumina 288. 289.
Paridis judicium 447. ejusdem rapina 478.
de Partu Virginis 323.
Paſtor in carduum verſus 172. &c.
Paulus IV. Pont. Max. ægrotat 163.
Paulus III. Pont. Max. 221.
D. Pauli Converſio 101. 190. 276.
D. Paulus heremita 277.
Peccati Adam effectus 324.
Pelicanus pullos ſuos nutrit proprio ſanguine 101.
Perſei ſtatua ænea 307.
Petavius Dionyſius 90.
Petrarcæ cantilena verſio 44. ejus laus 57.
D. Petrus Cœlorum cuſtos 28. 270. 283. Deum pro Eccleſia labente deprecatur 285. 286.
Phaëton 199.
Philomela 14.
Phœbus 14. 20. oritur 47. 64. 70. 74. 77. 81. 94. 95. 116. 266. 435. ad ipſum deprecatio 137. laudes ibid. & 263. &c.
Phœnix 346.
Phyſica quid 183. 184. ejus quæſtiones 187. &c. 140. 386.
Piccolomineus Franciſcus laudatus 42. Cornelia parit 389.
Pictura 477. 480. 487.

Pietatis officia 18. 451. *pietas & fortitudo* 55.
Pindarus 213.
Piſcatio 271.
Piſces varii 373.
Pius V. Pont. Max. fœdus contra Turcas componit 247. *&c. ab ipſo Coſmus Medices regiâ coronâ inſignitur* 312.
Plato 494.
in *Poculum argenteum* 52.
Poëſeos ſtudium amplectendum 310. *&c.*
Poëtæ antiqui 401.
in *Poëtam malum* 89. 300. 441.
Poëtam pœnitet ſe obſcœna loquutum 179.
Poëta laudatus 9. 83. 88. 247. 293. 399. 477. 479.
Politianus Angelus laudatus 479. 494.
Pompejus 214. *Mithridate victo quid geſſerit* 203.
Pons Divæ Trinitati Ammanati modulo conſtruitur 307.
Porta Joannes Baptiſta 183.
Porus Indorum Rex 203.
in *Principe quot dotes requirantur* 308. 309.
Prometheus 67. 240. *&c.* 267.
Protheus 357. 360. 367. 373.
Providentia Divina 106. 107. 190. *&c.* 286. 287.
Puella mortua adhuc pulchra 36. 446. *pulchra, ſed dura* 38. 117. 127. *puellæ diſceſſus* 39. *præſentia dulcis* 42. *reditus deſideratur* 43. 124. 469. *ſuperba* 52. 95. 109. 113. 121. *oculis enecans* 115. 119. 147. 148. *infida* 121. 122. 127. 452. 474. *puellæ fides promittitur* 387. 470. *puellarum illecebræ amabiles* 471.
Pueri tres in fornacem miſſi 274.
Pugna Actiaca navalis 50. 51. *&c. item* 257. *deſcribitur* 304.

Pyrrhus Rex 493.
Pythagoras 208.

Q

Q*Uadrigæ curſus pag.* 242.
Quæſtiones phyſicæ 140. &c. 187.
de *Quinctio Curtio* 230. &c.
in *Quintium* 435.

R

R*Hamnuſius Hieronymus pag.* 33.
de *Rhondone* 107.
Robertus Neapolitanus Rex laudatus 56.
Romæ laudes 3. 418. 419. 454. *potentia* 20. 198. 236. 278. 342. *pietas, & fortitudo* 54. 57. 248. *ad Deos tutelares deprecatio* 234.
Romulus Jovem alloquitur 235.
Rondinellius Joannes 67.
Roſa laudata 121. 147.
Rota Alfonſus 112.
Ruris cura jucunda 32. 386. *ejus munera* 112. 113. 157. *laudes* 120. 121. 143. 150. 240. 427.

S

S*Acrificium Plutoni pag.* 233.
Salviatorum familia laudata 108.
Sangrius Placidus laudatus 168.
Sannazarii cantilenæ verſio 47.
Sannazarii dies natalis 404. 458. *ejus vitæ ratio, & conſcripta ab eo carmina* 422. &c. *domum extruit* 425. *a patria diſcedit* 471.

Sa-

Saturnia regna 48. 97. 143. 353.
Saturni ſidus 266.
Satyrorum, & nympharum ſaltatio 381.
Scipiadæ belli tonitrua 3. 17. 60. 209.
Scipio Africanus Major 213. 214. 493.
de *Scriptoribus recentioribus quid ſentiendum* 226, *&c.* 399.
Sculptores antiqui 269.
Senarum expugnatio 205.
Servus fidelis 129.
Sfortia laudatur 58.
Sicilia, ſive Trinacria 251.
Sidera plurima enumerantur 267.
Signifer, ſeu Zodiacus 266.
Sigonius Carolus Livii Hiſtoriam illuſtrat 34. *laudatur* 35. 80.
Simeon puerum Jeſum geſtat 330.
Similitudo pluviæ & procellæ 13. 373. *turturis* 40. *quercus robuſtæ* 41. *apium, cygni, & muſcæ* 42. *auri in igne* 64. *arboris in monte* 65. *libræ ibid. Solis* 74. 81. 202. *lilii* 81. *ignis inter ſtipulas* 96. *pelicani* 101. *ovis errantis* 124. *turbinis* 171. *&c.* 238. *roſæ* 182. *pueri cum leone certantis* 192. *ſomnii* 231. 232. *ſaxi ruentis* 237. *quadrigæ* 243. *navis* 284. 372. *cygni voluntis* 325. *canis, & ſpeculi* 345. *lupi* 382.
Somnium 260. *&c.*
Somnus ſæpe veri nuntius 235. *ibid. laudatur* 262.
Specus in qua Jeſus natus eſt deſcribitur 343.
Spes futurorum bonorum præſentes ærumnas lenit 228.
D. *Stephanus ſaxis obrutus* 273.
Strozza Federicus laudatur 31[illegible].
Studioſus amans 80.
in *Syllam & Marium* 206.

T

Tantalus pag. 474.
Teleſius Bernardinus philoſophus 81.
Tempeſtas 5.
Tempus edax 414. 357.
Terraquei globi diviſiones 265.
Terrena omnia cœleſtibus collata viveſcunt 272.
Theatrum Campanum 457.
Tibris 74. 99. 158. 209. inundat 165.
Timoris effectus 231.
Titus Quintius poſt triumphum repetit aratrum 201.
Totila effigies 55.
Trinitas ſacroſancta 274. 284. proceſſio Perſonarum 190.
Trivultii Jacobi effigies 60.
Tullus hoſtilius Romam ad arma ſuſcitat 202.
Tumulus Philippi Beroaldi 11. Annæ Gallorum Reginæ 24. Jacobi Scotorum Regis 26. Lelii Capilupi 98. Martiæ Capiciæ 119. Portiæ Capiciæ 166. &c. Hectoris 209. Marcelli Pont. Max. 223. Pauli III. ibid. Ludovici Antenorii 322. Phyllidis 365. Sannazarii 399. Ladislai Regis 428. Lauræ puellæ 430. Hannibalis 436. Maximillæ 437. Neæra 440. Amorantæ 451. Pueri 454. Galeotti 456. Cottæ Veronenſis 459. Aſcanii 461. Candolæ 462. Lucæ Paſſii 487.
Turcæ fuſi ad Naupactum 1. fuſus 251. 257. 313. &c. ad Actium 56. 246. potentia illorum 249. in fugam compulſi 302.

V

Valerianus Petrus laudatus pag. 225.
Valla Georgius 483.
Vallis amœnitas 140. 432.
Valorius Baccius febri laborat 31. 38.
Vaticinio 114. 119. 168.
ad *Venerem deprecatio* 116. 136. 198.
Venus 200. 247. 434 436. 438. 451. 452. 455. *ſe lavat* 199. *ejus ſidus* 266.
Veneficium 378.
Venetæ urbis laudes 175. 249. 419. 437. 556.
Ver novum 42. 54. 100. 139. 262. 273. 282.
Veſſalius Andreas laudatus 79.
Vices rerum 3. 23. 142. 248.
Victorius Petrus 34. 38. 66. 83.
Vir bonus mori non poteſt 223. 484.
Virtus ſola deſiderabilis 219. 278. *contemnitur* 222. 285.
Vita humana ærumna 2. 133. 265.
Vitellocius 58. 59.
Vitellius Paulus 58.
Ulyſſes 3.
Voluptati indulgentium 428. 444.
Vorago, in quam Curtius ſe conjecit, deſcribitur 231. *&c.*
Urbanus VIII. Pont. Max. laudatus 181.
Urbes Dii grata 373. 418.
Urbis cura 159. 239. 482.
Urſinus Nicolaus Petilianus 59. *Clarix Urſina* 131.

X

Y

Xerſes plorat ſuper exercitu pag. 203. ejus potentia 278.

Z

Zabarella Jacobus philoſophus laudatus pag. 82.